


C

See Muller Catalogue

Vangen te Assen No. 1866

1872

HISTORIA
INDIAE
ORIENTALIS,

EX VARIIS AVCTORI-
BVS COLLECTA, ET IVXTA
SERIEM TOPOGRAPHICAM REGNO-
rum, Prouinciarum & Insularum, per Africæ,
Asiæque littora, ad extremos vsque Ia-
ponios deducta,

*QVA REGIONVM ET INSVLARVM
situs & commoditas; Regum & populorum mores &
habitus; Religionum & superstitionum absurda varie-
tas; Lusitanorum item Hispanorum & Batauorum res
gestæ atque Commercia varia, cum rebus admira-
tione & memoratu dignißimis alijs, iucun-
da breuitate percensentur atq;
describuntur.*


AVTORE
M. GOTARDO ARTHVS
Dantiscano.



COLONIAE AGRIPPINAE,
SVMPTIBVS VVILHELMI
Lutzenkirch.
ANNO M. DC. VIII.

AVTOR
AD LIBRVM.

NOn mihi mens, ſyluis Delphinum, fluctibus aprũ
Pingere, at vt factũ eſt quodq; notare, fuit.
Ne videar vanus, verba ambitioſa recidi,
Hiſtoriam verè tradere dulce putans.
Ergo ne metuas totum reptare per orbem,
Fortè ſuperſtes eris poſt mea fata, LIBER.
Nec cures de te quid dixerit iſte vel iſte,
Haud facile eſt cunctis poſſe placere viris.
Attamen vt fugias vanos, quæras q; modeſtos,
Quo poßis multis vtilis eſſe, vide.



VERE'
MAGNIFICIS,
NOBILISS. AMPLISS.
ET PRVDENTISS. VIRIS ET
DOMINIS, D. PRAECOSS. ET PRAEsidi, D. DD. Coss. & toti grauissimo, florentissimæ Reipub. DANTISCANAE, Senatui, Patriæ patribus, studiorum fautoribus, Dominis suis subiecta obseruantia perpetuum honorandis,

S.



E Protogene, Magnifici, Nobiliss. Ampliss. & Prudentiss. Viri, proditum literis acceepimus, eum ex ductu lineæ, quam Apelles, mira tenuitate per tabulam, se absente, duxerat, nunquam anteà visum artificem tam exactè cognouisse, vt nomẽ eius statim edisserens, Apellem domi suæ fuisse palàm professus sit, Mira hæc fuit vis ingenij, qua si in diuinis homines valerẽt rebus, næ felicissimi beatissimiq; putãdi essent. Pulcherrimum

rimum hoc totius mūdi opificium ſummo Conſilio, arte & ſapientia extructum, aliud nihil eſt, quam ſchola prudentiæ, bonitatis & omnipotentiæ Dei, vnde, tanquam ex illuſtri ſpeculo, diuinæ mētis cognitio affulgere nobis quàm optimè poſſit. Ac quotus quiſq; mortalium eſt, qui tametſi tā abſolutū opus, non niſi præſtantiſſimo artifici adſcribendum eſſe, nō neſciat, attamē & quis artifex ille ſit, intelligat, & quod nomen ei exponere natura duce valeat? Nimirum hic cùm Simonide omnes, quantò diutius cōſiderent, tantò perſpicere minus ſeſe poſſe, fateantur neceſſe eſt, cum nihil omninò ſit Cœleſti æternæ mentis numine, vel propter eius perfectionē, illuſtrius, vel propter humani luminis imbecillitatē obſcurius.

Quod ſi in vniuerſo terrarū orbe ad cognoſcendū hoc diuinū numē, eiuſque eſſentiā & voluntatem perſcrutandā idoneus & accōmodatus locus ſit, in Oriente enim certè vel maximè reperiri, nemo ſanè, Coſmographica imbutus ſciētia, negauerit. Nam, vt prætermiſſis alijs, de India ſolùm Orientali dicā, tanta eſt eius prouinciæ vaſtitas; tanta fluuiorū, montium, oppidorū, regnorum & Inſularum in ea frequentia, vt nulli facilè, quotquot etiā toto orbe numerantur, prouinciæ cedat, tanta prætereà eius fertilitas, tantaq; non ſolū aromatum, gemmarum, &

aliarum preciosissimarum rerũ vbertas; sed & mirabilium terra mariq; viuentium animalium varietas, vt reliquas quascunq; orbis partes lõgissimè superet & antecellat. Iã ex insulis maximè Dei sapientiam elucere, Augustinus autor est, Agrorũ verò fertilitas, preciosissimarũ rerum prouẽtus & animãtium mira distinctio, quid aliud quæso, quã bonitatis & omnipotentiæ, eius, qui annum coronat benignitate sua, manifestissimũ indiciũ est? Deploranda igitur meritò humanæ mẽtis cęcitas est, quod cùm præcipuè condita sit ad agnitionẽ Dei, Deus verò tam illustria de se testimonia, vt alibi, sic in India maximè proposuerit, tantis tamen involuta tenebris passim ibi cernatur, vt non solùm Deum ex natura nõ agnoscat, sed insuper casu etiã orta esse omnia, temereque fieri & occidere quicquid natura producit, existimet.

Homines India nutrit non paucos, qui muta simulachra, vel etiã informes adorant lapides, sunt qui artis cuiuslibet inuẽtores, aliosq; priuatim aut publicè benè meritos, in Deorum nunerum referunt, illisque statuas & tẽpla ponunt, nõ mortuis modo, sed interdum etiam (quod magis detesteris) viuentibus sacrificia offerẽtes. Alij solem, lunam, sidera, Cœlum denique ipsum, vnde cuncta in terras bona promanent, omni co-

 lendum

lendum ſtudio ſtatuunt. Sed & crocodilos, & inferna quidam venerantur monſtra, colubris ſuccincta & igneo vomitu horrẽdóque vultu maximè terribilia. Sunt qui omnem de Dijs & Spiritibus opinionem planè derideant, vnum eſſe, tàm hominum, quàm iumentorum communem interitum, & nihil quicquam poſt mortẽ reſtare putantes. Qui verò ſapientiores habẽtur, ij arcanis, & quæ nõ temerè in vulgus promanare patiũtur decretis, Pythagorę fermè sõnia, de trãſmigratione animorũ tuẽtur, & pro meritis actæ vitæ, ſua cuique præmia ſuppliciaq;, ex cõmuni omniũ gẽtiũ opinione conſtituũt.

Teſtem horũ omniũ locupletiſſimũ, hiſtoriã hãc profero, quã ex varijs Indicarũ, tã veterũ quã recentium nauigationũ commentarijs collectã, & multorũ clariſſimorũ virorum hortatu, in Enchiridij quaſi formã congeſtã, ſub auguſtiſſimo Magnificẽtiæ & Amplitudinis veſtræ patrocinio, lucẽ aſpicere volui, quod cognitũ iam pridem mihi & perſpectum fuerit, Vos vt optimarũ artiũ & diſciplinarũ omnium ſtudio, ſic hiſtoricis etiã & geographicis monumentis delectari maximè, in ea quippe Repub. conſtitutos, quæ maritimarum non poſtrema, ciues ſubinde alios, exercẽdis apud exteras nationes negotiationibus cũ lætitia deſtinat atq; dimittit, alios merciũ variarum opumq; &

rerum

rerum preciosissima rum auctos affluentia, ex prouincijs Insulisq; maritimis reduces, cum voluptate excipit, atque ita mercimoniorũ omnis generis singulari importatione atque exportatione felix est atque lætatur.

Debetur vtiq; Reip. vestræ maritimę historica hæc de Oriẽtali India tractatio, quę nõ tam mediterranea prouinciæ illius scrutatur regna, quam oram legens maritimam, varia Africæ Asiæque lustrat atque pererrat littora. Sed & ego Reip. vestræ Clarissimæ, hunc me laborem debere non inficior, tali quippe, cui natura me primum conciliauit, quæq; & sibi me natum clamitat, & partem ortus mei sibi deposcit. Patria, inquit Orator, nihil dulcius in vita nihilque charius, quippe cuius vis tanta tãtaque natura est, vt Ithacam illam, asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam; sapientissimus Vlysses immortalitati anteponere non dubitarit. Quod si igitur principes, si patria, si parẽtes sunt, quibus, quod eorum beneficijs obligati sumus maximè, tribuendum officij plurimum est, vt præclarè Cicero in Officijs disserit: si non sibi solum natum hominem, sed patriæ, sed suis, ex Platone idẽ asserit, quid ni ego etiã aliquid in lucẽ proferã, quod, si non vsque adeò magno patriæ meæ suauissimæ vsui queat esse, gratæ tamen mentis

meę erga eā ſignifi cationem aliquam oſtendat,& voluntate m ſtudiumq; ei quacunque ratione commodandi, nunquam mihi defuiſſe teſtetur?

Veſtram igitur, ô Clariſſima patriæ lumina; Magnificentiam & Amplitudinem, ea qua decet animi ſubiectione, etiam atq; etiam rogo & obteſtor, vt laborem hunc meum, in veſtræ potiſſimum Reipubl. gratiam ſuſceptum, nō aſpernari, ſed vultu placido & benigno acceptare non dedignetur. quo felicius hiſtoria hæc, coruſco quippe Magnificentiæ & Amplitudinis veſtræ perfuſa radio, aliorum ſeſe etiam manibus mētibuſq; inſinuet. Deus opt. Max. & Remp. veſtram, patriam meam ſuauiſſimā & Magnific. A. A. atq; pp. VV. Columnas eius præſtantiſſimas, ſub vmbra alarum ſuarum clementer protegat, & contra aduerſantium molitiones perpetuò, ad nomiuis ſui gloriam tueatur. Francofurti ad Mœnum, prid. Calend. Septem. Anno SperanDVM In ChrIſto.

Magnificentiæ & Nobiliſſimæ Amplitudinis veſtræ obſeruantiſſimus

Gotardus Arthus Dantiſcanus.

MEL-

MELCHIORIS HAIMINSFELDII GOLDASTI

Hendecasyllabi,

AD VIRVM CLARISS. GOTARDVM ARTHVSIVM, D. Philosophiæ Magistrum & Polyhistorem Francofordianum.

PRædicabo ego te, nec inficeto
Plectro concelebrabo, sic honestis
Dictis quippe mereris atque factis,
Queis primo ausus es vnus Ingeuonum
Saclis nescia turpiter vetustis,
AEuo inuisaq́ restitante auorum,
Res Indas tribus explicare chartis,
Pulchris, Iuppiter! & laboriosis,
AEquè perspicuis, vt ære paruo,
Paßim dididta dædalis opusclis
Vægrandi dynami hinc & inde sparsis,
Poßint nunc pueri, simul seneces
Euilathia præstinare dicta,
Nec non noscere destinata facta:
Primum magnanimo Deum nepoti
Hiruco reserata Belitano,
Esset quod prius vsque nenu factum.
Exin sanguine regio ille cretus
Gangaos penitrans & Garamantas,
Qua non Herculeus labor, nec illuc

 Iason

Iason Colchius, ipsus aut gearum
Prædo AEmathius orbis, intulissent
Gressus iam trepidos, perhorrifacti
Gentes semiferas & arma nudas,
Quas Lusus domuit & efferauit.
Hæc dum Pierio inseris stilo, mi
O ARTHVSI, decus celebre porrò
Et nostrum & quoque Francofordinanum,
Prædicabo ego te, nec infitebor.

Faciebat Francofordiæ ad Mœnum, a. d. IIX. Eid. August. A. C. N. CIↃ. IↃC. VII.



EPIGRAMMA AD LECTOREM in

HISTORIAM INDIAE ORIENTALIS, M. GOTARDI ARTHVS Dantiscani.

SCRIPTVM AB ADELARIO CRAVELIO LEVBINGENSI Thuringo, Gymnasij Francofurtensis ad Mœnum Rectore.

PErlustrare volēs peregrinas aduena terras,
Aut oculos circum regna domosq́ꝫ ferens,
Præcipitem dubijs crebrò se casibus offert,
Sæpe vt vix fugiat vita pericla necis:
Creditur haud, faciant iter hi quàm de side passu,
Qui, si qua tellus floruit, ire parant.

Mox

Mox glaciale premit frigus: mox vstulat æstus:
Mox sitis infestat: mox nocet ægra fames.
Et peregrinantis caneret quis tædia, sumtus?
Queis sine sunt cupidis inuia cuncta viris.
Quisquis es ergo, nouas tutò qui noscere terras,
Qui mare, qui gentes, oppida, iura cupis.
Qui Lybiæ atque Asiæ rerum miracla: Orientis
Littora, regna, vrbes, nosse viator amas:
Sic vt nulla fames, sitis, æstus, frigora, sumtus
Lædant, hæc memori pectore verba tene.
Hunc eme, certus eris, tibi quo benè consulit AR-
Et vigili studio volue reuolue, librum. (THVS,
Dic simul authori tali pro munere grates:
Debetur doctis gratia namque viris.



AD AVTHOREM

VIRVM CLARISS. M. GOTARDVM ARTHVSIVM,

amicum suum incomparabilem,
Octostichon.

SI quis virtutum stimulo candore cluebat,
Si quis, de cuius mente refulget amor.
Si quis, quem pietas decorat studiosa IEHOVAE,
Si quis &, est cuius gratia grata pijs.
Si quis, cui tinctus benè sermo lepore venusto est,
Si quicquam, est cuius firma in amore fides.
Dispeream ni tu mihi sis, quem dicta venustant,
Candor, amor, pietas, gratia, sermo fides?

Andreas Myllerus S. P. Q.
Francofortensium Musurgus.

PHA-

PHALEVCVS
in
HISTORIAM INDIAE ORIENTALIS, CLARISS. ET
doctiſs. viri, Dn. M. GOTARDI ARTHVS, amici & fautoris ſui certiſsimi cariſsimi.

SIccine arbitrio GOTARDE iuſto,
Siccine & ſolido laboris æſtu,
Nobis hiſtoriam INDIAE feracis,
Hocce tam graphicè exhibes libello?
Rem pol hiſtorico refertam amore
Cyrrheni replicas Dei fauore!
Famam ſi reliqui merentur omnes
Præclaram hyſtorici profectò dignis
Laudari haud poteris mihi cothurnis.
Non vulgaria mi GOTARDE tractas,
Non tonſoribus obuia atque lippis,
Sunt exotica, ſunt puta atque pura
Abſtruſa hæc tua ſcripta, & hi labores.
Hincq; & ipſa tua INDIA, hercle! multum
Hinc Germania, & vniuerſim-Omnes
Debent iure tibi vndiquaque terræ,
Bonus ſedulitate queis fuiſti.
Faxint ô ſuperi, dehinc vt ipſus
Multum illis quoque debeas viciſſim,
Quo par ſit meritum GOTARDE ſemper.

EIVS-

EIVSDEM AD ZOILVM, EPIGRAMMA.

QVando tuos quoscunque tuos GOTARDE labores
Conspexit Momus, protinus indoluit;
Indoluit, vanoq; ore improbus allatrauit,
Præclari præstet cum tamen ipse nihil.
Theologa hoc ipsum tua scripta loquuntur ad vnguem,
Testatur logicum non minus illud opus.
Historici annales, hosq; inter abundè fatetur
MERCVRIVS Gallo-Belgicus ille tuus.
Et quæ nō? Nec mirum illud; namq; optima quæq;
Hic culpare solet, pessima ad astra vehit.
Rumpere liuor edax! age rumpere, rūpere liuor!
Doctorum explodas optima scripta virûm.
Nil tamen efficies quicquā. Non quæ tibi sordent,
Cordatis sordent insimul illa viris.
Tu verò hoc stadio & studio decurrere perge,
Compluresq; alios, quam potes, ede libros.
Sic nomenq; decusq; tuum GOTARDE manebūt,
Sic nunquam fuerit nescia terra tui.

M. Ioannes Melander Mœno-
Francfordianus, Gymnasij
Patrij Collega.

HEXASTI-

HEXASTICHON
ad
RERVM INDICARVM, A CLARISS. VIRO, D. M. GOTARDO ARTHVS Dantiſcano, hoc volumine conſignatarum, lectorem beneuolum.

EOas anates ſi cernere forſitan, oua
Quæ pariant, pullos quî foueantq́ue ſuos;
Vis & in eoo ſola ſi æquore noſcere, mores
Cum gazis ortus indigenumq́ue cupis.
GOTARDI pelagus per præſens, impiger, ARTHVS
Artis mirificæ, nauiculeris, opus.
Næ! iter hoc nunquam te ſuſcepiſſe pigebit,
Cum tot res miras, tot loca mira vides.

Ioannes Meyer Hoffheimianus D. e. fecit.

INDEX CAPITVM.

CAPVT I.

** Cap.

INDIAE

HISTORIA INDIAE ORIENTALIS, EX VARIIS AVTORIBVS COLLECTA, ET CONVENIENTISSIMO ORDINE descripta.

CAPVT I.

De Asia, Indiæ Orientalis subiecto.



VM ex Ptolemæo & alijs, qui Geographicas scripserunt tabulas, constet, Orientalis Indiæ regiones ad Asiam maximè pertinere, haud abs re fuerit, de parte illa orbis terrarum, paucula hic, antequam ad ipsius Indiæ Orientalis accedamus historiam, annotare. Asia igitur nobilissima mundi portio, maxima & vastissima cæterarum Orbis partium est. magnitudine enim sua, duas illas reliquas mundi partes, quæ quidem Veteribus cognitæ fuerunt, Europam, Africamque simul acceptas, longè superat: & si insulas duntaxat eius spectes, Europã illæ in vnum collectæ longè excedunt. Dicta putatur ab Asia, Oceani & Thetyos filia, Iapeti vxore & Promethei matre, vt apud antiquis- *Asiæ amplitudo.* *Asia vnde dicta.*

Asiæ fines. simum Berosum videre est. Terminatur verò tribus partibus, vastissimo Oceano, qui in Oriente vocatur Orientalis, in meridie, Indicus, & in Septentrione, Scythicus, in quarta verò nemini, cũ occidentali plaga, sinu Arabico siue mari rubro clauditur, Nilumque & Tanaim, cum ponte Euxino & parte mediterranei maris habet.

Asiæ partes. Cæterum duplicem olim Asiam veteres fecerunt, maiorem nempe & minorem, cuius vtriusque 47. regiones & prouincias, duodecim tabulis comprehensas Ptolomæus enumerat. Ortelius vero in quinque eam partes, secundũ præcipua quibus administratur imperia distribuit. prima Europæ contigua, magno Moscouiæ Duci; secunda magno Chamo Tartarorum Imperatori; Tertia Turcico Imperatori; & quarta Persarum Regi subiectæ sunt. Quinta pars Indiam Orientalem, cum regno Chinæ, & insulis plurimis in Oceano Indico & Orientali hinc inde sparsis continet.

Asiæ commoditates & diuitiæ. Vniuersa autem Asia cælo vtitur clementi & moderato, estque tam opima & fertilis, vt facile omnibus terris antecellat. Inueniuntur enim ibi varia animalium & terra nascentium genera, quę in alijs orbis partibus non nascuntur, ad quas mittit balsamum, calamum Indicum, thus, myrrham, Cassiam, Cynnamomum, garyophyllum, piper, crocum, ligna odorifera, resinam suauissimi odoris, muschum & aromata alia. Abundat odore, auro optimo, preciosisque lapidibus omnis generis. Alit quoq; innumeros elephantas, camelos & complura animalia tum domestica tum syluestria, quæ

ad

ad victum cultumque necessaria abunde hominibus suppeditare possunt. Itaque Romani cum aliarum prouinciarum vectigalia tanta essent, vt ad ipsas prouincias tutandas vix sufficerent, tam opimam & fertilem Asiam prædicarunt, vt & vbertate agrorum, & varietate fructuum, magnitudineque pastionis & multitudine earum rerum quæ exportantur facile omnes terras superare faterentur.

Sed & ingeniosissimis præstat populis Asia, diuitijsque ingentibus affluit, parens & mater est multorum amplissimarum regionum, imperiorumque potentissimorum semper sedes fuit. celebrantur enim passim apud scriptores Assyriorum, Persarum, Babyloniorum, Parthorum & Medorum monarchiæ, quæ in Asia floruerunt, nostra verò ætate imperant ibi Turcæ, Tartari, Mosci, Persæ, Indi & Chinenses, qui omnes profectò ingenio, promptitudine & corporis viribus valent plurimum. Quámuis verò Antiquitas multa fabulosa de hac orbis parte credidit, reperiri nimirum in ea homines syluestres auersis post crura plantis, eximiæ velocitatis, aliosque capitibus caninis præditos &c. illa tamen omnia falsa esse recentiorum narrationes prodiderunt. *Asia populi & potentia.*

Hoc certè constat etiam in sacris literis hanc mundi partem præ cæteris illustrem admodum & celebratissimam esse, cum in ea nō solum genus humanum à Deo Opt. Max. creatum, ab hoste Satana delusum corruptumque, & à Christo saluatore salutem eius iterum reparatam & instauratam, sed & omnem ferè vtriusque Testamenti historiam in ea scriptam *Asia in sacris lueris celebris.*

& completam constet, vt vel inde communis generis humani hostis Mahumeti sectam in perniciem hominum exsuscitandi & per vniuersam Asiam propagandi occasionem arripuerit.

Fluuij in Asia memorabiles admodum sunt Ganges, Indus, & alij, habetque mare Caspiũ, quod vastissimi lacus instar ad Oceanum vsq; non pertingit. Ingentes præterea solitudines in ea sunt & montes altissimi, inter quos maximè admirandus Taurus est, qui ipsam Asiam instar cuiusdam cinguli quasi mediam diuidit ab occidente in orientem longissimo tractu excurrens, partemque ad aquilonem, quam Græci interiorem Asiam vocant, relinquens, partem verò ad meridiem, quæ Asia exterior est, reijciens. Montis huius latitudo plerisque in locis trium millium stadiorum, de Strabonis est sententia, quę miliaria Italica 375. faciunt, longitudo vero tanta est, quanta ipsius Asiæ, stadiorum nempe circiter quadraginta quinque millium, quæ sunt miliaria Italica 5625. Caput eius inter Cariam & Lyciam Asiæ minoris regiones consurgit, & pro locorum diuersitate, diuersa etiam & varia nomina sortitur, quæ omnia hic annotare instituti nostri non est.

CAP. II.

DE INDIAE ORIENTALIS DIVIsione, & adiunctis.

INdia maxima Asiæ regio, nobilissima totius ter-

tis terrarum orbis pars eſt, nulla enim alia, vno comprehenſa nomine eam ſuperat, Tartaria tantum excepta. Vnde Pomponius Mela tantum eam littoris occupare ſcribit, quantū per quadraginta dies noctesque velificando abſolui poteſt. Nomen ab Indo fluuio ſortita eſt, qui Cambaiæ populis Inder vocatur, nam occaſum verſus, in hunc fluuium deſinit, ſeptētrionem verſus, Tauri iugis ſeu Caucaſo mōte terminatur, ab ortu, orientalem Oceanum, & à meridie, Oceanū Indicum, terminos habens, quamuis non exiguo ſpacio citra Indum fluuium excurrere hodie regionem hanc compertum ſit.

Diuiſa eſt olim orientalis India in duas regiones Gange famoſiſſimo interfluente fluuio, cuius ſitus hodiè incertus eſt, quanquam Cantanem eum eſſe in finibus Chinæ, cum Mercatore quidam exiſtiment. Altera igitur harum partium quæ ad occidentem vergit, India intra Gangem, in ſacris literis Euilath, incolis Indoſtan vocatur, altera quæ orientem verſus excurrit, India extra Gangem, in ſacris literis Seriah, incolis Macyn, dicitur, & hanc quidem Chinam eſſe, cum Mercatore non pauci exiſtimant. Sunt, qui in tres partes Indiam diuidi ſcribant, inferiorem nempe, mediam, & ſuperiorem. Inferiorem volunt eſſe ab Indo fluuio ad Barium amnem, eamque Caiſerat vocant: Mediam à fluuio Bario, ad fluuium Chaberim extendunt, vocaturque ipſis Minibar: Superiorem verò à Chaberi ad Gangem intelligunt, vocaturque ipſis Maabar.

Indiæ orientalis partes.

Indiæ orientalis diuisio iuxtà quam historia hac instituta.

Cæterum diuisionem hanc minus sufficientẽ esse, quilibet vel inde intelligit, quod extra Gangem non excedit, cum autem India lõgissimo tractu etiam extra Gangem se extendat, nos priore illa retenta duas Indiæ generalissimas partes constituimus, Indiam nimirum intra Gangem, quæ nunc est Indostan, & Indiam extra Gangem, quæ est Chinæ regnum. Illa autem in duas iterum partes subdiuiditur, nẽpe in inferiorem & superiorem, inferior enim à regno Cambaiæ, citra Indum fluuium incipit, & ad Chaberim fluuium vsque se extendit, circa cuius ostium vrbs Bengala sita est: superior inter Chaberim & Cantam fluuium, quem Mercator ipsum esse Gangem existimat, continetur.

Indiæ orientalis fertilitas.

Regio autem omnis, tametsi ob vastam magnitudinem cœlum inæquale habeat, & aerẽ sentiat versus Aequatorem quidem calidiorẽ quam versus Boream, bonitate tamen & fertilitate sua cæteras quascunque orbis partes antecellit, bis etenim in anno fructus fert, & ob eam causam famem nunquam sentit, tametsi deserta quoque, & ferarum syluarumque vastitate inculta etiam loca ibi non pauca reperiãtur. Frumento quidem destituitur, sed eorum loco legumina & fruges varias terra profert, incolasque suos oryza, lacte, carnibus, piscibus, fructibusque suauissimis nutrit. Multis abundat arboribus: inter quas palma præ cæteris præstans est, quæ vinum, acetumque simul & fructus suauissimos procreat. Arundines insuper gignit ex quibus mel candidum siue saccharum exprimitur. Animalia tam domestica

quam

quam syluestria multa nutrit, quorum maximum Elephas est. Habet etiam multa aromata, vt cynamomũ, nardũ, calamum aromaticũ, piper, & alia: lapillos vero pretiosos ac margaritas non solum mare expuit, sed etiam mediterranea regio parit, quæ & auro & argento alijsque metallis est conspicua.

Fertilitatis autem huius causa nonnulla in fluminum excrescentia consistit, multis enim fluuijs terra hæc, præter Indum & Gangem, irrigatur, qui plerique instar Nili crescentes, agros passim inundant, & auri insuper particulas quas secum deferunt, per campos sparsas relinquunt.

Fluminum frequentia in India.

Habitatur India Orientalis varijs gentibus, lingua, forma, habitu, morib⁹ & religione lõge diuersis, inter quas quatuor præcipuę nationes sunt, nempè naturales Indi, qui vt plurimum gentiles sunt: Hebræi, qui dispersi sunt per omnem mundi partem; Mahumetani, quorum aliqui Persæ sunt, alij Scythæ, alij Mauri seu Arabes; & tandem Christiani, ex illis quidem partim superstites, quos olim Diuus Thomas Apostolus instituit, partim Lusitanorum opera ad Christianæ religionis cognitionem inuitati atque adducti.

Populi in India orientali varij.

Quod autem ad naturales Indos attinet, nã de illis præcipuus hic nobis sermo, illi plerũque statura procera ac valida, coloreque subfusco sunt, lasciuiæ supra omnes mortales dediti, corpus gemmis & alijs ornamentis exornãt, circa corporis habitũ, alij laneis, alij lineis, alij sericeis pannis vtũtur, maiori tamen ex parte nudi incedũt, obscæna tantũ velãdo, &

Indorum mores & natura.

capita caloris potius quam frigoris fugiendi gratia tegendo. Literas pauci norunt, & legibus non ſcriptis vtuntur, qui verò literas didicerunt, magicis plerumque artibus & medicinæ incumbunt. Vxores ducunt quotquot alere poſſunt, quarum quæ viro præ cæteris charior, cum mortuo viua comburitur. Nobilitas generis ſanguiniſque apud eos ſummoperè obſeruatur, idque ex veteri inſtituto, vnde ſinguli in eo vitę genere vitam conſumunt, quod initio ſuſceperunt, & quod ab anteceſſoribus ſiue maioribus ſuis hæreditario quaſi iure conſecuti ſunt, neque vllus vnquam inferioris cõditionis homo ad altiorem gradum peruenire poteſt, quin imò tam abiectus eſt, tantoque in contemptu vitam traducere cogitur, vt ad alios ſuperioris ordinis homines, abſque metu & pœna accedere nequeat.

Nobiliorem in bello vſus.

Nobiles apud ipſos Nairi dicti, poſt ſeptimum ætatis annum ad agilitatem & dexteritatem inſtituuntur, idque frequenti totius corporis inunctione ex ſeſamino oleo, quo ſane nerui ac oſſa eorum ita laxantur, vt membra omnia ad libitum in quamcunque partem flectere & torquere facilimè poſſint. Hoc vbi factum eſt, arma tractare ſumma cura ſtudioq; incipiunt, vt exoptatam vtilemque Regibus in bello operam nauare, flagitante ita neceſſitate poſſint, potiſſima enim militiæ vis in Nairis ſiue nobilibus conſiſtit, quamuis ſint quidam Reges, qui mancipijs & ſeruis, quidam etiam, qui externo milite vtuntur. Proceres & Dynaſtæ Caimales ab incolis appellantur, in vrbibus vt plurimum non habitant, ſed extra illas,

domus

domus habent muris, fossis ac sepibus munitas. Reliqui vero ædificia habent abiecta admodum & nullius precij, quamuis antiquissima Indiæ ædificia, quorum nonnulla adhuc superesse dicuntur, nec Romanorum, nec Aegyptiorum ædificijs concedere quicquam putentur.

Sunt in India sacrorum antistites seu sacerdotes, qui ortum ducunt à vetustissimis Brachmannis, qui Græcis olim Gymnosophistæ dicebantur. Hi in maximo sunt apud populum honore, vitamque alij in hominum frequentia traducunt; alij in specubus & solitudinibus degunt, pura & simplici vita viuentes, nec alimentis alijs, præterquam quæ tellus ferro inuiolata producit, vtentes; alij peregrinationibus continuis studentes, nudi incedunt & victum hinc inde quæritant. Inter hos sunt, qui parcè admodum viuunt, & ab omni vitiorum genere abstinent ad certum vsque tempus, quo transacto ad altiorem gradum maximo honore promouentur, & licet postmodum illis cũ puellis & vxoribus quibuscumque pro libitu conuersari, virgines deflorare, & omne flagitij genus, velut ex priuilegio committere. Sacerdotes hi non eodem vbique nomine appellantur, sed pro locorum varietate varia sortiuntur nomina, quemadmodum ex historiæ continuatione patebit.

Sacerdotes in India.

CAP. III.

DE PRIMA INDIAE ORIENTALIS detectione & perlustratione.

Indiæ regiones Europæis populis cur tam diu incognitæ fuerint.

PLinius autor eſt, Indos prope gentium ſolos, finibus ſuis nunquam migraſſe, ad eos vero plures è diuerſis ac longinquis regionibus gentes, aromatum, gemmarum, & aliarum mercium emendarum cauſa concurrere. Hoc tametſi ad commendandam ſoli vbertatẽ haud dubiè dictum eſt; negari tamen non poteſt, quod loca illa nobiliſſima & ampliſſima, ſi nõ omnibus, Europæis tamen populis ob longinquam nauigationem ſuperioribus ſeculis plane incognita fuerint. Quinimò & priſci homines non exigua eorum ſpacia ignorarunt, ſiquidem & Ptolomæus in multis regionibus deſcribendis hallucinatus eſt, & multæ Africo Indicoque adiacentes littori inſulæ exactam eius notitiam ſubterfugerunt. Nauigandi enim ante centeſimum annum vel apud Heſperios populos tãta fuit inſcitia, maritimo videlicet vſu Aſtrolabij nondum excogitato, vt ab ora diſcedere & alto Oceano ſe committere nequaquam auderent, ſed littora cautè legentes, vbi ad æſtus maris aut breuia periculoſa peruenerant, quaſi repagulis quibuſdam à natura obiectis, ſeſe illico reciperent, & longius tendere nefas quodammodo arbitrarentur.

Henricus Ioannis I. Luſitan. Regis filius de inquirendis

Ioannes primus Luſitaniæ Rex, ex Philippa Alencaſtria, Eduardi ſexti Britanniæ Regis nepte, filios quinque ſuſceperat. Inter illos Henricus, quarto loco natus, cum Eduardum fratrem

trem natu maximum, defuncto patri in regno succeſſiſſe videret, ne ſine omni laude vitam traduceret, incognita ſcrutari maria, & nouas in Oceanum claſſes mittere modis omnibus adlaborauit. Adhibitis enim Mathematicis, cũ certiſſimis argumentis didiciſſet, ab ora Mauritaniæ, continentes ac perpetuas regiones vltra Aequatorem extendi, quæ ſi pedibus peragrari ardor ſolis & vaſtæ ſolitudines vetuiſſent, mari certè, modo perſeuerantia non deeſſet, adiri cognoſcique poſſent, duabus primo rem difficilem tentare nauibus Anno 1410. aggreſſus eſt. Naues hæ, cum vltra Atlantis radices, vbi terminus nauigationis hactenus fuerat, leucas circiter 60. ad Ganariam promontorium perueniſſent, nouis aquarum æſtibus vndiſque deterritæ, curſum influxerunt. Non ceſſauit autem à propoſito ſuo Henricus, ſed Anno 1420. inſtructam iterũ claſſem ſub Ioannis Conſalui auſpicijs mari commiſit. Erat is tanto animi robore, vt primus omnium à continenti longè recedere & vaſto furentique Oceano ſeſe credere minime dubitaret, itaque multis & periculoſis iactatus procellis varias inſulas, & remotiora Africæ littora ad Leænã vſque montem nimium leucas 360. à Ganaria diſtantem, cognouit atque perluſtrauit.

nouis regionibus curam primus ſuſcepit.

Defuncto poſt annos aliquot Henrico, Alphonſus eius nominis quintus, qui patri Eduardo ſucceſſit, quanquam finitimis ac domeſticis implicitus bellis eſſet, in eandem tamen laudem acerrimè incubuit, perque ſtrenuos duces & gubernatores ab Leæna monte, ad Arſinarium, quod recentiores caput viride vocant,

Alphonſus V. Henrico defuncto ſuccedit.

cant, atque inde ad Diuæ Catharinæ promontorium vsque arma Lusitanica protulit. Inuentæ sunt per id tempus multæ insulæ, commerciaque cum varijs nationibus, maximè verò cum Aethiopibus occiduis Guineam regionẽ incolentibus, instituta, de qua regione paulò post fusius dicetur. Mortuo autem Alphonso, cum Ioannes secundus regni gubernacula suscepisset, omnem eo cogitationem conuertit, an etiam quis ab Atlantico, in Oceanum Orientalem transitus mari terraúe fieri posset. Peritissimis igitur eo tempore mathematicis Roderico & Iosepho medicis suis, itemque Martino Boëmo, qui se Ioannis de regio monte alumnum profitebatur, id negotij dedit, vt aliquid communi consilio excogitarent ad cursum nauium in ignoto pelago gubernandum atque regendum. Horum studio & industria cũ astrolabium instrumentum, quod antea ad colligendos tantum stellarum motus adhiberi consueuerat, ad vsum rei maritimæ translatũ esset, non pauci sese ad huiusmodi expeditiones suscipiendas Regi obtulerunt, inter quos Iacobus Canus, maximè enituit, qui acceptis à Rege nauibus, vltra metas Alphonsi processit, ad ostium ingentis fluuij, qui ex Nili fontibus originem ducens, Zaire incolis dicitur. Erant loci illius incolæ, ingenio, moribusque longè superioribus mitiores, ex quibus cum in Congi regno versari sese iam didicisset, continuato cursu, ad leucas vltra id regnum ducentas prouectus est.

Ioannes II. Alphonsi in hoc conatu successor.

Astrolabiũ ad vsum rei maritimæ inuentum.

Columbus principes in-

His tam lætis rerum exordijs breui tota penè Europa vulgatis, Lusitanum nomen magna vbique

vbique in admiratione esse cœpit, itaque laudis illius æmulatione accensus Christophorus Columbus, ingentis animi vir & rei nauticæ inprimis peritus, cum ex Astronomica disciplina & nonnullis veterum monumentis, eodem ferè tempore, trans noti orbis terminos, magna terrarum spatia etiam in occidentem patere didicisset, experiundi & cognoscendi studio Lusitano Regi eam primo omnium expeditionem suasit, suamque ei in id operam & industriam enixè detulit. Reiectus autem ab illo, tanquam qui inania & fabulosa afferret, ad finitimum Castellæ Regem Fernandum eodẽ consilio sese contulit. Non audiebatur quidẽ initio, sed cum inuicta quadam animi pertinacia totum fermè septennium rem vrgeret, obtinuit tandem, vt tria sibi regio sumptu adornata nauigia præberentur. Ab Hispali igitur soluens, Canarias primum insulas petit, postmodo continua dierum aliquot velificatione in occasum prouectus, insulas nouas aperuit, principesque vocauit. Erat hæc res vt Fernando voluptati, ita Ioanni cõtra dolori, qui vt insulas illas in suã potestatẽ assereret, classem instruere cœpit. Fernandus igitur ad reuocandũ ab ea mente Ioannem, legatos ad eum misit, qui si ab incepto eum abducere minus possent, extraherent saltem negotium, dum Columbus de concepta spe aurifodinarum istic loci institutarum certiora ad Fernandum referret. Defertur interea res ad Romanum Pontificem, qui tum erat Alexander VI. Is cognita rerum causa, ne quãdo lis ad arma deduceretur, vltra Hesperidum insulas ad trecentesimam ferè

Insulas apertis.

Nouus orbis in duas partes a Pō. Ro. distribuitur.

ferè & quadragesimam leucam, ducto à septentrione ad australem polum circulo, totum terrarum orbem ex æquo bifariam diuisit, parte, quæ in orientem vergebat, Ioanni Lusitano, altera vero quæ in occidentem tendebat, Fernádo assignata.

Diatius totum orbem peruium esse demonstrat.

Ex eodem tempore in peruestigandis ignotis regionibus à Lusitano & Castellano Regibus, mira vtrinque virtute certatum est, Columbo & alijs ad occasum meridiemque ingentia terrarum spacia, cum incredibili prouentu auri & argenti subinde aperientibus; ex Lusitana verò parte, Bartholomæo Diazio, velificationem egregia fortitudine & constantia vrgente. Hic enim Cani columnas longo interuallo transgressus, totum terrarum orbẽ magnanimis & experientibus viris peruium demonstrauit. Domum autem reuersus, cum in explicando apud Regem itineris totius progressu, ad descriptionem ingentis promontorij, quod frontem Africæ quidam dixerunt, peruenisset, idque ob maximas circa ipsum exortas tempestates, procellosum caput iure appellandum affirmaret, quin imò Bonę Spei caput esto, inquit Rex, ad optatas Orientis opes, & Asiatica emporia digitum quasi intendere volens, quod hoc illi postmodum nomen stabile firmumque permansit.

Couillanius loca fere omnia in India collustrata in charta annotat.

Post annos aliquot cum Abyssinorum seu Aethiopum orientalem Regem, quem presbyterum Ioannem vocant, sibi conciliare, eiusq; auxilio ad Indorum Regum amicitiam aditum sibi patefacere Ioannes Lusitaniæ Rex vehementer cuperet, Petrum Couillanium & Alphon-

phonsum Paiuam eiusdem rei causa ablegauit. Hi Alexandriam delati, Memphin inde, mercatorum habitu petiere, atque ex eo loco per sermonis Arabici symbola, Adenum, quod oppidum ad Arabici maris fauces munitissimum est, peruenerunt. Ibi cum ad sinistram esset India, ad dextram vero Aethiopia, sic inter se munera partiti sunt, vt alter Abyssinum adiret Regem, alter Indica perlustraret emporia, & rebus tandem peractis Memphim rursus ambo conuenirent. Paiua igitur ad Abyssinũ profectus, antequam regiam attingeret, vita functus est. Couillanius vero felici nauigatione ad Indos delatus, totam illius commercij rationem probè compertam in commentarios retulit, & loca quælibet in charta cõsignauit. Cæterum cum Memphim reuersus, Paiuam mortuum esse cognouisset, datis ad Regem Ioannem literis, commentarios chartamque in qua loca illa consignauerat, ipsi transmisit, ipse verò ad Abyssinum in Aethiopiam profectus est. Præerat Abyssinis tum Alexander, qui benigne admodum hominem accepit, verum cum eum iam remissurus in Lusitaniam cum literis esset, repentè mortuus est, & fratrem Nahu in regno successorem reliquit, is longè diuerso ingenio præditus, spreta Regis Lusitanici amicitia, vti Couillanium ad suos redire pateretur, adduci non potuit. Itaque cum neq; ex Aethiopia euadendi, neque scribendi occasio Couillanio daretur, ob diuturnam absentiam pro mortuo domi habitus est.

Interea Ioanni rebus humanis exempto, Emanuel successit, quem ipse Alphonso filio dudum *Emanuel Ioannis*

nauigationē promouet.

dudum extincto, regni heredem instituerat, is cum alacer esset & vegetus, inque laudis & famæ studio nulli antecedentium Regum secundus, ingenti cœptæ perlustrationis absoluendæ studio ardebat, ne tamen sibi, initio præsertim regni, nimium fidere videretur, instituto conuentu, procerum sese sententias super hoc negotio auditurum professus est Tametsi vero in vtramque sententiam multa & varia tum disputarentur, ipse tamen plus apud se valere gloriam & honestatem, quam metum & diffidentiam passus, quatuor naues ad explorandū agiles & ad vim ventorum procellarumque tolerandam firmas, nautis, militibus, commeatu, tormentisque sufficienter instruxit, & cōtra omnes casus quam diligentissimè muniuit. Præfecit autem omnibus, Vascum quendam Gammam, singulari prudentia & fide, inuictoque animi robore virum, literasque ei ad Indiæ Reges cum commentario & charta Couillanij tradidit, iuramento fidelitatis ab eo prius accepto.

Vascus Gamma velificationem in Indiam Orientalem dirigit.

Accidit id Anno post Christum natum 1497. tum enim Gamma cum socijs centum & sexaginta, alto sese mari committens, paucis mensibus ipsum bonæ Spei promontorium prætervectus, ad aquationem quæ dicitur Sancti Blasij peruenit, inde iterum soluens, vltra Diazij terminos leucas circiter quinque ad Planas, quas vocant, Insulas processit. Postmodum nauigia palmeis velis instructa cernens, cum ea secutus, homines minus iam atro colore & cultiore vestitu, Arabicique sermonis nonnihil peritos deprehendisset, bona signa locum

appella-

appellari voluit, Indiam significari hac mutatione hominum ratus. Inita cum barbaris amicitia, cum per mensem ibi reparandis nauibus operam dedisset Gamma, ad Mosambicum inde profectus est. Oppidum id est insulæ Prasiæ Mahumetanis tum habitatum, à quibus cũ pro Turcis vel Saracenis habiti essent Lusitani, (non enim ad vrbem accesserant, sed iuxta insulas, quas Georgij Gamma vocauerat, substiterant) cibaria & commeatum omnem facile impetrarunt, additi sunt ipsis etiam duo nauium magistri, qui viam ipsis in Indiam monstrarent, ast vbi per Abyssinos quosdam Aethiopes, eos Europæos & Christianos esse, vulgatum est, confestim hospitalitate omni in odiũ versa, telis & sagittis ab aquatione prohibiti sunt, & magistri illi perfidi, accepta iam pecunia, clam aufugerunt.

Gamma perfidiam Mosambicensiũ vlciscitur.

Habebat Gãma multa, pro more, in multis nauibus suis disposita tormenta ænea, sed ne à sese populũ ignotũ abalienaret, ab illis exercendis & displodendis, consulto hactenus abstinuerat, iam autem vt fraudem dolumque incolarum animaduertit, indignatione commotus, extemplò illa disploderent magistris edixit. Erat hoc nouum, gentibusque illis etiamnum incognitum inuentum, itaque intermicantia illa fumo fulgura, & crebra sereno admodum cœlo tonitrua, attonitas aliquandiu tenuit, donec ante Prætoris ipsius pedes percussi quatuor simul viri conciderent. Tum vero infenso quasi infestoque numine in fugam sese conijcientibus Barbaris, Prætor ciuitatis vix tandem ex summa trepidatione collecto

animo, ſupplices ad Gammam placandæ iræ & ſui purgandi cauſa Oratores tranſmiſit, redditurum ſe Gammæ pecuniam perfidis illis magiſtris numeratam, & alium ipſorum loco ſuffecturum nauigationis Indicæ peritiſſimum promittens. Gamma igitur neglecta pecunia iſta, magiſtrum nouum accepit, ſed multo prioribus nequiorem. ſoluentes enim à Moſambico Luſitani, cum longo errore cibaria fere abſumpta eſſent, tandem ad Mombazam vrbem, magiſtri illius ſuaſu applicarunt. Cæterum cũ à Rege venirent, viſum quales adeſſent hoſpites, à magiſtro illo clam in odium adducti ſunt. ſimulabant illi omnem beneuolentiam, ſed interim tamen inſidias ipſis ſtruebant maximas, quibus mirabiliter detectis, & proditionis magiſtro in fugam conuerſo, Gamma curſu in Septentrionem directo, duo nauigia Mõbaza paulo poſt venientia intercepit, Saracenis tredecim ad naues ſuas inde delatis. Ex eorum relatione cognouit, celebre admodum oppidum Melindem in eadem regione eiuſq; Regem in aduenas mirè beneficum eſſe, itaque eò dirigendam velificationem cenſuit. Amicè autem admodum ibi exceptus, non cibaria ſolum ſed & peritum itineris ducem impetrauit, firmatoque noui hoſpitij iure, pollicitus eſt Regi, ſe in reditu illuc iter facturum, & Regis legatos honoris & amicitiæ cauſa in Luſitaniam ſecum tranſportaturum.

Guaſcus Gãma littus Indicum aſſequitur.

A Melinde ad Malabaricum Indię littus leucarum fermè ſeptingentarum traiectus eſt, id ſpatium viginti duabus emenſi ſunt diebus, & feliciter tandem ad Calecuti oram appulerũt.

Factum

Factum est id circa Maij exitum, perincommodo sanè tempore, quo hyemis ibi initiũ erat, nihilominus tamen, licet periculosam admodum in mari stationem esse Gamma intelligeret, subeundum portum nisi cum Regis Calecutani permissu nequaquam existimauit, cum præsertim Regem istum in primis clarum potentemque esse & Zamorinum id est, imperatorem vocari cognouisset. Erat tum temporis Rex in maritimo quodam vico Panane, itaque Gamma missis ad eum nuncijs, se cum Regis Lusitaniæ literis, ex alio penè terrarum orbe aduenisse significat. Lętus ea re Zamorinus Gãmam ex periculosa statione in proximum portum, cui Capocate nomen est, traduci iussit, moxque post biduum, qui eum honorificè ad se deduceret, misit, qui tametsi ignotæ fidei & vanę superstitionis homini vitam suam credere sociorum monitis prohiberetur, legationẽ tamen peragere, & cuncta explorare omninò constituit.

Gamma ad Regem Calecutanum accedit.

Habebat secum Gamma fratrem Paulum, ei tanquam vicario suo mandauit, scaphas vti quotidiè ad littus paratas haberet, ac si quid accideret, quo minus ad naues redire posset, ipse nulla eius habita ratione Lusitaniam repeteret, & Emanueli Regi inuentæ iam Indię ac totius itineris rationem diligenter exponeret. Hoc facto delectis ex vniuerso comitatu duodecim socijs, splendidissimo indutus vestitu, cum scaphas versicoloribus vexillis tapetibusque & omni tormentorum apparatu adornasset, ingenti omnium gratulatione ad littus accessit. Descendenti præsto erat Catuales,

vnus ex illis, qui iuri peregrinis dicundo præsunt, cum vario cantu, & magna militum baiulorumq́ue qui sarcinas portarent, (equi enim & iumenta cætera eo tempore apud Indos in vsu non erant) manu. Mox igitur Gammam tetraphoro impositum ad vrbem Calecutum primo, indeq́ue Pananem deportauit, tanto populi concursu, vt ex spectandi certamine & rixa non pauci eli si- & perempti sint.

Gamma quomodo à Rege Calecutano exceptus sit.

Ad regiam vt peruentum est, à dynastis aliquot, quos ipsi Caimales vocant, honorificè primum excipitur, mox Brachmannorum siue sacerdotum Antistes linteatus obuiam ei prodijt, & manu leniter apprehensum, longo cubiculorum ordine, denis aulicis ad ostia singula stationem agentibus, in amplum conclaue perduxit. Stratum erat pauimentum holoserico viridi, parietes vero bombycina peristromata intertexto auro magnificè vestiebāt, ligneis gradibus affabrè factis in theatri formam circumquaque eminentibus, vt proceres in illis sedere possent. Rex in ornatissimo lectulo decumbebat, gossypina coloris niuei tunica, aureis conspersa rosis, gemmeisq́ue fibulis admirabili splendorē connexa, indutus. Caput cum pretiosis inauribus pileus aureus contegebat in tiaram consurgens, vario gemmarum vnionumq́ue contextu, brachia cruraq́ue de more gentis nuda, armillę aureæ decorabant. Astabat ex apparitoribus sine ministris quidam ætate prouectus, in aureo disco Malabaricum Betel tenens, quæ folia principes Indi assiduè ferè mandunt, commendandi halitus, leuandæ sitis, & educendæ pituitæ gratia.

Calecutani Regis ornatus regius & splendidus.

Zomo-

Zomorinus vero quanquam colore ſubnigro, tamen & proceritate membrorum & toto corporis habitu geſtibuſque dignitatem regiam haud dubiè præferebat. Gamma ſalutatione peracta conſidere cum ſocijs iuſſus, per interpretem exponit, Emanuelem Luſitaniæ Regem Calecutani Regis fama commotum, fœdus & amicitiam ipſius iam pridem expetere, cumque coràm congredi & iungere dextras locorum interualla prohibeant, legatum pro ſe miſiſſe, ni rem aſpernetur, confidere ſe, eam ſocietatem vtrique non parum ornamenti cómodique allaturam. Prolata deinde ſunt munera & literæ cum Arabico tum Luſitano ſermone conſcriptæ. Ad ea Zamorinus breuiter, Emanuelis fratris voluntaté ac propenſionem erga ſe vel ex eo elucere, quod ſe tam honorifica legatione, per tot diſcrimina laboreſque vltro compellandum & ſalutandum exiſtimarit. Quod ad fœdus & commercium attineat, rem ſine controuerſia conuenturam. Ediſſerit ſimul quas ex ſuo regno merces auehi, quaſque ad ſe importari viciſſim expediat, cumque de nauigatione deque itinere ſciſcitatus multa eſſet, Gammam & ſocios in lauta hoſpitia benignè diſtribuit.

Gammæ insidiæ apud Calecutanum Regem ſtruuntur.

His rebus, vt fit, extemplo vulgatis, cum cæteri mercatores, tum Saraceni præcipuè atque Arabes magnoperè commouebantur, moxque ex capitali in Chriſtianos odio, cum præſertim negotiationibus ſuis non parum metuerent, inſtitutam hanc nouam ſocietatem omni conatu dirimere laborabant. Varijs igitur criminationibus Gammam apud Regem proſcin-

dunt, ſpecie legationis piratam aduenisse dicentes, qui mari vndique infestum latrocinijs reddidiſſet, emporiaque rapinis & cædibus vaſtaſſet, Deinde ad aulicos cõuerſi, haud difficili negotio eos in ſuam ſententiam, auri argentique interuentu pertraxerunt, ipſiq; Catuali, cui hoſpitum erat cura concredita, perſuaſerunt, vt Gammæ per ſummam officij ſimulationem, extremam perniciem ſtrueret. Cum igitur Rex ad facinora iſta conniueret, de omnibus conſilijs & imminente exitio per Tunetanum quendam Monzaidem Hiſpanicæ linguæ peritum, cui cum Luſitanis in Africa olim cõſuetudo interceſſerat, Gamma repente certior factus eſt, eiuſdemque ſuaſu quam occultiſſimis itineribus, ad naues ſe recepit.

Gamma ex India Vlyſiponem iterũ reuertitur.

Poſtquam igitur ex portu in altum profectus eſſet, Indo cuidam literas ad Zamorinum dedit, quibus præter acerbas querimonias de hoſpitio violato, paratiſque ſibi nulla ſua culpa inſidijs, hominem hortatus eſt, vt repudiatis improbis ſuaſoribus in priſtino conſilio permaneret. Ad eas querimonias etiam atque etiam purgare ſe Zamorinus, & omnem culpã in adminiſtros conferre viſus eſt, de inſidijs ſe diligenter quæſiturum, & in autorem animaduerſurum pollicitus, ſimul vero etiam ad Emanuelis literas, amicitiã eius & gentis Luſitanicę commercium gratiſſimum ſibi fore reſpondit. Cum hoc igitur reſponſo Gamma Anchediuam inſulam, leucas à Calecuto quinquaginta plus minus diſtantem petijt, inde in Europam curſum intendit, atque Indicum Arabicũque Oceanum remenſus, ad Aethiopiæ primũ

deuenit

deuenit littora, hinc Melindem, vti promiserat, appulit, assumptoque Regis legato, Zanzibarem inde insulam amœnitate & fertilitate insignem petijt, mox Mosambicum traiecit, fixaque ibi columna, postquam ad aquationem Sancti Blasij processisset, Bonæ Spei promontorium denique circumuectus, Hesperidas primum, deinde Tertias, quas vocant, insulas, postremo Olisiponem Dei beneficio assecutus est, mense Septembri Anni 1499. postquam biennio paulo amplius indidem abfuisset. Emanuel igitur aduenienti Gammæ, viros ex vniuersa nobilitate primarios obuiam misit, nouisque honorum titulis & vectigalibus auxit, nauarchis socijsque eius præmia tantis laboribus tantoque Rege digna persoluens.

CAP. IV.

DE AFRICA IN GENERE.

Constat ex superiori capite, nobilissimam Orientalis Indiæ prouinciam, quæ Europæis hactenus ob longinquam nauigationem incognita prorsus fuit, à Vasco Gamma Portugallensi, sub auspicijs Emanuelis Lusitaniæ Regis primo detectam & perlustratam esse, superato Bonæ spei promontorio, & vniuersa Africa penè circumnauigata, quod quidem facinus non exiguum emolumentum vniuersæ Europæ attulit, ob immensam aromatum gemmarumque & aliarum preciosissimarum rerũ copiam, quæ inde ad nos transferuntur. Cæterum cum promontoria quædam, insulæque &

regna varia ad Africam pertinentia eadem simul opera detecta fuerint, & vero etiamnum Africæ littora circum circa necessario legenda sint hac illacve Indiam versus nauigantibus, paucula hic de Africa primum in genere, postea de promontorijs insulisque & regnis aliquot Africæ maritimis, quorum in sequenti historia mentionem subinde facere necesse est, annotare, necessarium omnino putamus.

Africa vnde sit dicta. Africa igitur, habitatæ terrę pars in meridiem vergens, ab Afro quodam ex Nohæ posteris, velut Festus Grammaticus vult, à Græco φρίκη, quod horrorem seu frigus significat, denominata est, diciturque Africa quasi sine horrore aut frigoris rigiditate, quod sit aperto cœlo, arenosa, arida ac sabulosa. Separata est ab Europa mediterraneo, ab Asia vero rubro mari, & licet veteribus aliquo modo cognita fuerit, nō tamen ex toto ipsis explorata & perlustráta fuit, tum quia in mediterraneis locis ob vastissimas solitudines, & arenosa inuolucra, quibus à vento agitatis homines periclitā-tur, permeabilis minimè videretur, tum etiam quia propter immensas & periculosas nauigationes à paucis circumnauigaretur. Nostro vero hoc tempore à Lusitanis pluries circumnauigata, & satis diligenter perlustrata est, postquam à Vasco Gamma, qui vt supra dictum, primus ad Calecutū Indiæ peruenit, iter quasi reliquis patefactum est.

Africæ quātitas & cur malè habitata. Est autem eius forma seu figura peninsulam quasi referens, quæ isthmo, qui est inter mare mediterraneum & sinum Arabicum, seu mare rubrum, Asiæ coniungitur, ac duplo fermè Europam

rupam excedit, tametsi habitatorum eius vix partem habeat mediam, idq; propterea, quod aquarum inopia solum plerisque in locis incultum, & aut sterilibus arenis, inanique puluere obductum, aut solis ardoribus cuncta exurentis obnoxium deprehendatur, sed & venefici generis animalium & ferarum bestiarũ tantus ibi prouentus est, vt alicubi ægrè, alicubi nullo pacto præ illis infestissimis, ager tametsi fertilis, coli aut habitari queat. Veteres quidem eam squallere tot locis & desertam esse ob hanc causam putarunt, quod cum Aequinoctialis circulus mediam pene secet, eã maiori ex parte intra duos tropicos, sub Zona torrida contineatur, quam ipsi Zonam ob nimium æstum habitari non posse crediderunt. Verum si rem penitius introspiciamus, causam in vastis solitudinibus, sabuloso solo ac sterilibus arenis, nec non in aquarum penuria & venenatorum animalium insidijs ponendam rectius esse deprehendemus.

Africæ fines & termini.

Cæterum locis illis, quibus colitur Africa, admodum fertilis est, colles enim & valles eximiè habet frugiferas & amœnas, vnde perpetuum quasi ver ibi apparet, & incolis habitatio exoptata parata est. Terminatur autem septentrionem versus, mediterraneo mari ac freto Herculeo: versus ortum sinu Arabico seu mari rubro clauditur: versus meridiem post caput Bonæ spei, immenso Oceano quem Aethiopicum nominant, finitur: versus occasum autem Oceano Atlantico alluitur, qui ab Atlante quidem monte nomen habet. Nam inter plurimos quos Africa habet montes, principẽ

Atlas mons Africæ altissimus.

locum Atlas tenet, qui immanibus, & supra quam credi facile possit, altis iugis è media arenarum vastitate consurgens extollitur. Suũ autem ab occasu exortum habet, vbi & mari seu Oceano nomen imponit, & inde perpetuo dorso variè flexus in Orientem ad confinia Aegypti loca sese extendit. Est autem rotundus, arduus, incisis vndique rupibus præceps ac inuius, frigidissimus item, & opacus, omnique ex parte nemorosus, & verticem nubibus semper tectum habens. Ab ea parte qua Oceanum spectat sterilis, ab altera verò qua Asiam minorem respicit, nascentibus sponte frugibus fertilis, & arborum, quæ lanugine sericis velleribus nihilo viliore vestiũtur, feracissimus. Montis huius vertex altis etiam in æstate niuibus operitur, sed & dorsum eius incrudescente Borea, nonnunquam alta niue arbores superante tegitur, qua non tam pecudes quàm homines interimuntur, præterea fontes qui isthic reperiuntur, in æstate frigidissimi sunt, adeo vt si quis manum in eis aliquandiu teneat, ea exanimetur.

Lacus & fluuij in Africa. Lacus in Africa aliquot tantæ magnitudinis inueniuntur, vt maria potius esse videantur. Præcipuus autem est *Zambre* aliquibus dictus, cuius ambitus ad 50. leucas patet, & qui Nilo fluuio ortus sui initium præbet. *Nilus.* Hic omnium totius orbis fluuiorum nobilissimus Aegyptũ diuidit & sua inundatione fœcundissimã reddit, cum ea quadraginta diebus crescat, & totidem iterum singulis annis decrescat, à die népe 17. Iunij, vsque ad 6. Octobris præter Nilũ sunt ibi adhuc alij notatu dignissimi fluuij, népe Niger *Niger.*

pe Niger, regionis Nigritarum, vulgo Rio grāde, vt quibusdam placet, dictus, quem quidam è Nilo deriuari volunt, cum ad Nili instar per 40. dies crescat, & postmodum totidem diebus iterum, eodem, quo Nilus tempore, decrescat, qua quidem inundatione sua, tantam Nigritarum solo fertilitatem affert, vt nihil ipso fructuosius excogitari possit. Est & Senaga fluuius notatu dignissimus, Nilo ob longissimum eius cursum & animalium in eo conspectorū varietatem non inferior. Hic nigredinis horū populorum terminus, homines coloris varietate discernit. Nam qui citra ipsum habitant, colore sunt cineritio & exiguæ staturæ, qui vero vltra ipsum degunt, nigerrimo colore infecti sunt, proceram staturam habent, & eleganti proportione præditi sunt, reliquis qui circa eius ripam habitant, medium quodammodo inter hoc statum obtinentibus. Ortum ex duobus lacubus ducit, qui hodie sunt lacus Goagæ & Nubapalus. Mittit autem magnam piscium & aliorum animalium varietatem, nēpe Hippopotamos seu equos marinos, Crocodilos, serpentes alatos &c. Eadem vero & fluuius alius Gambra dictus animalia profert, qui inter Senagam & Nigrum medius, magnitudine & profunditate sua Senagam superat, & multis subinde fluuijs augetur. Zaire fluuius ab eodem lacu, à quo Nilus emanat oritur, cursu suo multas insulas facit, & receptis multis fluuijs, tandem in Oceanum Aethiopicum se præcipitat. *Senaga.* *Gambra.* *Zaire.*

Alit Africa innumera animalium genera,

tam

tam domestica quam syluestria, vt sunt Elephas animal docile, Giraffa, animal syluestre, Camelus animal blandum & domesticum, Equus barbaricus, Equus syluestris, Bubalus seu bos syluestris, asinus syluestris, Arietes cauda solum à nostris differentes, quam latissimam & plus minus 20. libras pendentem circumferunt: leones, leopardi, simiæ, feles zibetum mittentes, pisces & animalia aquatilia innumera, vtpote Ambara prodigiosę admodũ formæ, Hippopotamus, Bos marinus, Crocodilus, Dracones, serpentes, & alia.

Animalia varia in Africa.

Morbis Africa permultis subiacet, ex his vero Gallicus in Barbariæ tractu admodum frequens est, & tantæ pertinaciæ, vt raro aut nunquam eo correpti, ad sanitatem plenariam restituantur, contra vero in Nigritarum regione & circa Atlantem, paucis notum hoc malum est, quin imò si quis hoc morbo infectus ad has se regiones contulerit, ob optimam aëris harum regionum temperiem, sanitati facillimè etiam absque vllo medicamento restituitur. sic pestis etiam Barbariæ gentes sępe infestat, quæ tamen in Numidia vix centesimo quoque anno accidit, & apud Nigritas prorsus ignoratur.

Morbi in Africa.

Populis Africa varijs habitatur, quorum alij gentiles sunt, alij Mahumetani, alij Iudæi & alij Christiani, loquunturque diuerso prorsus idiomate, vt natio altera alteram non intelligat. Nam Romanorum quidem veterum temporibus in sex prouincias distributa fuit. Ptolemæus verè duodecim eius regiones li. 4. numerat, quæ sunt, Mauritania Tingitana, Mauritania

Africæ regiones ex Ptolemæo.

tania Cæsariensis, Numidia, Africa propria, Cyrenaica, Marmarica, Libya propria, Aegyptus superior, Aegyptus inferior, Libya interior, Aethiopia sub Aegypto & Aethiopia inferior.

Nostro autem tempore Africa in occidentalem & orientalem diuiditur. Occidentalis partes quatuor continet, Barbariam nempe, quæ regna quatuor Maroci, Fessæ, Teleusinum & Tunetanum habet: Numidiam, Libyã, & Nigritarum terram, cuius 25. regna scriptores numerãt, quæ tamẽ à tribus hodie regibus, Tombuti nempe, Borni & Gaogæ gubernantur. Orientalis vero Africa, Aegyptum continet & Aethiopiam, quæ in superiorem siue interiorem, vbi Abyssinorum seu presbyteri Ioannis imperium est, & in inferiorem siue exteriorem diuiditur, quas hoc quidem tractatu omnes persequi, instituti nostri ratio non admittit, cum de quibusdam saltem promontorijs, insulisque & regnis maritimis, quæ Indiam orientalem petentibus necessario occurrunt, paucula referre decreuerimus. *Africæ diuisio & partes*

CAPVT V.

DE DVOBVS ILLVSTRIBVS AFRICAE *promontorijs, quorum alterum viride, alterum Bonæ spei vocatur.*

PRomontorium viride, vulgo Capo Verde, illud est, quod à Ptolemęo Arsinarium nominatur, inuentumque est statim sub initium Anni 1474. tẽpore nimirũ Alphonsi V. quẽ Hẽrici in laude & gloria nauigationum Indicarũ successo- *Promontorij viridis situs & descriptio.*

successorem fuisse supra diximus. Terminatur duobus fluuijs Gambra & Senaga, quos Stachirim & Daratum veteres dixerunt. Superato enim fluuio Senaga, promontorium hoc paulatim appropinquare incipit, estque cognitu nō admodum difficile, si quis eleuationem eius, quæ 15. graduum est, probè obseruet. primum enim cacumen est, colle duplici in mare longe lateque excurrens. Ab vtroque latere tam Aquilonem quam Austrum versus à continente ita discernitur, vt ad Austrum insulam quādam habeat, vbi ab auium subinde ibi nidulātium copia, ouorum semper aduentantibus ingens suppeditatur numerus. Post insulam hanc rupes cernitur, ei quidem coniuncta, sed ita tamen, vt interstitium aliquod inter vtramq; relinquatur.

Insula ista accessu admodum formidabilis est, & propter latentes in vndis scopulos nauigia facile non admittit, itaque ad insulam quandam aliam cursum dirigere præstat, quæ tribus vel circiter leucis ab illa abest, nullis habitata populis, nec vllius rei, præterquam lignorum & lapidum ferax. Continens regio multis habitatur Aethiopibus, qui mercimonia cum omni natione exercent, vnde etiam multarum hodie linguarum, inprimis autem Lusitanicæ & Gallicæ gnari reperiuntur. Populus fere omnis, præterquam quod pudenda habet tenui linteolo obtecta, nudus incedit. Qui vero vel magistratum gerunt, vel nobilitate alijs antecellunt, nitidiori plerumque indumento vtuntur, & externo cultu à vulgaribus dignoscuntur facile, amiculo enim vestiuntur

Aethiopes variarum linguarum periti.

tantur goſſypino oblongo, induſij muliebris formam referente, quod inſtar teguméti, quod ceruicalibus noſtrates plerumque inſternunt, varijs cærulei coloris lineis pictum & ornatũ eſt, brachijs vero cruribuſque frequentes ex corio ſacculos quadrangulari forma factos alligatos geſtant, quibus quid incluſum habeãt, cognoſcere ab illis nemo adhuc potuit. Monilia inſuper a collo dependentia habent, dẽtes nimirum equorum marinorum funiculo ſiue chorda ad modum ſphærularum precatoriarum traiectos, & orbiculis vitreis varij coloris, quos ab Hollandis & alijs redimunt, diſtinctos atque exornatos. Capiti vero pileolũ imponunt eiuſdem cum indumento coloris atque formæ.

Populorum in promontorio viridi veſtitus.

Populus alioqui prudens & circumſpectus, victum ex agricultura quærit, oryza & frumento alio contentus, opes quas poſſident, ex pecoris permutatione habẽt, exiguus enim eius ibi prouentus eſt & ſumma caritas. Ferrarios ibi fabros reperias quam plurimos, tractandi & cudendi ferri peritiſſimos, quod etiam in magno apud eos exiſtit precio. Inprimis vero ferri laminis in haſtarum morem deductis delectantur, eius enim & in piſcatura & in agricultura magnus apud eos vſus eſt, quin etiam varia ex eo arma parare & conficere norunt, nempe ſagittas, ſpicula miſſilia, haſtas & id genus alia. Agnitionem Dei exiguam vel nullam habent, ſed in ea tamen qui cum peregrinis multum conuerſantur, alijs meliores exiſtunt. Religio alioqui ipſorum, Mahumeticæ impietati non multum abſimilis eſt, vnde

Matrimonia populorum in promontorio viridi.

Religio & mores populorum ad promontorium viride.

circum-

circumcisione etiam vtuntur. Ad libidines admodum procliues sunt, præterquã enim quod viris tot habere vxores concessum, quot alere & sustentare possunt, mulieres etiam in Venerem adeo feruntur, vt suis non contentæ viris, alienum subinde cubile sectentur, & inprimis peregrinorum appetant concubitum.

Populorum ad promontorium viride habitantium Rex ad christianismum cõuersus, interficitur.

Intra duo quæ diximus flumina populi habitant, quos vulgus Ialophos appellat. Horum Rex, nomine Bencoinus, contracta cum Lusitanis amicitia, cum crebris muneribus à Ioanne Lusitaniæ Rege ad Christianismum sollicitatus, nullis vnquam rationibus adduci posset, vt hoc vitæ genus assumeret, idipsum vt vltro exoptaret, deniq; malo miserijsq; coactus est. Propinquorum enim insidijs regno pulsus, cũ illud frustra sæpe recuperare tẽtasset, victus aliquoties fugatusque ad extremũ in Lusitaniam exul cum paucis perfugit, auxilium à Rege supplex expetens. Quo facilius autem id impetraret, baptizari cum suis, & Ioannem se de Regis nomine dici voluit. Factum est id Anno post Christum natum 1491. mox igitur baptizatus Ialophus in Lusitaniæ Regis ditionem iure beneficiario ac voluntaria deditione concessit, ac se modo amissa reciperet, Lusitanis ad interiores Libyæ Reges, & pretiosa metalla ducem fore professus est. Paulo post cum exulis & nota probitas & afflicta fortuna, Lusitanum Regem & Regni principes ad misericordiam allexisset, idoneo subsidio iuuandum eũ ratus Ioannes, viginti validas naues deduci & omnibus rebus ornari imperat. In eam classem præter nautas & propugnatores, Euangelici quoque

quoque præcones impositi, additique fabri, & ne materiæ inopia laborandum foret, cæmenta aliaque instrumenta imposita, iam enim Regis istius consensu, Lusitanus arcem ædemque sacram in Senagæ ripis, opportuno ad merces exponendas loco, excitare decreuerat. Verumenimvero omnis iste apparatus paulo post irritus factus est, siquidem delata iam ad Senagam classe & castello inchoato, Petrus Vasæus cognomento Bisacutus, cum paucis diebus cõplures ibi Lusitani perijssent, vel fraudis suspicione incitatus, vel cœli solíque pertęsus, sine metu versantem in naui Ialophum Regem, pugione confodit, quo facto naues, non exiguo cum Ioannis Lusitaniæ Regis dolore, in Lusitaniam reuersæ sunt.

Lusitani ad promontorium Viride, Hispanum Dominum non agnoscunt.

Cæterum Lusitani qui hodiè ibi habitare deprehenduntur, Hispanum Dominum non agnoscunt, & propterea libera cum nationibus populisque omnibus commercia exercẽt, non tamen dominium exercere vllum præterquam in mancipia & seruos suos ipsis permissum est, omne enim penes superiores & præfectos, quos pagus quilibet peculiares habet & Algaieres vocat, imperium residet, qui simulatque naues exoticæ portum aliquem ingrediuntur, scaphis suis aduecti portorium ab illis exigunt.

Bonæ Spei promontorium quando inuentum & cur sic appellatum

Promontorium Bonæ Spei, vulgo Capo de bon Esperance, vltimum est terræ Africæ ad meridiem promontorium & periculosissimũ, inuentum primo Anno 1493. vel circiter, à Bartholomæo Diazio, qui cum domum reuersus, in explicanda apud Regẽ itineris ratione, ad

deſcriptionem eius perueniſſet, idq; ob atrociſſimas circa ipſum exortas tempeſtates, procelloſum caput iure appellandum eſt diceret, Rex Ioannes ſtatim, Bonæ Spei id caput eſto ſubiecit, vnde illi hoc nomen ſtabile poſtmodum & firmum hactenus permanſit. Nautæ aliqui Leonem Oceani illud ob ventorum ibidē ferè ſemper ſæuientium rugitum cognominarant, ſiquidem Oceanus circa ipſum, vētis perpetuo ſæuientibus, mirè procelloſus eſt, vnde nauigantes ad illud non niſi neceſſitate coacti appellunt.

Solent ex more antiquo nauium gubernatores ad promontorium hoc delati nauigātibus ſalutem acclamare, quod hoc ſuperato itineris iam in Luſitaniam ſecuri, certo ſciant, à vētis ſe in Indiam retropelli non ſolere, cum ante tranſmiſſum hoc promontorium omnia adhuc dubia ſint, vt non immerito, vel hac etiam ratione Bonæ Spei nomen obtinere videatur. Verè autem ſuperati promontorij ſigna certiſſima ſunt primo fluctuantes in mari congeries ex arundine & alga contextæ, deinde apparentia quarundam volucrum, quas Luſitani Feyſones dicunt, hirundinis magnitudinem nonnihil excedētes, in colore cādido quāplurimis per vniuerſū corp⁹ nigris maculis interſtinguuntur, quibus ab auibus alijs internoſci facile poſſunt. Quod ad regionē promōtorij huius attinet, ea ſalutaris & benè tēperata eſt, habitationi & variorū fructuū culturæ apta perquā & cōueniens. Quāuis enim montoſa appareat & collibus multis diſtincta, interim tamē etiā multis vallibus, ſyluis, pratiſq; decorata eſt, grami-

Superati promontorij ſigna.

Regionis ad promontoriū Bonæ Spei deſcriptio.

gramina & flores suauissimè olētes magna copia producit, ceruosque & feras bestias alias multo numero nutrit, quæ omnia visu & aspectu lōgè iūcūdissima existūt. Præterea limpidissimis fontibus scatet quaplurimis, qui non sine gratissimo susurro de mōtibus altis prorūpētes fluminibus sese passim insinuāt, & cū eis postmodū in mare exonerarētur. Abūdat insuper ouiū, boū, aliorūq; animantiū copia satis magna, & incolas habet colore subflauo, aspectu truculēto, statura mediocri, & macilento graciliq; corpore, pedū magna sunt celeritate, sermonē habēt peculiarē, & vestitu ex ceruorū aliorūq; animantiū pellibus cōsuto vtūtur, qui pallijs, quibus nos per plateas incedētes vtimur, conferri haud incommode queat.

Cū Anno 1601. Batauorū aliqui, sub Georgij Spilbergij imperio, tribus nauibus ex Selādia in Orientalē Indiā nauigationē instituissent, & nō procul à promōtorio Bonæ Spei abesse se putarēt, ad insulā quandā appulerūt, 20. leucis, à promontorio distantē, sub 32. eleuationis gradu. Huic Elisabethæ nomē Præfectus dedit, erat autē multis herbis, gramine, floribusq; odoriferis ornata, lignis tamē & aqua dulci carēs, hominibusq; nullis habitata. Inueniebātur ibi lupi vel vrsi potius marini, nā vrsorū magis quā luporū formā referebāt. Insidebant autem passim petris rupibusq; insulæ exterioribus, posteriori corporis parte claridicātes, pedes n. posteriores manib⁹ similes habebāt, flaccidos omnino ita vt trahere eos post sese cogerētur. Sed licet officiū suū pedes posteriores non facerent, currendo tamē vel homines præuertere poterant.

Insulæ quā Batavi Elisabetham vocarunt descriptio.

Vrsi marini circa caput Bonæ Spei.

 Aspe-

Aſpectu erant truculento & horribili, dentibus adeo valentes, vt vel tribus viris negotium faceſſere ſimul & ſemel poſſent, ſpem omnem in celeritate pedum repoſitam habentes, qua poſt reluctationem haud exiguam tandem vtebantur. Præterea aues tanta ibi affluebant copia, vt vix ſuſtinere earum impetum Hollandi poſſent, & veriſimile videretur, nullos ipſis vnquam homines viſos fuiſſe.

Sinus menſalis circa promontorium Bonæ Spei deſcriptio.

Digreſſi ab hac inſula, in ſinum quendam deferebantur, quem menſalem præfectus vocabat, à monte quodam excelſo admodum, qui leucis quindecim à promontorio diſtans, in vertice planam & quadratam aliquam tabulam ſiue menſam referebat. Commodam autẽ nauibus ſtationem præbebat, ſiquidem illæ quamproxime ad terram adduci poterant, nec quicquam periculi à ventis alijſque tempeſtatibus metuere neceſſe habebant. In orientali capitis ſiue promontorij Bonæ Spei plaga, fluuius ſeſe quidam in continentem terram effundit, limpidiſſimus: cũ Iaquelinũ præfectus, quod Hollandis, ſæpius eo excurrentibus, ingentem piſcium, Cyprinos noſtrates colore & ſapore referentium, copiam præberet, vocabat.

Hollandorũ cum populis ad promontorium Bonæ Spei habitantibus cõmercium.

Anno 1595. cum naues quatuor ex Hollandia Indiam orientalem petituræ ſoluiſſent, & vero ad promontorium Bonæ Spei acceſſiſſent, præfectus earũ, miniſtros aliquot, terrã illã perueſtigatũ emiſit. hi cũ aliquouſq; progreſſi eſſent, in incolas eius loci, ſylueſtres & barbaros homines inciderũt, cumque ipſis nutibus ſigniſque qualibuſcunque innuiſſent,

vt pro

vt pro ferro pecudes secum permutarent, petitioni annuentes, mox oues aliquot adduxerũt. Hollandi baculum ipsis ferreum 30. librarum pro ouibus sex reponebant, cumque oues sese plures adducturos promittere viderẽtur, Hollandi merces suas sacco asportatas ipsis spectãdas apponebant, itaque illecti illis de emptione iam inter se certabant, & tantum ouium boumque adigebant multitudinem, vt pro cultro carnario bouem acquirere, & pro baculo ferreo 70. librarum duos præpingues tauros cum tribus ouibus recipere Hollandi potuerint. Sed & pro incuruo cultro, securi, pala, breui iaculo ferreo, & exiguo crudi ferri frustulo tres boues & oues quinque acceperunt, licet ferramenta illa omnia, pretium quatuor florenorum Hollandicorum non excederent.

Incolarum promontorij Bonæ Spei mores.

Homines erant staturæ breuioris, coloris fusci, rubore perfusi, Nudi incedentes pelle bouina crines introrsum versos habente, ad pallij modum parata vestiebantur. Lumbis fascia lata ex eodem corio decisa cingebantur, ita vt portio quædam inde propendens pudendis obduceretur. Calceorum loco quidam tenues asseres plãtis pedum suffixerant, brachia armillis ex ebore & cupro politis, digitos vero quidam etiam annulis aureis ornauerant, corporibus stigmata varia inusta habentes, verum cum adipe & seuo sese perpetuo inungerent, odorem tetrum semper spirabãt. Domos vxoresque eorum Hollandi non conspexerũt. Circa collum, fragmenta quædam ossium, & resiccatæ carnis portiunculas, ornamenti loco alligatas habebant, cumque Hollandi bouẽ

aliquando mactarent, ipsi intestina rogantes, adhuc cruda, excrementis vix obiter emissis, spectantibus Hollandis deuorabant, vt de moribus eorum coniecturam inde facere difficile non esset.

CAP. VI.

DE ILLVSTRIBVS IN OCEANO ATlantico insulis, quas Azores, Canarias, & virides vocant.

Insulæ ad quas appellere nauigantes solent quæ sint.

INsulæ circa Africam permultę sparsæ sunt, quarum tamen maior pars nihil notatu dignum habet, præcipuę autem & ad quas naues in Indiam velificationem instituentes appellere, plerumque solent, sunt in Oceano Atlantico, Azores siue Flaminiæ, Canariæ siue Fortunatæ, & virides in Oceano Aethiopico, Insula principis, S. Thomæ, Ascensionis, & Sanctæ Helenæ, tandem post caput Bonæ Spei in sinu barbarico, quod asperum mare Ptolemæo est, insignis maxime est insula Madagascar, quã Diui Laurentij hodie vocant.

Insulæ Azores quot sint & cur sic dictæ.

Insularum Azores siue Flaminiarum septem sunt, 1. Tercera, 2. S. Michaël, 3. S. Maria, 4. S. Georgius, 5. Gratiosa, 6. Pico & 7. Fayael. Dicuntur Azores ab accipitribus, qui primo inuentionis tempore magno ibi numero visebantur. Flaminiæ vero nuncupantur à Flaminijs, siue Belgis, qui primi insulam Fayael incoluerunt, vnde adhuc hodie certæ familiæ ibi illustres sunt, Belgarum ingenium, mores & consuetudinem repræsentantes. Harum insularum caput est Tercera siue Tertia, quæ leucas fere 16. magna est. Terra ipsa montosa & sco-

Tercera insulæ descriptio.

pulosa,

pulosa, plurimisq; locis inaccessa est, portum habet tutissimum, qui quod ad patentis oris, seu dimidiæ lunæ similitudinem hiscat, à Lusitanis Angra dictus est, quod nomen ipsi etiam ciuitati mansit, quæ ad alterum latus duos altissimos montes, ad formam brachiorum extensorum recuruatos habet, qui in patentem Oceanum latè porrecti, ciuitatem à continenti quasi reuulsam aut præcisam repræsentant. Montes ibi Bresilij vocati tantis in aërem fastigijs efferuntur, vt sereno cœlo ad 15. vel amplius leucas prospectus inde in mare penetrare possit, itaque in verticibus duæ ex lapide columnæ extructæ videntur, ad quas stationarius quidam perpetuas excubias agens, naues quascunque mare sulcantes notat, & illarum indicium insulanis facit, tot vexillis columnæ vel occidentali, si ex India, Guinea, Brasilia &c. vel orientali, si ex Lusitania & alijs locis aduenìant, quot naues numerauerit affixis. Quod si naues vno comitatu, quinarium numerum excedant, tum vexillum vnicum, sed grandius profertur. Indicio ergo aliquo facto, insulæ Gubernator cum consiliarijs suis delìberat & necessitatibus omnibus diligenter prospicit. Ad radices montis castellum quoddam siue propugnaculum in extremo maris angulo situm est, quod è regione oppositum sibi aliud simile habet, & his quasi terminis quibusdam clauditur & defenditur accessus seu introitus portus illius, ita vt sine horum permissu nulli nauium, aut stationem illā occupare, aut ex illa egredi liceat, vnde hæc ciuitas Angra vt totius insulæ Terceræ, sic

Angra portus & ciuitas in Tercera insula præcipua.

Bresiliorum montium altitudo.

finitimarum omnium caput & firmamentum habetur.

Tercerae insulae fertilitas.

In Tercera insula frumentum & vinum magna copia colligunt, sed infirmum tamen & nullam ætatem ferens Carnis, volucrum, piscium & aliorum animantium nullam inopiã incolæ sentiunt, oleum tamen natiuum non habent, sed ex Lusitania, sicut & vasa fictilia resq; alios aliunde expetunt. Ex fructibus autem persica cum primis copiosissima, & ad miraculum vsque genera varia habent, alijs non ita copiosis. Nascitur autem planta ibi, quæ radicem raphani in morem deorsum in terram agit, folijs tamen vitem ferè referentibus, quæ sparsim quasi quibusdam pediculis humo sese diffundunt, fructum tãdem valde sapidum, pomi magnitudine afferens, quem ipsi Batatas dicunt. Sed & planta ibi alia ad modum fruméti seritur, ad cuius radices granula rotunda, magnitudine pisi protuberant, ipsis lunsa dicta, quæ cibum valde suauem & exoticis alijs desideratissimum præbent. In syluis vero & solitudinibus insulæ, planta alia prouenit, quæ altitudinem stantis viri æquans, sine vllo fructu emergit. Radix autem geminos compressos pugnos appendens, comam flauescentem visui, tactui vero mollissimum sericum offert, quam incolæ pennarum seu plumarum loco, culcitris ad parandos lectos indunt. Victum vero Insulani maxima parte ex venditione Pasteli, (planta ea est, tinctoribus ad colorandas lanas apprimè apta) corrogant, quam magna copia Anglis, Scotis, Gallis & alijs vendunt, aut cum mercibus alijs commutant.

Terra

Terra alias ipsa ferarum & volucrum valde sterilis est, si paucas saltem exceperis, & inter has potissimum Canarias, quæ aliquot myriadibus volitantes visuntur, quibus ob id captandis & quoquo versum disportandis aucupes admodum student. Coturnicum, (ipsi Cordonyssas vocant) magna quoque abundātia est, suntque adeo cicures, vt nostras gallinas æmulentur. Pisces varij sunt & copiosissimi qui æstiuo tempore potissimum capiuntur, cum hyeme mare piscatoribus intractabile sit. Ex omnibus iumentis officia & operas boum experiuntur certissimas & fidelissimas, quos tanta proceritate & pulchritudine, ibi natos habent & alūt, vt maiores vniuerso orbe haud facile reperiantur. Cornibus præsertim nobiles sunt, & quilibet suo certo nomine non secus atque homines internoscuntur, ita vt si in magno grege aliquem Dominus discreto suo nomine appellet aut prouocet, dicto citius ad vocantis heri locum se proripiat.

Aues & pisces in Tercera.

Boues nomina peculiaria habētes.

Frumentum & reliqua terræ nascentia omnia vltra annum vnicum non durant, sed nec ipsum etiam tempus attingerent, nisi aliquot mensibus in terram defossa & recondita, ista quasi præparatione ad durationem hanc promouerentur, incolarum enim quilibet à messe, illico trituratum frumentum suum foueæ singulari, communi loco & via regia ex ordine in hunc vsum factæ infert, eamque superiniecto pauco stramine, & terra superinstrata abscondit, nec ante natiuitatis festum illud inde eximit, aliàs enim vltra mēses quatuor incorruptum non seruarent.

Frumentum vltra annū non durans.

Solum

Montes igniuomi.

Solum multis ſpeluncis & cauernis excauatum eſſe, ex eo augurari eſt, quod & pedibus violenter pulſum, ad modum ollæ ſeu fornicis reſonat, & terræmotibus præterea frequentibus concutitur: ſed & igniuomi montes olim in pleriſque his inſulis nõ pauci inuenti ſunt, vnde adhuc hodie in Tercera & S. Michaele, aliqui Campi vulcanios fumos eiictant: circa quorum fauces, terra orbiculatim plerumque exuſta videtur. Sed & ſcaturigines fonteſque quidam tam feruidi ibi reperiuntur, vt ad eos non ſecus atque ad focum, oua elixari poſſint.

Fontes feruidi.

Eſt in Tercera locus quidam Cualua dictus, leucas ab Angra tres vel circiter diſtans, eius proprietatis & virtutis, vt omnia vel caſu illapſa, vel arbitrio hominum iniecta ligna progreſſu temporis in ſolidiſſimum lapidem ſeu ſaxum commutet. Cuius miraculi documentum vel ex arbore quadam huic fonti contigua accipere licet, cuius radices & trunci pars, quæ aqua iſta alluitur, ad æris vſque ſoliditatem induruit, quæ vero alterius lateris partes à contractu aquæ immunes ſunt, verum adhuc lignum repræſentant.

Fons lignorum lapidificus.

Ligna Tercera inſula pretioſiſſima.

Cedri in hac inſula tanta abundantia eſt, vt ex ea ſcaphas, currus, rhedas ſeu bigas & id genus alia extruant, nec ad fouendum ignẽ quotidianum alio quam hoc ligno vtantur. Sed & aliud lignum, ipſis ſanguinho dictum, totum rubeum, & item aliud ad cretæ cãdorem niueum, iterumq; aliud totum aureum & flauum, terra illa profert, nullius artis, ſed ſolius naturæ miraculo iſta varietate diſtincta, qua occaſione factum eſt, vt lignarij opifices plurimi

ibi

ibi consederint qui pulcherrimis mẽsis cistisque & alijs operibus parandis occupati sunt, quæ magno vendita precio in Lusitaniã deferuntur. Sed & in Pico insula, quæ 12. leucas à Tercera distat, lignum tam pretiosum & nobile, ipsis Teixo dictum, nascitur, vt præstantiam suam, nisi Regis & consiliariorum eius permissu, nulli illud suppeditetur. Duritia enim ferrum æquat, & certis instrumentis fabrefactum, coccinum nudulatum expressissimè refert, vsu indies magis magisq; effulgens, vt æstimationis haud immerito sit maximæ.

Vniuersæ hæ insulæ Lusitanis habitantur, Hispanis tamẽ militibus castellis omnibus impositis, qui tam seuera disciplina ibi coercentur, vt militũm ne vni quidem absque præimpetrata venia vrbẽ vel vno pede egredi liceat, quod in causa est, cur securã viã per omnem insulã tã noctu quam interdiu, etiam absq; vllo comitatu meare et negotiari quilibet possit. Aer ibi admodum salubris est, & propterea morborum parũ reperitur. Crebris autem turbinibus & tempestatibus insula obiecta est, tamq; valido ventorũ impetu sæpe concutitur & perflatur, vt & ferrum & lapides illorũ vehementia in puluerem quasi comminuantur, cuius quidẽ rei documentũ euidẽs Ioãnes Hugo Lindschottanus, ex crate ferrea, regij telonij fenestris præfixa, hausisse se testatur, cuius crassities cũ brachiũ viri vbiq; adæquasset, locis aliquot tã profunde ambesa fuit, vt ad straminis quasi tenuitatẽ accesserit, quod idẽ & lapidibus vsu venerat, quãuis tẽpore illo, domus dicta, non vltra sex septemve annos stetisset.

Militum in Tercera disciplina.

Tempestates ferrum & lapides comminuentes.

Fortu-

Fortunatae insulae cur sic dictae sint, & quot numerentur

Fortunatæ insulæ à veteribus in Atlantico mari positæ, propter insignem & incredibilẽ fertilitatem id nominis obtinuerunt. Hodie Canariæ dictę sunt à canum multitudine, quos in illis primum apertis Hispani inuenerunt. In nominibus earum percensendis, quemadmodum & in dispositione situque earum, magna apud veteres & recentiores discrepantia est. Plinius & Solinus sex recensent, quæ sunt, Ombrio, Iunonia, Iunonia minor, Capraria, Niuaria, & Canaria. Ptolemæus autem nominat eas Aprositum, Heram vel Autolalam, Pluitaliam, Casperiam, Canariam, & Centuriam, omnesque in rectam fere lineam à septentrione versus meridiem disponit. Moderni qui eas Anno 1402. detexerunt, septem numerant, easque alio ordine disponunt, suntque: Lanzarotta, Forteuentura, Magna Canaria, Tenariffa, Gomera, Ferraria & Palmaria. Inter illas maxima est Canaria magna, quæ antiquum nomẽ retinet, & incolas habere scribitur plus minus nouem mille. Tenariffa aliquanto minor est, putaturque esse Niuaria Plinij. Ferraria insula olim Pluitalia vel Aprositus Ptolemæo, Ombrio vero Plinio dicta putatur. Forteuentura, Capraria Plinij est & Casperia Ptolemæi. Gomeram existimant aliqui Niuariam esse Plinij, quam tamen paulo ante Tenariffam esse diximus. Palmaria insula exigua, Iunonia minor Plinij, & Centuria Ptolemæi existimatur.

Mons in insula Tenariffa altissimus.

In Tenariffa mons quidam, Pico de Terraira dictus, inuenitur, qui montium omnium quos sol videt, eminentissimus creditur, expressissime enim

me enim è medio mari ad leucas 90. conſpicitur. Eum conſcendere non niſi in Iulio & Auguſto menſibus nulli licet, reliquis enim omnibus menſibus niue obſitus eſt, licet in ſubiectis inſulis lociſque finitimis alijs nullo vnquam tempore nix appareat. Ad illum autem conſcendendum & exuperandum integro triduo opus eſt, poſſuntque ex ſumma eius parte plana & æquabili circumiacentes inſulæ omnes cœlo ſereno & tranquillo, vndiquaque expreſſe deſpici & numerari, licet illarum quædam ad 50. leucas inde diſſitæ ſint.

Ferraria inſula memorandum quippiam habet, quod miraculorum mundi non poſtremũ videri merito debet, Inſula iſta ſolum habet incultum & adeo aridum, vt ne guttulam quidem aquæ dulcis in ea reperire liceat, niſi forte locis quibuſdam mari vicinis ſcaturigines quædam reperiantur, quæ tamen, cum ab inhabitantibus quam longiſſimè abſint, inutiles propterea illis merito cenſentur. Defectũ igitur hunc in commodum hominum & animalium ibi degentium Deus Opt. Max. pro immenſa ſua largitate hoc modo ſarcire voluit. Arbor magnitudinis mediocris in inſula dicta reperitur, cuius vim & operationis modũ nemo adhuc compertum habet, cum ſimilis ei in toto orbe non inueniatur. Folio oblongo & tenui inſtar iuglandis eſt, perpetuo viridi & citra mutationem omnem turgido. Ipſa arbor parua quidem ſed perpetua eaque denſa nebula contecta eſt, quæ nec decreſcit quidem nec augeſcit, ſed folia arboris continenter irrigãs, ei quaſi materiam operi continuando miniſtrat.

Arbor miraculoſa per ennes aquas ſtillans in Ferraria inſula.

ſtrat;Ex folijs itaq; iugi generatione,clara,pel lucida & tenuiſſima aqua deſtillat, quæ pelui-bus crateribuſq́; arbori ab incolis ſuppoſitis, excipitur & colligitur,tanta quidem copia, vt & hominibus inſularibus, & eorum pecori-bus ſtillatitia illa aqua vna & ſola ſufficiat. Et de huius quidem miraculi,quemadmodum etiam de arboris iſtius principio nulli incolarũ quicquam conſtat.

Inſularum Canariarum fertilitas.

In vniuerſum autem inſulæ Canariæ valde fertiles,omniq́ue rerum neceſſariarum abundantia inſignes ſunt, paſcua & pecura habent lætiſſima,ſed & frumenti genera varia & delectabilia,abundant enim hordeo,melle,cera, ſacchari arundinibus,caſeo,pecoribus,capris, camelis & animalium pellibus. Vini autem ibidem nati tanta eſt bonitas & generoſitas, vt & ab omnibus auidè appetatur, & inde ad extera loca omnia ferè, quemadmodum & ſaccharum reportetur. Mittuut vero etiam herbam quandam Oricelo vocatam,qua panni colore puniceo inficiuntur. Cinnamomi præterea etiam lætiſſimus ibi prouentus eſt, quare mercatores tam Hiſpani,quam Luſitani & aliarum nationum quamplurimi negotiandi gratia eò commeant,&qui ex Hiſpania in Peruuiam & Braſiliam nauigant,de rebus ad victum neceſſarijs ſibi in his inſulis proſpicere plerumque ſolent.Incolæ harum inſularũ Hiſpani hodie ſunt,quamuis ex indigenis adhuc nõ pauci ibi ſuperſint,quos Guanchas vocant,ſed & hi propter commercia & negotiationes cũ Hiſpanis diuturnas,mores &ingenium eorum parte maxima imbiberunt.

Ad

Ad harum insularum partem dextram miraculum aliquod prostat, commemoratione & consideratione dignissimum. Insula quędā est, quam sanctum Borodonem vocant, ad leucas centum à Canarijs distans. Hæc quamplurimis visa, aliquando etiam non paucis addita & tuta, valde viridis & ad aspectum iucunda perhibetur, nec non arborum & fructuum ciborũq; omnis generis feracissima, à gente quadam habitata, quæ Christum agnouit quidem, sed vnde venerit, aut quā linguam vsurpet plane incognita. In Canarijs qui habitant Hispani, hāc insulam peruestigatum aliquoties nauibus se dederunt, sed certi tamen nihil de ea cognoscere potuerunt, vt inde diuersæ apud diuersos sententiæ emerserint. Sunt enim qui arbitrentur rem hanc meras præstigias esse, & certis tantum diebus horisque insulam visibilem fieri. Alijs ita persuasum est, insulam hanc & exiguam simul & nubibus coopertam assiduis, raro in conspectum venire, cum præsertim rapidissimi etiam fluctus naues ad eas accessuras inde arceant, sed quicquid sit dicto tamen loco positam eam esse, vno ore omnes affirmant, quotquot eam olim suis pedibus calcarent.

Insula modo conspicua, modo euanida.

Insulæ virides paulo superiorib* inferiores sunt, sed non eiusdem cum fortunatis præstantiæ, salis tamen admodum feraces sunt, vnde etiam salis insulæ Hollandis dicuntur. Sunt qui eas Hesperides antiquorum esse putent. Apertæ sunt autem Anno M.DLXXII. à Lusitanis quibus etiamnum habitantur, & recensentur decem numero,

Insulæ virides quot sint, & cur sic dictæ.

1. S. Iacobi vel Iagonis, 2. S. Antonij, 3. S. Luciæ, 4. S. Vincentij, 5. S. Philippi, 6. S. Nicolai, 7. Insula alba, 8. Insula salis, 9. Insula de Maijs, & 10. Insula de Fogo.

Herba in mari quàm Sargasso vocant.

Omnes hæ insulæ à continente Capitis viridis ad 160. leucas in oceanum excurrunt & extenduntur. Dicuntur autem virides, quod circa illas mare virentibus herbis veluti pratum aliquod consitum sit, adeo vt vix vnda præ illis conspiciatur, & naues non nisi cum ventorum impetu illud permeare queant. Herba petrosolini marini facie est, sed ex parte tamen aliqua flauescens, promitque in summitate grana seu bacculas quasdam vuæ crispę forma, sed intus tamen inanes & fatuas. Lusitani herbam illam sargasso nominant, quod nasturtio aquatico (hoc enim ipsis sargasso est,) non admodū dissimilis sit. Vnde autem hæc herba emergat aut proueniat, nemini exponere fas est, cum nec regio vlla ibi sita sit, ex cuius littore derasa eo transportetur, nec ex fundo maris enasci possit, cum tam profundum eo loco mare sit, vt fundo quasi carere videatur. Incipit autem apparere à gradu 20. & ad gradum 34. continua serie pertenditur, tanta densitate & copia, vt à multis totæ insulæ reputentur. Ex Lusitania quidem in Indiam tendentibus ea non occurrit, propterea quod tum iuxta littus naues ferantur, ex India vero remeantibus necessariò, nec tamen vllo alio loco apparet, stupendo sanè prætereuntium miraculo.

Hollandicū propugnaculum.

Anno 1598. cum naues quinque ex Hollandia in Indiam orientalem ablegatæ, magna dulcis aquæ & cibariorum recētium penuria, circa

circa hunc tractum laborare inciperent, & vero non lateret Hollandos, solere in portu S. Iacobi vel Iagonis, nauiculas plerumque hærere, quarum beneficio cibaria ad insulas alias transuehantur, statuerunt nocturno tempore scaphas aliquot probe armatas in portum illum ablegare, exploratum, an cibariorum aliquid acquirere possent. Cum autem re infecta scaphæ reuerterentur, ad insulam de Maijs applicantes, quosdam in terram deposuerunt, qui de aquatione inquirerent, hi sequenti die ad naues reuersi, Lusitanum quendam senio confectum cum capris aliquot macilentis secum adduxerunt, qui tentare aliquid ad insulam Iacobi modis omnibus Hollandis, dissuadebat, quod quingenti & amplius Lusitani, Aethiopes vero circiter mille & quingenti in ea numerarentur. Hollandi autem neglecta hac admonitione, vt necessitatibus suis consulerent, ad insulam illam modis omnibus contẽderunt, inueniebant autem in portu duo nauigia à rectoribus suis deserta, & in illis aquæ dulcis, vini, oleique & panis paululum, quo accepto aliquos ad Lusitanos, cibariorum aliquid & aquæ recentis petitum ablegarunt, parati enim erant præsentem ipsis pecuniam pro cibarijs refundere. Respondent Lusitani, absque consensu Gubernatoris qui peregre abesset, sese gratificari ipsis non posse, itaque Hollandi centum & quinquaginta armatos ablegarunt, qui propugnaculo Lusitanorum Praya expugnato & igne deformato, vi summa aquã dulcem (cibariorum enim nihil acquirere poterant) sibi compararunt.

CAP. VII.

DE INSVLIS IN OCEANO AETHIOPICO NAUIGANTIBUS MAXIMÈ OBUIJS.

Principis insulæ situs.

PRincipis insula in Oceano Aethiopico, tribus ferè tantum gradibus ab Aequinoctiali abest, nomen inde obtinuit, quod à quodam principe Lusitano primum inuenta & aperta fuerit. Saccharum suppeditat præstantissimum & zingiberis parum, sed & Tubaccam herbam mittit, & arborem habet, cuius pars ima 24. orgyarum crassitiem assecuta dicitur.

S. Thomæ insulæ situs & qualitas.

Sancti Thomæ insula sub Aequatore præcisè iacet, forma rotunda est, & diametrum habet 60. leucarum, in circuitu vero 180. leucas continet. Aerem sentit admodum calidum, & Aequinoctiorum tempore, mensibus nimirum Martio & Septembri magnæ ibi decidunt pluuiæ, alijs autem mensibus ros satis copiosè tellurem humectat. Nomen suum inde obtinuit, quod die Apostolo Thomæ sacro primum inuenta & detecta fuerit. Mons est in medio insulæ admodum nemorosus, qui continuis nubibus opertus est, vnde nemora illa adeo humectantur, vt quasi perennes aquas amnesque emittant, quibus agri arundinibus sacchari consiti, irrigari satis superque possunt. Et memorabile est, quod quanto sol vertici magis appropinquat, tanto magis cœlum ibi fit nubilum. Solum huius insulæ tenax est & molle, colore ad rubeum accedente, quod quidem frumentum non fert, nec vites, aut vllam fructiferã arborem cuius fructus ossa habeat. Nutrit

erit tamē melones, cucurbitas & ficus, saccharum vero tanta copia profert, vt incolæ inde magnum percipiant lucrum, namque quotannis quadraginta plus minus naues sacchraro ibi onerantur, quod incolæ in frumentum, vinū, coria, vasa vitrea, & alia ad victum & humanum vsum necessaria commutant. Fama est etiam qui in hanc insulam veniens, iustam statu-ram suam nondum assecutus est, ita manere, nec quicquam amplius proficere, sed & cadauer aliquod seu corpus mortuum, 24. horarum spacio, nimio telluris calore putrefactum cōsumitur. Locus existimatur omniū insaluberrimus, vtpote qui aerem habeat nocentissimū. Lusitani in ea Insula habitantes nigris Aethiopum vxoribus vtuntur, Europæas enim mulieres locus iste nō patitur, neq; enim diu ibi superstites esse possunt, sed statim muliebri infirmitate, menstruo nimirum, correptæ intereunt.

Locus insaluberrimus.

Saccharum antequam Lusitani eo venirent, insula non produxit, plantatum vero à Lusitanis vnà cum zingibere, radices maxima copia egit & in immensum sese dilatauit. Sunt in insula illa plus quam 70. tuguria in quibus saccharum conficitur & præparatur, habetque vnumquodque tugurium plura alia sibi coniuncta, ita vt pagum referant, in quibus trecenti plus minus commorantur, qui præparando sacchraro incumbant. Commercium habent incolæ cum populis continentis, nam continens regio 180. leucis distat, ab hac insula, quæ ostia seu portus complures habet,

Saccharum in S. Thomæ insula conficitur.

sed præcipuus adiacet vrbi in qua Episcopus cum suffraganeo & clericis suis commoratur, arcem, præsidio & tormentis maioribus pro defendendo portu satis munitam habens.

Insulæ Ascensionis situs.

Ab Aequinoctiali versus Austrum 8½. gradibus abest insula quædam, quæ quod ipso Ascẽsionis die a Lusitanis quondam detecta est, Ascensionis nomen obtinuit. Regio valde montosa est, scopulis saxisque quamplurimis referta, vt aqua dulcis in ea nulla reperiatur, quemadmodum etiam nec virentem vllam frondem ramulumve profert. Littora arena alba promicantia magna piscium copia connatantur, cæteroquin terra animalium aliorũ valde sterilis est, nisi quod propter inexhaustã piscium multitudinem aues quædam infinito grege ibi visuntur degere, quæ anserem minorem magnitudine exæquant, & turmatim ad millenas vsque cum magno & lato clamore circa malos nauium conuolitant, hominum conspectum adeo non pauentes, vt etiam intrepidè ipsorum brachijs humerisque insideant.

Aues præsentiam hominum non formidãtes.

Insula S. Helenæ quando inuenta, & eius situs.

Distans ab hac insula 190. leucas, Sanctę Helenæ insula est, quæ quod à Ioanne Noua Callæco, Anno 1504. die illo qui Sanctæ Helenæ natalis est, inuenta & aperta sit, hoc nominis sibi vendicauit. Sita est ad gradus 16. versus austrum æquinoctialis, 550. leucis à Bonæ Spei promontorio. Terra ipsa valde elata & montosa, nubibus plerumque obtecta est, alias valde cinerea & arida, velut & ipsæ arbores, ligna & syluæ ibi enatæ indicant, quarum vsus nullus alius quam ad ignem fouendum est, cũ

nec

nec ſucco nec medulla turgeant, vt non ineptè videri cuipiam poſſit montes ibi olim Vulcanios ſeu igniuomos fuiſſe, cum præſertim etiam ſulphur multis ibi locis eruatur. Modico illa quidem circuitu eſt, ſed ſaluberrimo cœlo, aquis optimis & egregia frugum carniúmque copia, loco præterea ita oportuno, vt ad recreãdas è longo itinere Luſitanorum naues, diuino conſilio ibidem enata eſſe videatur. Portugalliæ igitur Rex Emanuel, de loci commoditate edoctus, templo eam donauit, illudque S. Helenæ ſacrum eſſe voluit, duobus Eremitis monachis eò tanslatis, qui ſacra ibi peragerent.

In inſulam hanc Luſitani ſucceſſu temporis omnis generis animalia importarunt, valleſq; varijs arboribus & fructibus conſeuerunt, quæ omnia breui tempore poſtmodum, tanto numero increuerunt & aucta ſunt, vt hodierno die capreolorum, ceruorum, aprorum, perdicum, phaſianorum, columbarum &c. multæ ibidem myriades inueniantur & ad tranſeuntium neceſſitatem quotidie magno numero capiantur. Sed & ficuum, granatorum, malorum aureorum, limoniorum & fructuum ſimilium abundantia tanta ibi eſt, vt valles omnes illorum pulchritudine inſtar paradyſi cuiuſdam exornatæ & illuſtratæ cernãtur. Fructus enim illos terra fœcunda toto anno præbet, diebus nimirum quinque vel ſex deciduis imbribus irrigari, & à ſole mox iterum illuſtrari ſolita. Piſces etiam ad ipſum littus tantâ copiâ vncis & hamulis captari ſolent, vt præternauigantes omnes illis abundè victitare, ſuaſque naues

Inſulæ S. Helenæ commoditas.

ijs exiccatis pro necessitate onerare possint, qui vt varij quidem generis, ita grativsquequaque saporis omnes sunt, vt delicatiores alibi non facile inuenias. Quin etiam ne quid omnino huic loco deesset, sal petris, quæ ad littus maris desidunt, tanta abraditur copia, vt ad vsum præsentem abunde sufficiat. Nauibus certe in Indiam velificationem instituentibus atque inde iterum reuertentibus, locus iste tam opportunus & commodus est, vt sine eo vix cuiquam iter institutum absoluere permittatur, ita Dei mira prouidentia & bonitate necessitatibus humanis clementer inibi prospectum est. Quod si quandoque naues aliquæ ab hac insula aberrarunt, infinitis postea miserijs exercentur. Qui vero in insula hac ægroti relinquuntur, illis parum commeatus, vtpote oryza, panis, oleum & nonnihil aromatum sufficit, cum necessitatem reliquam terra fertilissima abunde illis suppeditet, quin imò temperies ibi aëris tam salutaris & exoptata est, vt ægri plerique breui tempore conualescant, & rarissimi moriantur.

Insula S. Helenæ nullis hominibus habitatur.

A quoquam hominum habitari hanc insulam Regis Lusitanici interdicto vetitum est, vt nimirum eius commoditas nulli priuata sit, sed omnibus communis maneat. Quo tempore Eremitæ illi monachi, sub deuotionis & seruandæ ædis sacræ prætextu, ibi commorati sunt, tot capreas ceruasque confecerunt, vt quotannis vltra quingenta vel sexcenta coria vendiderint, itaque cum ad Regem hoc denunciaretur, continuo eius iussu in Lusitaniam redire coacti sunt, Sed & aliquando ex naui qua-

ui quadam duo Aethiopes quos Caffres vocant, Iauanuſque vnus cum duabus ancillis profugi, ad ſaluandos ſeſe in montes altiſſimos & inacceſſos receperant. Ex quorum deinde congreſſu tot liberi procreati ſunt, vt viginti eorum numerarentur, qui poſtmodo vniuerſam permeantes inſulam, loco iſti quamplurimum damni dedere, nauibus autem fortè aliquibus ibi appellentibus, illi ſeſe ad diuerticula ſua montibus & ſcopulis intruſa & innexa, recipiebant, quo Luſitanorum nemo eos inſectari poterat, vbi dum naues inde iterum ſoluerent, latebant, & ſui nullum indicium præbebant. Re vero poſtmodum caſu quodam cognita, ad illos capiẽdos prehẽdendoſque valde laboratum eſt, quamuis fruſtra, cum latebris abſtruſis ſe occulentes à nemine perueſtigari poſſent. Tandem tamen, ne illi & numero creſcerent, & indies damno incommodoque dando moleſtiores fierent, ad Regis ſerium mandatum diligentiſſimè obſeruati & comprehenſi inque Luſitaniam abducti ſunt, vt ab eo tempore præter ægrotos locus iſte nulli habitatus & cultus ſit. Cum igitur naues ad inſulam iſtam hodiè appellunt, quilibet naui egreſſus, ſub placita ſibi arbore ſtationem eligit, & ibidem tentorium ſuum erigit, vt feris & piſcibus captandis operam dare poſſit, ſacris autem quotidie vacant, gratias Deo perſoluentes, qui ad promontoriũ Bonæ Spei eos clemẽter ſeruatos, ad hãc inſulã reduxerit, poſtmodo naui reb⁹ neceſſarijs iterũ inſtrũcta, ꝓ abſoluẽdo itinere inde iterũ ſoluũt,

ægris si qui adsint ibi pro recuperanda valetudine ad tempus relictis.

Pisces volantes.

Circa hanc vt & priorem Ascensionis insulam, adeoque ad æquinoctialem vsque lineam, pisces volantes visuntur quamplurimi, magnitudine halecis, qui turmatim ad duos vel tres cubitos extra aquam eleuati, quartam circiter leucæ vnius partem volando emetiuntur, quo exacto spatio, cum squamas alasque sentiunt resiccatas, mari sese iterum immergũt, & postmodo madidi rursus extolluntur, hocque ingenio omnem suum volatũ conficiunt. Alternationis hæc causa est, vt sese ob insidiantiũ sibi grandiorum piscium voratu eximant atque tutos præstent, sed dum periculum vnum cauent, in aliud incidunt, sæpissimè enim altius iusto se prouehentes, resiccatis alis, nauibus illisi decidunt, & à nauigantibus prehenduntur, quibus cibum exoptatum præbent.

CAPVT VIII.

DE INSVLA MADAGASCARE ET post caput Bonæ Spei finitimis quibusdam alijs.

Insulæ S. Laurentij situs & qualitas.

SVperato Bonæ Spei Capite maxima sese offert insula, incolis Madagascar, Ptolemæo Menuthias, & Plinio Cerne dicta, quæ quidem inter maiores & ditiores totius vniuersi connumeratur. Ambitus enim eius quatuor millium leucarum est, & longitudine sua totam Italiam superat. Sita autem est vltra Aequatorẽ in sinu barbarico, extenditurque à 17. gradu vsque ad gradum 26. cum dimidio. Hodie Sancti Laurentij insula vocatur, nominis id inde ob-

obtinens, quod in festiuitate S. Laurentij inuenta primum & detecta fuerit, idque à Tristano Acunia, quem Anno 1506, in itinere cupido inuasit, insulæ huius naturam & religionem explorandi. Est autem omnium rerum ad humanum vsum necessariarũ ferax, mittit enim millium, oryzam, mel, ceram, gossypium, saccharum, limones, garyophyllum, zingiberis paululum, succinum, crocum, argentum, sandalum rubrum & alia. Præterea sunt etiam ibi leones, leopardi, cerui, damæ, capræ & alia animalia tum domestica tum syluestria. Elephãtes item innumeros alit, vnde maxima inde affertur eboris copia, sed & camelis abundat, quorum carnes ab incolis sanitatis causa comeduntur.

Madagascar insula à quo primum detecta.

Incolæ in hac insula habitantes subfusco sunt colore, hirsutis capillis, robusti & validi, velum gossypinum pudendis tam viri quam fœminæ obdunt. Aures amplis foraminibus pertusas habent; ita vt quis digitum per ea transmittere facile possit, vnde etiam rotunda ligna in illis gestant. Religio eorum in professione vnius creatoris, qui omnia creauerit cõsistit, circumcisionis quidem legem sequũtur, sed de precationibus & diebus festis cognitum nihil habent. Dies promiscuos habent ita vt nec hebdomadas, nec menses, nec annos numerent. Cacodæmonem ipsis Taivvaldei dictum, valde metuunt, quod ipsos frequenter affligere soleat. Piscatu magna ex parte viuũt, quem partim retibus, partim hastilibus confossorijs exercent, pisces siccant torrentque & postmodum cum sale & Tamarindi corticibus

Incolarum ad S. Laurẽtium mores.

in terræ illius locum quendam Rango ipsis dictum, venũ prouehunt. Ramulos seu cortices Tamarindi, pro hastulis siue sagittis missilibus itemque pro magnis cultris vendunt. Vnam saltem vxorem ductitant, matrimonia contrahentes viris quidem 12. fœminis vero 10. annos fere habentibus. Adulterium mortis supplicio vt & furta puniunt. Viri foris venantur, fœminæ vero domi fila nent & pannos gossypinos contexunt, domesticasque operas alias peragunt, cum Gossypij in syluarum humilibus arboribus prouenientis magna ibi abundantia reperiatur.

Incolarum in Madagascare arma.

Incolarum Madagascar arma sunt, tela oblonga, ipsi Assagaias siue Losso vocant, quibus tam expeditè & directè iaculari norũt, vt sexies continuatis vicibus absq; omni errore præfixum sibi Ioachimicũ ferire queant, tanto etiam cum impetu & robore, vt siquidem sclopeto nostrate transigi possit, eorũ quoq; iactũ nihil remittentius permittat. Venerant aliquãdo nauigijs terram illam exploratũ tres Hollandi, ad locum vbi choreis sese & tripudijs oblectabant, itaq; illi tanta in eos frequentia non telis saltem sed & lapidibus defulminarunt, vt victos sese tandem ipsis sistere cogerẽtur, quos vestibus nudatos barbari tandem dimiserunt. Chorearum ratio talis erat. In locũ

Chorearum ratio in Madagascare insula.

Choreæ destinatum primo viri numero viginti prodibant, post eodem tot etiam mulieres. Congregatis itaque omnibus, viri seorsim ad vnum latus consistentes, telisque suis muniti, saltus mirabiles cum quodam strepitu edebant,

bant,

bant,& pedibus velut equi indomiti recalcitrabant, adeo vt pone ſtantes ab ipſis ſat ſecuri non eſſent. Fœminæ vero ex altero latere contra ſtantes, viris pro choraulibus erant, manibus enim artificiosè complaudentes, vocem ſuauem conſonabant,& pedibus quaſi tactum viris miniſtrabant, vt res ea mira admodum ſpectantibus obuenerit.

Scribit Marcus Paulus, quatuor ſeniores eſſe penes quos totius inſulæ imperium ſit & moderatio. Batani autem qui Anno 1595. ad inſulam Sanctæ Mariæ appulerant, Regem quandam inſulæ Madagaſcaris ab ipſis Phudo dictum viderunt. Is baculum acuminatum ſceptri loco manu geſtans, reſtricta goſſypina veſte à lumbis ad talos vſque demiſſa cinctus erat. Caput vero acuminata ad modum tiaræ Epiſcopalis vitta pulcherrime exornata contegebatur, ex cuius vtroque latere, cornu ad dimidiæ vlnæ altitudinem erectum & tomentoſo in apice nodulo conſtrictum prominebat. Rex iſte nobilibus 25. ſtipatus, poſtquam nauem Hollandicam circumquaque cum ingenti admiratione luſtraſſet, vltro citroque honorarijs datis, ad littus redijt, ſubditi vero eius tanta cum reuerentia obſeruarunt, vt præſente eo ne verbulum quidem facere auderent. *Regis in Madagaſcare habitus.*

Pertinet ad Madagaſcar inſulam, alia, à Sancta Maria nomen habens. Ad hanc Batauorum aliqui Anno 1596. delati, eam ſatis magnam & amænam deprehenderunt. Incolæ ipſis fructus varios attulerunt, pro quibus ipſi aliquot ſtrophiola & orbiculos vitreos reponentes, inſulanos vino ebrios reddiderunt. *Inſulæ S. Mariæ deſcriptio, & quid Batauis ibi acciderit.*

Cæte-

Cæterum die quodam iuxta vicum quendam 20. casis conspicuum, in terram egressi, magnum illico incolarum numerum conglobari viderunt, inter illos medius primas eorũ apparebat, sub arbore quadam substratæ tegeti insidens, qui longa oratione Batauos allocutus, cœlum subinde suspiciēs, fructus quosdam à mulierculis asportatos, ipsis obtulit. Erant mulieres istæ veste ad coxam mediã propendente indutæ, viri vero panno ex herba contexto amicti, arundinem aqua salsa plenã gestabant. Accidit vt nautarum primarius quidam in insula ista moreretur, itaque Batauí cũ eum præsentibus insulanis sepelirent, ipsi indicijs quibusdam demonstrabant, animam eius iam in cœlo positam esse, vt cognoscere inde liceret aliqua saltem Dei cognitione eos instructos esse. Cum ad pagum quendam pro dulci aqua inquirenda, quidam ex naui ablegati essent, pagum istum & ædium & incolarum numero illustrem deprehenderunt, factusque est ipsis obuiam vir quidam veste eleganti & pretiosa succinctus, cui scutum Indicum, foris in marginis ambitu inauratum præferebatur. Hic Oryzæ, Cardamomi, zingiberis, mellis & gallinarum permutatione facta, si pluribus rebus opus esset, vnà secum abire petijt, tribus contra pro vadibus ad Batauorum naues destinatis. Altius igitur is ad locum editiorem duobus casis insignem conscendens, in transitu, intra duo ligna defixas duas manus conspexit, quas incolæ cuidam in furto deprehenso detruncauerant, ipse vero laute à præfecto habitus,

bitus, multis fructibus & cercopitheco donatus, ad naues reuersus est.

Postero die duabus scaphis in plagam occidentalem delati Batavi, vicos duos inuenerũt, quorum alteri occidentaliori Spackenburgo, alteri orientaliori, sancto Angelo nomen dederunt. Erant sudibus circumcirca inclusi, ita vt accessum saltem geminum, vnum à terra, alterum à mari haberent. Ingressi igitur Hollandi hosce vicos, pro corallio & orbiculis vitreis, oryzam, gallinasque & fructus varios permutarunt. In Spackenburgo præfectus cũ suorum plerisque bene potus inuentus, Batauis ex cornu bubulo potum ex melle & oryza coctum appropinauit. Pagus iste 200. fere ædificijs constabat, viris frequentatissimus, quorũ 20. in domo excubitoria prælongis hastis & peltis rotundis armati vigilabant. Ex hoc pago ad scaphas suas iterum reuersi Batavi, tantã ex tempestate fluuijs commmotionem deprehenderunt, vt traiectionem non satis tutam fore putantes, sese in littore aliquandiu continerent. Inueniebant autem casulas aliquot, quas primum, speculatorias rati, certioribus postmodum argumentis, primatum quorundã eius loci sepulchra esse coniecerunt. Erat locus iste lacunis aliquot defossus, circa quas cornua grandia aquis conferta seu adimpleta defixa stabant, tumulus storea desuper constratus cernebatur, cadauer vero excauata arbore vna impositum, & superiniecta alia contectũ, terræ ita infossum iacebat, vt pars quædam super terram promineret. Cum igitur hisce dispiciendis Batavi intenti essent, alterius pagi

Oppida duo S. Mariæ insula sudibus munita.

Primatum in S. Mariæ insula sepultura.

cui S. Angelo nomen eſt, præfectus, duabus nauiculis ad eos aduectus, primatis ſui id ſepulchrum eſſe indicabat, honorificè vt à vi & eius læſione abſtinerent, precatus petijt porro vt ad pagum ſuum ſecum concederent, quod cũ Hollandi feciſſent, oryzæ & gallinarũ ſatis magnam inde copiam reportarunt.

Balænarum captura mirabilis.

Capturam ibidem piſcium mirabilem videre licuit. Incolarum enim quidam vna nauicula ſeſe congerentes, cum balænam quampiam alicubi ſtabulantem obſeruaſſent, nauicula ſua propius adacta, in corpus eius vndis prominens hamum ferreum eiaculabantur, forti ex corticibus arborum fune, reuinctum atque alligatum. Balæna cum ſe læſam ſenſiſſet, violento impulſu aquam tranauit, cui Incolæ funem tantiſper ſequacem remittebant, donec extremitas eius nauiculæ adhæreſceret, quam piſcis tanta ſecum facilitate protrahebat, vt impetum hunc omnes ſequi cogerentur, qui tamen natandi peritia audaciores, impetum iſtum ne flocci quidem faciebant, etſi nauiculam ſcirent totam euerſum iri. Hac ergo lucta & diſcurſatione diutius continuata, cum balæna tandem eneruaretur, & robur quoque maximum copioſo ex vulnere ſanguinis profluuio perderet, eius compotes facti, domitam in littus protraxerunt, & adactis inſtrumentis penitus confectum diuiſumque inter ſe partiti ſunt.

Inſula Mauritij, vulgo

Non longe à Sancti Laurentij vel Madagaſcaris inſula Batauí Anno milleſimo quingenteſimo

tesimo nonagesimo octauo, Insulam aliam, quæ magnitudine suæ Hollandiæ non iniquè comparari queat inuenerunt, quam cum eam esse putarent, quam vulgo de Don Galopes vocant, & vero de nomine eius vero incerti essent, Mauritij ei nomen imposuerunt. Habitabilis illa nō est, nec vnquam habitata fuisse deprehendi ab Hollandis potuit. valde alioquin eminens & montosa est, adeo vt nubibus plerumque intecta & halitibus seu fumis tam densis circumdata sit, vt nisi proxima ægre videri queat. Terra penitior arborum feracissima est, quę tanta ibi densitate succrescunt, vt transitus ferè non pateat, sunt autem ebeni tam generosæ quam vspiam produci sciantur, lignum enim pice ferè nigrius, læuius autem quouis polito ebore est. Eiusdem vero generis ibi etiam rubentia quædam & alia ceræ instar flauentia ligna reperiuntur, quorum omnium portionem aliquam Batavi secum domum auexerunt. Aër loci probè temperatus & salutaris visus est, nam cum ægros suos è nauibus Bataui extulissent, breui spatio valetudini suæ restituti sunt.

de Don Galopes.

Ebenus nigra rubra & flaua.

Insula illa præterquam quod dulcis aquæ satis suppeditabat, tanta etiam piscium affluebat copia, vt vna captura vasa duo cum dimidio compleri potuerint. Testudinum illic tanta moles est, vt consistentes super vna viri quatuor, ad gressum eius facile promouerentur, & decem Bataui in vnius testa considentes epularentur. Volucres præterea copiosissimas alit. Turtures enim tāta ibi copia obuersantur,

Piscium multitudo.

Testudines prodigiosæ.

vt

Volucres varij generis.

vt vltra centum & quinquaginta, dimidij diei ſpacio manibus partim prehenderint, partim fuſtibus confecerint. Cærulei quoque Pſittaci ibi frequentes ſunt, vt & aues aliæ, inter quas genus aliquod, noſtris cygnis maius, capitibus vaſtis, & pelle ex dimidia parte, quaſi cucullis inueſtitum eſt. Hæ aues alis carent, quarum loco tres quatuorve pennæ nigriores prodeunt, caudam vero conſtituunt paucula quędam pēnæ incuruæ & teneriuſculæ, cineris colorem referentes. Bataui eas walckvogels ſua lingua vocabant, quod quo longius diutiuſque elixarentur, eò plus lenteſcerent & eſui ineptiores fierent, pectora tamen ſaporis iucundi & maſticationis facilis erant. Sed & volucres aliæ ibi aluntur, eſui apprimè idoneæ, quas Rabos forcados Hollandi vocabant, ideo quod forficis in modum deductas caudas haberent. Ita autem mites erant, vt in nidis confidentes facilè vel manibus caperentur vel fuſtibus cæderentur, cum præſertim adeo ad Batauorum præſentiam non paueſcerent, vt capitibus etiã eorum inſiderent.

Aues alis carentes.

Bataui monumentum in inſula Mauritij ſtatuunt.

Erat ibi planities quędam ſpatioſa admodũ, cuius partem quandam Bataui ſubactam varijs fructuum ſeminibus conſeuerunt, periculum facturi, an terra fructus aliquos productura eſſet, quę poſtea eo delatis nauigantibus ad refectionem vſui forent. Gallinas quoque aliquot nauibus exemptas ibi dimiſerũt, vt ſolo aſſueſcentes, genus ſuum propagarent atque multiplicarent. Tandem cum recollectis viribus ſcapham quandam Hollandi ibi extruxiſſent, tabula lignea arbori cuidam affixa, cui Hollãdicum,

dicum,Selandicum & Amstelredamense insignia apposita erant,adscriptis literis;Christiani reformati, inde iterum soluerunt & digressi sunt.

nbb

CAP. IX.

DE REGNI GVINEAE SITV ET terminis, qui sunt regna Melli & Benin.

CVm instituti nostri non sit,omnes Africæ partes & insulas, omniaque eius regna, sed maritima tantum illa,quæ in Indiam nauigantibus obuia maximè sunt,& necessariò adiri solent,persequi, relictis prioribus Africæ partibus,ad quartam, Nigritarum nempe terram nos conuertemus, Guineæ regnum perstringentes,cum eius non solum littora Indiam petentibus necessariò legenda sint, sed in eo etiam Lusitani & Galli negotiationes plurimas exercuerint, & etiamnum à Batauis illud subinde frequentetur. Guineæ igitur regnum,à celeberrima quondam vrbe Genne, ad quam ingenti fluuio Senagæ impositam, loci opportunitate illecti olim negotiatores vndique confluebant,sic dictum, quanquam zonæ torridæ subiectum, flagrantissimo sole torretur,non tamen idcirco, (vt falso prisci putarunt)ab incolis desertum est,sed plurimos numerat populos, seseque quam latissimè, ad quingentas ferè leucas extendit, à regno Melli ad Benin vsque regnum excurrens. Nam etsi regna quædam intermedia reperiantur, tamen cum parua ea sint & potentiæ admodum exiguæ,magno huic Guineæ regno, haud immerito adnumerantur.

Guineæ regnum vnde sic dictum, & vbi situm.

Descriptio regni Melli, & qualibus habitatur populis.

Terminus igitur à quo Guineæ regnum initium sumit, Regnum Melli est, quod per trecẽta fere passuũ millia extenditur, estque potentissimum & frumenti feracissimum. Abundat Gossypio & carnibus, Elephantesque alit quãplurimos, & ebur præstantissimum suppeditat. Incolas habet crudeles & feroces admodum, qui in id intenti sunt vnicè, vt peregrinos, commerciorum exercendorum gratia eò aduectos, circumueniant, opprimant & interficiant. Interim tamen non vno erga nationes omnes sunt animo, Gallos enim maiori beneuolentia complectuntur quam Lusitanos, vnde etiam his illos frequentiores ibi inuenias. Batauis non vbique similiter fauent, idque sua ipsorum culpa factum est, cum dolosè admodum cum illis alicubi egerint, & fraudem animaduertere Nigritæ tandem cœperint. Commercia ipsorum præcipua in ebore & Oryza consistunt, alioquin eorum quæ ad conuersationem & reparationem humanarum virium faciunt, defectus ibi nullus est.

Populorum in Melli cõmercia & mores.

Populus Regibus & præfectis suis, quos Taba vocant, subiectissimus est, & ad perficienda mandata eorum promptissimus. Ipsi autem Reges & Præfecti in pagis passim constituti, autoritatem suam egregiè conseruare norunt, rigidissimi enim sunt mandatorum exactores, & erga subditos seuerissimi. Lingua non vbique est eadem, variatur enim pro ratione populorum quibuscum crebrò negotiantur. Agriculturæ sunt peritissimi, vnde frumenti apud eos magna copia est. Sed & opifices, artificesque mechanicos ibi reperias quamplurimos

mos

mos, qui in arte sua satis excellentes sunt, maximè autem scaphas siue nauiculas quibus in mari vtantur, parare norunr optimè, ex arbore scilicet excauata, & in extremitatibus ad modum Gundelarum Venetarum incuruata. Viris tot habere vxores, quot alere & sustentare possunt permissum est, verum nimis erga eas rigidi sunt, & ingentes eas zelo prosequútur, vnde si fortè deprehendant, aliquam pudicitiæ limites transgressam esse, tanta in autorem flagitij istius zelotypia feruntur, vt ingentes turbas dare, & non familiam solum vniuersam, sed & ciuitatem sæpe integram turbare non dubitent.

Descriptio regni & ciuitatis Benin.

Terminus in quo Guineę regnum finitur, regnum Benin est, quod à ciuitate eius regni præcipua ita nominatur, quæ non exigua est, ingredienti enim illam longa & lata sese platea aperit, quæ recta ad finem vsque ciuitatis excurrit absque vllo sinu. In ea vbi quis quadrantem horæ procedendo absoluerit, cacumen sese ei arboris cuiusdam è longinquo aperit, tanto interuallo, quantum acies oculorum assequi vix potest, & ab hac quidem platea hæc longissimè adhuc extenditur, ita, vt licet eundo ad arborem hanc peruenias, finis tamen nullus etiamnum tibi appareat, vnde quidem pro certo affirmare non dubitant, plateam hanc rectam, exceptis suburbijs vel integrum miliare germanicum longam esse. Portam ingressis vallum sese offert ex aggesta in aggerem terra, ingenti & altitudine & latitudine formidabile, sed & fossa lata atque profunda, multis altissimis

Platea integrum miliare longa.

arboribus consita, quam longissimè ante vallum se extendit, licet sciri non possit, totamne ciuitatem, an vero partem eius tantum ambiat. Porta vero ciuitatis ex ligno facta est, & ad eam semper reperiuntur qui excubias agant, quamuis antequam ad portam peruenias, suburbium satis magnum transire necesse sit.

Aedificiorũ in ciuitate Benin forma & ratio.

Quamprimum quis portam huius ciuitatis ingrediatur, adiungitur ei comes aliquis, qui eum per plateas quocunque velit deducat, idq́ hanc, vt prætendunt, ob causam, ne à via recta deflectens in errorem, qui in tam vasta ciuitate facilimus est, se conijciat, sed interim tamen contemplari pro libitu omnia peregrini prohibentur. Aedificia sese ordine optimo consequuntur, & eodem ferè modo, quo apud nos, sibi inuicem cohærent, quæ vero personis nobilibus & genere præstantioribus inhabitantur, cęteris magis sunt eleuata, itavt nõ nisi per gradus aliquot ascensus ad ea pateat, in vestibulis autem ædificiorum porticus est, vbi in vmbra solis ardores imbresq́ue declinantes obambulare & sedere possint, in quem quidẽ vsum primo statim diluculo scopis per mancipia purgantur, storeisq́ue ex stramine contextis insternuntur. Aedificia vulgaria vnico saltem pariete constant, in cuius medio ianua lignea constituta est, lucemq́ue & aërem per tectum, quod in medio apertum est, recipiunt. Omnia autem rubra sunt, parietes firmos & crassos habentia ex terra nonnihil rubente constructos.

Aula regia magnæ est capacitatis & multis

arcis

areis quadrata forma factis conspicua, quæ a- *Aula regia*
trijs constant quamplurimis, quorum quodli- *& nobilium*
bet porticum habet, pro excubijs quas Satelli- *ad eam a-*
tes regij agere ibi passim conspiciuntur. Tan- *scendentium*
tæ autem magnitudinis hæc aula est, vt termi- *pompa.*
nus eius nusquam appareat, cum enim defessus
ambulando, existimas ad finem te iam perue-
nisse, porta statim alia occurrit, qua aperta a-
rea versus patet vel priori longè capacior. Rex
autem multos habet aulicos nobiles, in aula
ibi ministrantes, qui aulam petituri equis fe-
runtur, insidentes ijs instar nobilium in gynæ-
ceis fœminarum, pedibus ab altera tantum
parte demissis. Ab vtroque latere mancipia si-
bi coniuncta habent, quorum humeris innitā-
tur. A tergo sequitur eos magna mancipiorum
& ministrorum caterua, quorum aliqui vm-
bellas, ad àrcendum à capite nobilium solem
imbresque gestant, & hi qui quidem equis pro-
ximi incedunt, reliqui vero certo interuallo
subsequentes, partim tympana pulsant, partim
cornibus & tibijs ludunt, Equus porro à nobi-
li sessore non regitur, sed per ministrum quen-
dam ducitur, atque ita quidem cum tympano-
rum & tibiarum cantu nobilis quilibet ad au-
lam Regis quotidiè defertur. Solet autem Rex
interdum cibis quibusdam lautioribus nobi-
les, honoris & fauoris ergo donare, qui quidē
per ministros eleganti ordine sibi inuicem
succedentes, ab aula portantur, præcedentibus
quibusdam cum baculo albo qui populum cō-
primant, & cedere ministris illis regijs cu-
rent.

Cæterum vxores Rex iste complures habet

Incolarum in regno Benin mores.

& binas in anno processiones instituit, quibus aula egressus ciuitatem perlustrat, postmodumque se cum vxoribus suis oblectat, quarum vltra 600. eum tum comitari cernuntur. Sed & nobiles ibi reperiuntur, qui 80. & amplius vxores habeant, nec quisquam reperitur fortunæ tam tenuis, qui non decem ad minimum vel duodecim vxores domi suæ numeret. Iuuenes & virgines omnes nudi incedunt, donec ad matrimonium transeant, nisi forsitan à Rege priuilegium & potestatem accipiant, vestimentis nuditatem suam contegendi. Hoc enim in magni beneficij numero habent, si à Rege potestatem sese vestiendi impetrēt, & tunc vario illuminati colore, peculiare quasi festum celebrant, amicos & consanguineos, qui de hoc honore ipsis gratulantur, conuiuio excipientes.

Religio populorum in Benin.

Circumcisionem & ritus Mahumeticos alios obseruant, cutem tribus fissuris ad vmbilicum vsque secant, necessarium hoc ad salutem existimantes. Præterea sinceri etiam sunt, & iniuria neminem, non ex suis modo, sed nec ex peregrinis facilè afficiunt. Peregrinos enim omni honore & obseruantiá prosequuntur, salutantes eos humanissimè, & de via ipsis cedentes, lædere vero peregrinum aliquem, capitale est. Aues præterea etiam admodum formidant & metuunt, pœna capitis in eum sancita, qui vel minimum ipsis inferre detrimentum præsumat. Vnde sunt quidam peculiariter ad hoc constituti, vt auium curam gerant, de alimento eis prospiciant, & ab omni eas iniuria vindicent, qui quidem certũ in mõ-

tibus

tibus excelsis locum norunt; quo alimentum magna cum deuotione asportatum, exponant, quod postmodum ab auibus deuoretur.

CAP. X.

DE GVINEAE PERLVSTRATIONE & commoditatibus varijs.

TEmporibus Alphonsi Lusitaniæ Regis, cum Lusitani perlustrato Guineæ regno, animaduerterent exercendis commercijs regionem conuenientissimam esse, operam dederunt vt ex Nigritis, qui tum temporis ceu feræ quædam bestiæ à conspectu peregrinorum sese occultabant cognoscerent, & quæ loca fertilissima essent, vt quæ merces locis illis maximè conuenirent. His exploratis, ad insulam S. Thomæ reuersi, quæ cognouissent Gubernatori suo exposuerunt, qui non quiescendum ratus, naues aliquot commeatu necessario instructas ad portum La Mina ablegauit, vt cum populo contrahendo, amicitiam aliquam inchoarent. Has naues Aethiopes magna lætitia exceperunt, videntesque quam amice & honorifice in nauibus Lusitanorum acciperentur, deposita paulatim feritate sua, mitescere, & regionem ipsis omnem peruiam facere cœperunt, permittentes ipsis domum aliquam loco negotiationibus suis opportuno extruere. Lapidibus igitur, cæmento & rebus ad ędificandum necessarijs ex Lusitania allatis, castellũ La Mina extructum est, cuius tandē beneficio totius regionis domini Lusitani facti sunt.

Lusitani quando & qua ratione regnum hoc sibi subiectū reddiderint.

 Cum

Cum non solum agrum excolere & suis commodis aptum facere, verum etiam incolas varia multarum rerum cognitione instruere & informare cœpissent.

Galli ex Guineæ regno qua ratione exclusi.

Interea Galli, qui aliquandiu in vicino littore hærentes cum Aethiopibus commercia exercuerant, ad regni huius iterum littus progressi sunt, cumque animaduerterent Lusitanos insignem ibi fructum percipere, hinc inde oberrãtes, an & ipsi aliquid ibi lucrari possent tentarunt. Nemo autem ex Nigritis cum illis contrahere tum audebat, metu Lusitanorum, qui ne cum vlla alia gente quicquam vel contraherent, vel commercij haberent seriò ipsis interdixerunt, in vincula conijcientes qui secus fecissent. Acrenses vero imperium hoc aspernantes à commercijs istis non modo non abstinebant, sed indies familiariatem cum Gallis maiorem contrahebãt, propterea quod aliquanto minoris bona sua venderent, quam Lusitani, & quod tolerabiliori precio quę vellent ab ipsis accipere possent. Lusitani igitur triremibus aliquot ex Lusitania euocatis portum regni Guineæ præcludere Gallis conati sunt, eosque aliquoties ita exceperunt, vt tandem furori ipsorum cedere, & à nauigatione hac plane abstinere cogerentur.

Batauis qua ratione Guineæ regnum innotuerit.

Accidit autem postmodum, vt Batauí regionis huius notitiam à quodam Bernhardo Erichsen Medenblicensi acceperunt. Is enim cum aliquando captiuus in insula Principis teneretur, de regno hoc varia audierat, & quomodo Galli locum istum deseruissent, cognouerat. Liberatus igitur captiuitate, & in patriã

reuersus,

reuersus, Batauis quibusdam mercatoribus autor fuit, vt instructis aliquot nauibus velificationem versus hunc locum dirigerent. Lusitani igitur postmodo videntes littus hoc Batauis etiam innotuisse, & Gallis magno labore vix exclusis Hollandos iam succedere, à quibus plus damni expectandum esset, cum nauibus vterentur & longè maioribus, & populo rebusque necessarijs alijs multo Gallicanis nauibus instructioribus, valde sibi metuere cœperunt, idque eo magis quod triremes suas subsistere aduersus Batauorum hasce naues non posse cernerent. Cogitare igitur cœperũt quomodo conatibus hisce Batauorum irent obuiam, cumque aperta vi naues eorum arcere non possent, ad fraudes dolosque conuersi, falsis mendacijs & calumnijs eos apud Aethiopes prægrauarunt, proditores esse dicentes, qui explorandæ regionis gratia venissent, verum cũ non pauci ad naues Batauorum quotidiè venientes, contrahere cum ipsis & commercia exercere varia inciperent, cognouerunt facile mendacijs eos prægrauatos esse, quippe qui longè alio essent animo, quam Lusitani retulissent, itaque humanitatem eorum apud alios prædicantes, plures subinde secum adduxerunt effeceruntque, vt familiaritas Nigritarum cum Batauis maior hodie sit, quam vnquã cum Lusitanis fuit.

Cursum igitur ad hoc regnum dirigentes hodie Batavi, ne à promontorio quod triplici cacumine se aperiẽs in mare procul excurrit, & vulgo Capo de Trespunctas nominatur, aberrent, cauent sedulo. Ab hoc promontorio *Batavi vbi appellere in Guineæ regno soleant.*

versus ortum leucas quinque, oppidum dictū Anta Nigritis dictum. Hic primo omnium Hollandi applicare solent, quod incolas norunt, ferri admodum appetentes esse, ex quo arma omnis generis parare solent. Hinc ad pagum mouent, Nigritis Agitaki, Lusitanis vero Aldea de Torto dictum, postea ad promontorium Capo Corso, & inde ad præcipuum totius regni emporium, Mourre incolis dictum applicant, atque ita consequenter per vniuersum regnum commercia sua exercent. Accidit hic Anno 1598. pridie Calend. Maij, vt Batauorum aliqui in terram descenderent, frōdes aliquot virides allatum, quibus pro more nauem suam exornarēt. Cæterum cum arbores cædere cœpissent, aderant statim incolarum aliqui, hoc ipsum prohibentes, quod eiusmodi essent arbores, quas incolæ inter Fetissas seu numina sua numerant. Hollandi strenue in cædendo progredientes, ludibrio incolas habere cœperunt, cum igitur ab instituto suo desistere nollent, à verbis tandem ad verbera ventum est, & Nigritæ magno impetu in Batauos proruentes, iaculis lapidibusque pago eiectos ad naues prosecuti sunt, vno inter fugiendum trucidato, quem postea capite truncatum terræ mandarunt. Sequēti tamen die incolæ pœnitudine ducti, ad nauem venientes Aethiopē istum qui Hollandum fugientem trucidauerat, secum adduxerunt, petentes vt supplicium de eo Hollandi sumerent, quod cum ipsi facere recusarent, abductum iterum secum in terram capite truncarunt, corpore in quatuor partes dissecto & volucribus in escam abiecto, capite

Cædes Batatui cuiusdam ab incolis punita.

vero

vero supra sepulchrum Batavi illius suspenso, quod quidem non leue beneuolæ incolarum erga Batauos affectionis argumentum fuit.

Cæterum causa præcipua, quæ & Lusitanos & his posterioribus temporibus Batauos ad hoc regnum inuitauit, ea est, quod præter commoditates alias, quibus regio hæc gaudet, auri etiam ferax sit, cuius sitientes Lusitani, Galli & Batavi, multas merces, auro permutandas aduehere cœperunt, & pericula laboresque omnes negligere, dummodo auro potirentur. Aurum autem quod in regno hoc reperitur, ex terra quidem eruitur, sed non in maritimis, verum in mediterraneis & procul à mari distantibus locis, quamuis quidam ex Nigritis dicant non procul etiam à mari fodinas auri reperiri, sed illæ occultę admodum habentur, & omni studio à possessoribus absconduntur. Nec vero etiam qua ratione aurum illud eruatur sciri potest aliter, quam ex Nigritarum quorundam relatione, qui dicunt foueas eos satis profundas facere, &, si inter fodiendum vena sese aliqua auri aperiat, ei insistere, donec terminum eius assequantur. Sed & in fluuijs aurum reperitur, inter arenulas nempe, vi pluuiarum & imbrium à montibus detractas, pro mercede autem qui fodiendo & colligendo auro student, dimidium semper à fodinarum possessoribus accipiunt, siquidem cum iactura & dispendio vitæ ei colligendo & eruendo insistunt, & in fodinis multi subinde vel æstu nimio suffocantur, vel fame & siti confecti miserè pereunt.

Guinea auri ferax est.

Pro-

Fructus in Guinea varij.

Profert autem terra hæc calamum Indicum, qui altitudinem 7. vel 8 pedum assequitur, & medulla optimi saporis, quam vulgo mel arũdinis vocant, repletus est, sed multum temporis antequam maturescat requirit, duas enim æstates crescendo consumit, cumque abscissus est, multum adhuc laboris postulat, vt cibo aptus reddatur. Crescit ibi & oryza & zingiber triticumque turcicum quod ipsi Mays vocãt. Inter arbores vero præ cæteris in Guinea præstans palma est, ex qua vinum colligunt, perforata enim liquorem suppeditat lacti non dissimilem, qui frigiditate & suauitate sua admodum delectabilis existit. Non diu autem asseruari hoc vinum potest, sed necesse est vt recens ex arbore collectum bibatur, tunc enim non dulce solum & palato acceptum, sed & inebrians est & dolorem in capite excitans. At vero si asseruetur, acidum plane fit & ad bibendum ineptum. Vrinam ciet & hominem non valde grauat, cum facile per vrinam dissipetur. Quã primum ex arbore promanat, feruere incipit ac si igni appositum esset, & tum tantæ virtutis est, vt si vitro infusum probè obturetur, ne vel transpirare vel aerem admittere possit, vitrum disrumpi necesse sit, verum vbi ita deferbuit, amissa statim suauitate, tantam breui tempore acredinem & austeritatem contrahit, vt à natura sua degenerasse & planè deprauatum esse videatur, miscetur autem aqua plerumq; modica, vt palato magis arrideat, tum enim mulsi nostratis saporem acquirit, & colore ad mustũ quamproxime accedit. Arbor hæc quando inueterascit abscinditur statim, radice in terra

Vinum de palma.

relicta,

relicta, ex qua noua statim arbor emergit, quæ vbi dimidium annum attigerit, vinum rursus, æquè ac prius generosum suppeditat. Præter enumerata proueniunt ibi etiam fabæ magnæ in siliquis, quarum aliquæ ex arboribus pendent ad vlnæ totius longitudinem & palmi latitudinem, suntque partim versicolores ex rubro & nigro, partim albæ & rotundæ. Est & genus fabarum ibi rubedine sua corallijs comparandum, sed & fructus alij apud eos reperiuntur, quos omnes hic commemorare non libet. *Fabæ varij coloris.*

CAPVT XI.

DE GVINEAE INCOLIS, EORVMQVE *vestimentis & moribus varijs.*

GVineæ regnum per se admodum populosum est. Et viri quidem proportionis sunt & staturæ elegantis satis & decentis, pedibus enim aliquantulum crassioribus, reliquis vero membris tenerioribus existũt. Facie sunt rotunda, non vsque adeo vel longis labijs vel crasso ore, vt Aethiopes in Barbaria habitantes, sed naso simo, hunc enim a pueritia statim, cartilagine adhuc molli existente ita deprimendo efformant, inter insignia ornamenta id habentes. Hoc autem vnico excepto nihil in facie ipsorum indecens est. Aures habent paruas & tenellas, oculos albicantes, supercilia crassa, dentes albos & instar eboris preciosissimi nitentes. Barbæ parum habent, videas enim vel trigesimum ætatis annum agentes, quorum genas vix lanugo vestire cœpit *Viri in regno Guineæ quales & quali ornatu vtantur.*

pit tenerrima. Capillum in capite habent crispum & asperum,at in reliquo corpore pilos vel nullos vel admodum raros inuenias. Humeros latos habent,brachia crassa, manus robustas,digitos oblongos,vngues in eis alentes donec longitudinem satis magnam assequantur,& vel digitorum articulos superent, decori eos habentes maximo. Corpore cætero non sunt vsque adeo vasto & magno,coloremque in vniuerso corpore nigerrimum exhibent,præterquam in volis manuum,& plantis pedum,vbi cutis aliquantulum albicans apparet. Complexionis præterea sunt & naturæ fortissimæ,stomachum habentes calidissimũ, qui dapes non crassas tantum,sed crudas etiam concoquere quam celerrimè potest. Salaces vero sunt & luxoriosi admodum,ita vt libidine vel toti diffluãt.Vino prçterea maximè dediti sunt,nec temperare sibi ab eo vlla ratione possunt, quemadmodum similiter etiam cibi sunt auidissimi. In capiendis piscibus & colendo agro strenui admodum sunt & diligentes,interim vero animo satis elato,ita vt ad fastum & insolentiam eorum accedere vix quicquam possit,quemadmodum hoc ipsum ex varijs ipsorum actionibus facile colligere est. Capillos in capite variè radunt, brachijs aliquot circulos eburneos induunt,à collo lineam globorum vitreorum suspensam gestant, pileis vtuntur eleuatis nonnihil & acuminatis ex arborum corticibus contextis, linteum vero duas orgyas longum per pedes transmittunt,corporique circumuoluunt,extremitatibus eius ad genua vsque propendentibus. Do-

mo egreſſuri ſegmentum panni Atrebatenſis humeris iniectum inſtar pallij alicuius applicant,aſſumptis aliquot iaculis, & famulo adhibito, qui ſellam aliquam exiguam portet, cui quocunque perueniunt inſidere poſſint. Inter eundum autem fixis in terram oculis neminem intuerentur,niſi forſitan à digniore aliqua & nobiliori perſona compellentur, tūc enim conſiſtunt, ad interrogata reſponſuri. Quod ſi vero inferior & tenuioris fortunæ aliquis,incedentes in platea alloqui præſumat, eum reſponſione non modo non dignantur, ſed & ſalſe interdum inter eundum obiurgantes,tacere iubent,ne forſitan contumeliæ aliquam maculam inde cōtrahant,cum haud parum dignitatem ſuam tenuiorum admiſſo alloquio labefactari putent.

Mulieres in regno Guineæ quales, & quali cultu vtantur.

Mulieres ſtatura & proportione corporis ſatis bona,rei familiaris & domeſticæ adminiſtrandæ peritiſſimæ,ſed admodum impudicæ ſunt,à pueritia enim ad libidines aſſefiunt, cum nudæ incedant,& cum pueris abſque vllo pudore conuerſentur,hinc enim fit,vt licet progreſſu temporis pudenda velamento quodam tegant,à libidine tamen ſibi temperare& à Venere abſtinere neutiquam poſſint. Capillos varijs modis conuoluere & concinnare norunt,in medio verticis eos in altum ingentes & ita conglobantes,vt vittas quaſi, quibus Rhenanæ nonnunquam virgines vtuntur, repræſentēt. Circa verticem lineari partim,partim orbiculari forma capillum conuolutum, hinc inde mouent,& palmari oleo inungunt,

vt quaſi

vt quasi calamistro in annulos crispatus appareat. In frõte tribus vel quatuor fissuris cutem secant, quemadmodum etiam circa auriculas & supercilia, fissuras vero illas vario colore imbuunt, multisque insuper puncturis albo colore obductis totam passim faciem illuminant vt quasi margaritis exornatæ eminus appareant. Inaures gestant ex orichalco, cupro & stanno affabre factas. Armillas similiter cupreas, itemque ex orichalco & ebore factas, quas similiter & cruribus induunt. Puellæ autem & virgines virum adhuc ignorantes murenulas gestant in brachijs ex ferro in tenues circulos artificiosè deducto affabrè factas quamplurimas, ita vt 30. vel 40. in vno sæpe brachio numerare possis. Quæ vero communes sunt mulieres, meretrices nempe, cruribus suis circulos eiusmodi cupreos induunt, multis tinnientibus nolis exornatos, vt incedētes per plateas passim inaudiātur. Domi sese plerumque continent, & raro in plateis visuntur, filias suas à pueritia statim ad negotia domestica educantes & informantes. Dentes perpetua frictione pulcherrimos & vel ebore candidiores reddunt. Quod ad vestitum attinet, linteum aliquod à pectore ad genua vsque demittunt, illudque cum segmento rubri vel cærulei vel fului coloris panni, quasi cingulo quodam corpori alligant, cultros simul crumenulasque & clauium fasciculas ei appendentes. Domo in forum & conspectum hominum processuræ, corpus aqua prius ablutum, linteo nouo præcingunt, nouo similiter cingulo adhibito, linteumque aliud à pectore ad

pedes

pedes vſque, vt ſtolam aliquam vel pallam repræſentet, demittunt, panni inſuper vel Atrobatenſis vel Hunſcotenſis & vndulati ſegmentum humeris iniectum, per brachium alterum pallij inſtar traducunt, patinam aliquam ligneam eleuata nonnihil manuum altera geſtantes.

Matrimonia quomodo in regno Guineæ contrahantur.

Filijs in hoc regno eam ætatem attingentibus, quæ contrahendo matrimonio apta eſt, parentes de puella quadam ipſis coniungenda cogitationem ſuſcipiunt. Eorum enim eſt de vxore filijs ſuis proſpicere, vocata igitur puella quadam, eam abſque vlla præmiſſa ſollicitatione filio tradunt, qui vxorem etiam eam licet ignotam, cum qua verbum nullum antea fecerit, habere cogitur. Filijs autem nihil dotis nomine debetur. Sed ſponſæ parentes dotis nomine filiæ ſuæ tantum auri largiuntur, quantum 14. florenorum precium apud eos æquare poſſit, idque propterea vt de vino ad nuptias & ſponſalia neceſſario ſibi proſpiciant, quæ quidem conſuetudo adeo apud ipſos inualuit, vt nihil amplius filiabus in dotem aſſignetur, licet vel regia ſtirpe prognatæ ſint, excepto quod Regum liberis mancipiũ quoddam adiungitur, cuius opera in re familiari & domeſtica poſtmodum vtantur. Hæc autem iã vxor iſtius viri iuuenis habetur, quæ in præſentia conſanguineorum & amicorum omnium qui ad nuptias conuenerunt, iureiurando ſe viro iſti adſtringit, quod pudicitiam ei illibatam conſeruare, & nemini prçterquam huic viro copiam ſui facere velit. Quod ſi igitur poſtmodum contingat, vt mulier durante matrimo-

trimonio, huius iuramenti immemor, limites pudicitiæ transgrediatur, permissum est viro, ea repudiata aliam vxorem ducere, nam si cõtingat aliquam pudicitiæ fines transgredi, maxima inde viro ignominiæ nota inuritur, & sæpenumero lites, contentiones atque cædes inde existunt.

Reges in Guinea qui eligantur & quomodo sese gerant.

Reges ex communi populo, votis procerum eliguntur, nulla enim ibi hæreditaria regna sunt, sed vno defuncto, alius statim ex populo eligitur, qui aulam regiam cum omni supellectili, quasi hæreditario iure ad se deuolutam occupat, liberis defuncti Regis exclusis omnibus, qui ex hæreditate parentis sui nihil quicquam accipiunt præter id quod antequam in Regem eligeretur, in bonis eum habuisse constat. Regem autem de reditibus suis annuis cõuiuia sæpe celebrare, & subditis suis cœnam dare oportet, dummodo fauorem populi retinere velit, nam peracto conuiuio capita boũ, colore vario illustrata, in aulam Regis subditi collocant, vt tabularum pictarum vicem expleant; existimantes ad commendationem Regis ea non parum facere, cum inde colligere peregrini possint, Regem istum beneficum & liberalem esse, quod quidem non in minima laudis parte ponendum arbitrantur. Vxores Regis omnes ferè cum eo in aula regia habitant, quamuis sint etiam, quæ extra aulam sese contineant, vtpote prouectioris iam ætatis aliquæ, quæ oblectare Regem amplius non possint. Omnem autem honorem & obedientiam Regi suo præstant, & cum quælibet peculiare & discretum ab alijs domicilium in aula

habeant

habeant, liberos etiam suos secum retinere, deque victu & amictu eis prospicere coguntur. Domo egredientes, humeris alicuius mulieris quam pro mancipio habent, innituntur. Rex autem ipsemet raro ex aula sua procedit, semper enim domi sese continet, nisi quod interdum ad portam vel ianuam aulæ considet, quod tamen etiam perraro accidit. Satellites habet aulam regiam die noctéque custodientes, hi armati semper incedunt, & Regem exire forte volentem, magna stipante caterua comitantur. Egressum autem ex cubili Regem, vtores præstolantur, ablutumque aqua frigida corpus eius, oleo inungunt, vt totum nitidum reddatur. Hoc facto cibi paululum capit, & postmodo in sella quadam considens, muscarium arripit, ex equi vel elephantis cauda factum, quo muscas & culices abigat. More autem ibi vsitato variè ornatus conspicitur, barba enim eius multis corallijs intertexta est, brachijs armillas circumdatas habet ex puro auro, multis orbiculis vitreis varij coloris distinctas, eiusdem etiam generis torques & mutenulas aureas à collo suspensas habens. Et ita quidem ornatus totum diem confabulando terit, deficientibus nunquam aulicis quibuscum tempus fallat. Multos enim aulicos habet, inter quos præcipuum locum tenet, qui ipsis Viador dicitur, quod nomen à Lusitanis mutuatum, eum denotat, qui Quæstoris officio fungitur & thesauro regio præest, accipiens & expendens inde quantum quotidie opus est. Omnia enim gubernat, &

propterea etiam proximus à Rege velut atrij magister, monilia vel regio ornatu preciosiora gestat.

Nobiles in regno Guineæ quomodo creentur.

Multi in hoc regno nobiles reperiuntur, sed tenuioris tamen fortunæ & exiguarum opum. Quamuis autem non admodum lucrosa existat nobilitas ista, & parum ex ea commodi sperari possit, summo tamen studio ab illis expetitur, dies enim noctesque contendunt, vt tantum pecuniæ acquirant, quantum ad comparandam nobilitatem satis est. Cum igitur nobilitatis candidatus aliquis, qui ad honorẽ hunc aspirat, excussis diligenter viribus suis, deprehenderit, se oneri huic ferendo, esse necessarium ante omnia est, vt nomẽ suum apud præfectum regium profiteatur, & bouem aliquem in forum productum ibi alligari curet, hoc enim facto publicè proclamari præfectus iubet, Nigritam aliquem ad nobilitatem aspirare, nominato simul die, quo insignia nobilitatis consecuturus sit. Interea dum fama hæc percrebuit, nobiles omnes sese præparant, vt solennitati huic interesse & spectacula dare populo possint. Candidatus vero seu futurus nobilis, omnia quæ ad festiuitatem hanc necessaria sunt procurat, multas gallinas & vinũ præstantissimum coëmens, cuilibet enim amicorum suorum gallinam cum vasculo vini domum mittere cogitur, vt gaudij huius publici quodammodo etiam in ædibus suis particeps fiat. Instante igitur iam die solemnitati huic deputata, populus omnis magna frequentia in foro congregatur, Et qui magistratum quidem gerunt certo loco consident, varijs instrumen-

tis

tis musicalibus, vtpote tympanis, cornibus, tibiis, nolis siue tintinnabulis & id genus alijs instructi. Præfectus vero regius in mediũ procedens, multis satellitibus stipatus est, qui omnes clypeis & iaculis armati, inque facie & per totum corpus colore rubro vel flauo infecti, terribiles admodum apparent. Postea candidatus, ab alijs nobilibus ornatus, & nouo indumento indutus, ingreditur, comitantem sese puerum habens, qui sellam gestat, in quam collocuturus cum aliquo, consideat. Accedunt enim longo ordine consanguinei & amici eius, de nouo hoc honore ipsi gratulaturi, sed & mulieres, vbi vxor candidati in publicum processit, eam accedunt, & de dignitate hac ei gratulantur. Cæterum omnibus ita congregatis, in ordinem sistuntur, vt progredientem bouẽ, qui nempe ab aliquo per plateas ciuitatis ducitur, omnes tam viri quam mulieres sequantur. Reuersi vero in forum & boue rursus alligato, tympana pulsant, choreasque ducunt, & varijs gesticulationibus, nouo huic nobili applaudunt, ita tamen vt arma manibus non deponant. Sed & mulieres hilari animo cantus & choreas exercent atque in lætitiam totæ resoluuntur. Iuniores vero nobiles sellæ impositum candidatum per plateas ciuitatis circũgestant, donec vespera fiat, tum enim magna stipante nobilium caterua domum deducitur & ad quietem componitur. Sequenti autem die nobiles eum multi ante ædes eius congregati præstolantur, egressumque domo, in forũ rursus deducunt, voluptates, lusus & gaudia, eodem modo, quo præcedenti die, repetentes.

Et quidem festiuitas hæc integro triduo continuatur, quo tempore vexillum album ædibus huius nobilis affixum cernitur. Tertio tandem die bos ille mactatus inter populum distribuitur, caput vero eius nouo huic nobili offertur, qui vario colore pictum & multo stramine exornatum in testimonium nobilitatis suæ, domi suspendit, eius enim beneficio priuilegia multa acquirit, vtpote quod seruos seu mancipia emere, & negotiationes varias exercere possit, quibus ipsi antea interdictum fuerat.

Incolæ in Guinea suos ægre per mortem amittunt.

Cæterum licet exiguo sese amore inuicem viuentes prosequantur, & vel diuortia sæpe faciant & vxores à se dimittant, vel alteram alteri inducant, ægrè tamē aliquem ex suis amittunt, & admodum dolent, si aliquem ex domesticis alijsque amicis suis mori contingat. Sole autem æquinoctialem lineam percurrente, ita vt verticalis ipsis existat, multis passim morbis obnoxij sunt, vnde etiam non pauci tum temporis moriuntur, propter aërem quo minus salutari tum fruuntur. Cæterum defuncto aliquo, consanguinei & amici eius magno numero congregantur, multis eum querimonijs deplorantes, eumque subinde interrogantes, cur mortuus sit, & quid causæ ex hac vita emigrandi habuerit. Postea depositum in stragulo ex corticibus arborum contexto, panno gossypino, qui quidem ad nullos alios vsus adhibetur, inuoluunt, & ceremonijs multis adhibitis, de quibus paulo post dicemus, tandem in terram sepeliunt.

Cæterum cum regionis huius populus super-

perbus admodum sit & fastuosus, odioque & inuidia laboret maxima, facile ipsis est causam aliquam belli inuenire. Atqui bella ipsorum non sunt diuturna, sed queadmodū cito fiunt, ita etiā rursus finiuntur. Reges enim nullo vel consanguinitatis vel affinitatis vinculo sibi inuicem coniuncti sunt, quin imo perpetuo sese inuicem odio prosequuntur, vnde facile aliquid euenire potest, quo offensi alter alterū ad bellum prouocent. Denunciato autem bello, Rex ad ciuitates suas id statim refert, iubetque præfectum cuiuslibet ciuitatis cum subditis suis vniuersis & singulis, dicta belli die sibi adesse. Hinc quilibet se ad bellum parat, ac primo quidem faciem vario colore inficiunt, deinde orbiculos varios sphærularum precatoriarum instar funiculo traiectos corpori inuoluunt, porro contextum ex arborum ramis brachij crassitie sertum à collo suspendunt, quo ictus & verbera excipiant. Capiti galeam ex pantherarum pellibus aut serpentum crocodilorumque exuuijs factam imponunt, quin & cingulum ex pellibus ferarum factum, corpori circumdatum per pedes traducunt, pudenda exiguo linteolo tegentes, vestimenta enim in bellum profecturi, ne impedimento sibi sint, plane respuunt. Post cingulum gladiolum recondunt, sinistra manu clypeū oblongū & latū, dextra vero iacula tria vel quatuor, quæ inter pugnandum in hostem emittant, capientes, quidam tamen arcus & sagittas vsurpant, pharetras habentes ex ferarum pellibus factas, & multis acutissimis sagittis refertas, quas in hostē torquere quam celerrime possūt.

Reges in Guinea quomodo in bellum cum suis proficiscantur.

Facta hæc præparatione, nobiles omnes ad aulam Regis sui congregantur, & postea cum vniuersa sua familia, ad locum pugnæ destinatum, militatum abeunt, vxoribus liberisque & rebus preciosioribus omnibus secum assumptis. Quin imò si causa ardua sit, vt commoti admodum, ardeant cupiditate hostes exterminãdi & finibus suis prorsus eijciendi, tũc oppida & ædificia sua omnia antequam abeant igne subuertunt, ne vel hostes forte superiores facti, ijs potiantur, vel ipsi desiderio aliquo reuertendi domum teneantur, sed eo maiori conatu in hostem ferantur, & pugnam maiori alacritate sustineant. Sin vero causa leuis sit, quæ facile rursus componi possit, ædificia sua non quidem exurunt, antequam tamen ad prælium pergant, illis prorsus euacuatis, supellectilem in locum ab insidijs tutum traducunt. Profecti igitur in militiam, cum ad pugnam ventum est, quilibet pro se & Rege suo strenue depugnant, atque vt victoriam reportent, laborant grauiter. Durante autem conflictu tympana pulsantur, & classicum eburneo cornu canitur, more in bellis vsitato. Si quos in hostium manus viuos peruenire contingat, illi perpetuæ seruituti mancipantur, ita vt libertatem sperare nunquam possint, qui vero trucidati in bello occumbunt, à parte victrice postmodum cocti, in cibum assumuntur. Non semper autem aperto Marte decernunt, sed per insidias etiam interdum domicilia hostium exurunt & oppida eorum subuertunt, illis in exilium fugatis & eiectis. Cæterum finito bello & lite composita, fit interdum vt pacem Reges

Mulierum in Guinea qualis sit cõditio viris in bellum proficiscentibus.

Paci inter Reges in

Reges constituant,& mediante iuramento alter alteri promittant,quod ab armis abstinere, & nihil imposterum noui moliri aduersus se inuicem velint.pro confirmatione autem huius tractationis, cum verbis fidem non habeant,alter alteri virum aliquem, tanquam obsidem pacis tradit,quem ex præcipuis nobilibus Regis esse necesse est. Offerendus autem Regi, vario primum colore pingitur & mirum in modum exornatur,deinde humeris satellitis cuiusdam regij insidens,ad Regem transmittitur,à quo honorificè non solum excipitur, sed & ad dies vitæ honestè semper habetur.

Guineæ tractatio & cõfirmatio.

Cum aliquando Batavi ad insulam quandã Guineæ regno subiectam , in flumine Gabam appulissent, Nigrita quidam illis obuiam venit,quo duce tugurium aliquod multis Nigritis refertum ingressi sunt. Postquam autem in stragulo terræ imposito consedissent, aderat mox aliquis qui manu humeros eorum pulsando,Meni Gabam inclamaret. Batavi rerum ignari,& quid suspicarentur dubij , oculos eleuarunt,moxque hominem in eleuato quodam aliquot gradibus loco, instar alicuius idoli, immotè sedentem conspexerunt, forma admodum horrenda. Ad pedes eius mulier quædam nigerrima,caudas aliquot Elephantorum quibus ventum homini faceret,tenens, prona iacebat. Erat autem Insulæ dominus, itaque mox in genua procumbentes, Batavi more gẽtis vsitato eum venerati sunt , plauseruntque manibus,donec & ipse Dominus manuum suarum applausu illis innueret, quo facto munera sibi inuicem varia obtulerunt. Reliqui in-

Batavi ad præfectum quendam, in Guinea perueniunt.

terea Batavi ad duo miliaria versus caput fluminis progressi in vicum amplissimum, descenderũt. Aderant ibi plus quam mille Nigritæ vtriusque sexus, iacula & latos cultros manibus tenentes, Batauísque manibus suis applaudentes. Cæterum Batavi Nigritam quendam in naui secum habebant, vt dux viæ ipsis esset, is in vndam mox insiliens ad terram tranauit, paulo post autem vt terram contigit, cõfertim omnes, præsertim fœminæ collum eius circumfusis brachijs complecti, & lætum pæana canere cœperunt, tantusque præ lætitia tumultus exortus est, vt alter alterum exaudire non posset. nam tametsi ex vico quidam, baculum longum manu gestans, progressus, quietem ipsis imperaret, proficere tamen nihil potuit, donec Nigrita ille ad Batauos iterum, & cum eo anus quædam rediret. Erat hæc admodum annosa, & corpus viridi colore picta, ramusculos duos virides manibus gestabat, in signum pacis & amicitiæ firmandæ. Cum igitur qui in ripa fluminis stabant Batauis plaudentes innuerent, duos ipsi in scapha ad circumstantes ablegaruut, qui incredibili lætitia ob illorũ aduentũ exultantes, gregatim circũ eos fundebantur. Procedentes autem ad præfectũ, sequebatur fere media circumstantium multitudo, præ cæteris autem stipabant eos multæ fœminæ exultantes haud aliter ac si insanirẽt. Maxima pars latos cultros in manibus ferens, eos tanto cum fragore collidebant, vt spectantibus formidinem incuterent. Lætitia autem omnis inde extitit, quod nullos antea albos homines conspexerant, quibus cum commercia

Batavi cum magna lætitia à Nigritis excipiuntur.

cia exercere ipsis licuisset. Præfectus domum habebat erectis saltem stipitibus aliquot constructam, cumque Batavi ad eam venissent, cogebantur ibi per horæ ferè dimidium ante ostium eum operiri. Egressum autem famulus sequebatur, qui stragula aliquot & duas sellas, maiorem alteram & alteram minorem ei ministraret. Præfectus per vniuersum corpus, perque totam faciem creta dealbatus erat, caput tegebatur mitra pellicea alba, cristis circumquaque erectis, gerebatque brachijs cruribusque catenam osseam plusquam centies inuolutam. Sedēti in sella maiori adstabat fœmina quædam ætate matura, quæ coloris ei albi nonnihil ministrabat, quo ipse manus alluebat, residuo in adstantes proiecto. Idem vero & vxori eius porrigebatur, quæ cantando, & saltando domum egrediebatur, multis ministrantibus sibi mulierculis alijs stipata. Præfectus porro aduentum Batauorum perquam gratum sibi esse dicebat, applaudensque manibus, merces suas afferre Batauos iubebat, satis dentium Elephantorum adesse dicens, quos permutare possent.

Postero die cū Batavi merces suas in terram exponere cunctantes, paulo diutius emanerēt, octodecim Nigritæ scapha aduecti, tympanū ex trunco excauato factum pulsabant. Quidā autē nauē Batauorū conscendebant, inter quos vnus erat toto corpore, totaq; facie dealbatus, is ramum viridē prætendens, alligatum ei tintinnabulum ad singula Batauorum verba mouebat, idem & ad responsa ipsorum faciens. His peractis ita in terram consedit, protulitq; *Nigritæ Batauorum nauem conscēdunt.*

verba

verba quædam tanto conatu & horrore, ac si fanaticus esset, sub id porrigebatur ipsis patera vino palmari plena, qua se ordine propinãdo ad horam ferè dimidiam largiter proluebant. Postmodum in scapham suam reuersi, ad littus reuecti sunt, innuentes Batauis vt cum mercibus suis sequerentur, qui morem eis gerentes, ferramenta quædam secum asportãtes, in domum præfecti recepti sunt.

Batani sepulchrum Nigritarum inueniunt.

Facta permutatione, pagum passim perambulantes, paruum tugurium vix trium pedum altitudine offenderunt, aperto nihil ex altera parte tecto, vt introspicere quis facile posset, repositum autem ibi erat cranium infantis quod in vnam oculorum cauitatem os album insertum ostentabat, varijs ossibus hinc inde dispersis, vt monumentum vel sepulchrum id esse hominis demortui facile coniectura assequi possent. Paulo amplius progressi, in tugurium aliud inciderunt, quod vario omnis ætatis sexusque hominum cantu ita perstrepebat, vt prætereuntibus stupori esset. Erat autem in domo ista funus aliquod, itaque inde digressi ad tugurium aliud peruenerunt, cumque ad illud magnum fieri omnis ætatis sexusque hominum concursum fieri viderent, accedentes propius parturientem ibi mulierem conspexerunt, nam mulieres parturientes nihil ibi verecundantur, licetque tam viris quam mulieribus, quin imo & pueris puellisque accurrere, & in omnium conspectu infantem enituntur, circumcidentes eum postmodo, cuiuscunque (quod mireris) sexus aut conditionis fuerit.

CAP.

CAPVT XII.

DE SVPERSTITIONIBVS POPVLOrum in Guinea varijs.

QVamuis superuacaneum videri possit, de religione Guineensium tractationem aliquam suscipere, cum ab eis vix certi aliquid hac de re intelligi & cognosci possit, attamen cum in familiari colloquio modo hoc modo illud Batavi ab ipsis intellexerint, ne sine omni eos religione esse quis arbitretur, aliquid hac de re annotandum quoque esse putamus, præsertim cum ceremonijs vel ineptijs potius & superstitionibus varijs intenti esse deprehendantur. Accidit igitur haud semel vt de vita æterna & extremo iudicio interrogati, iudicium quidem extremum sese ignorare responderint, vita autem defunctos in alium mũdum migrare, vbi varia suppellectili & rebus alijs perinde vt & in hoc mundo indigeant, quam ob causam solere se defunctis partem aliquam supellectilis adiungere, & si quid forte perdant, eiusmodi cogitationes animo cõcipere, venisse forsitan aliquem amicorum suorum ex altero mũdo, & illud abstulisse, quod eo carere diutius non potuerit. Cæterum de Deo interrogati, nigrum eum esse & malum, admodũ damni sibi inferre plurimum responderunt, bona quæ haberent, ex terra mediante labore suo, nequaquam vero à Deo profecta dicentes. *Religio in Guinea vana & ferè nulla.* *Guineensium de vita æterna opinio.*

Interim infantes suos Iudæorum vel Turcarum potius more circumcidunt, Mahometis in eo legem secuti, quemadmodũ multas præterea, *Guineenses circumcisionẽ retinent.*

terea, Mahometicam quæ ſapiunt ſuperſtitionem. Ceremonias habent alias, quarum hæc quoque vna eſt, quod pernitioſum exiſtimant & reprehenſione digniſſimum, ſi quis expuens, ſaliuam in terram proijciat. Literas omnino nullas norunt nec libros etiam vllos habent. Sex tamen hebdomadæ diebus, quibus negotia & opera vocationis peragunt finitis, ſeptimo tandem die quieſcere ab omni opere & labore cernuntur. Non tamen ſabbathum Iudæorum nec diem Chriſtianorum Dominicum, ſed eum qui tertius in ſeptimana eſt, nobis dies Martis vocatus, obſeruant, & ita ſolẽnem habẽt, vt neq; piſcatoribus piſcatum ire, nec agricolis & mulieribus ruſticis, quicquam in forum portare liceat. Vinum quod hoc die colligitur, cum publicè diuẽdi non poſſit, Regi offertur, qui illud veſperi aulicis ſuis ebibendum diſtribuit.

Sabbatum in Guinea.

In medio foro menſam habent, quatuor columnis, quarum altitudo eſt duarum vlnarum, impoſitam, cuius ſuperficies plana, ex ſtramine & arundinibus firmiter inuicem contextis conſtat. Hanc multis vndique orbiculis ſiue annulis ſtramineis exornant, quos Fetiſſos vocant, impoſitumque in eam frumentum cum oleo vel aqua Numini ſuo offerunt, quod eo veſci omnino perſuaſum habent, ignorantes ab auiculis & volatilibus cœli illud in abſentia ſua clam abſumi. Sed & Sacerdotem habẽt, quem Fetiſſero, hoc eſt miniſtrum Numinis ſui vocant. Hic ſingulis diebus feſtis in forum prodit, collocatoque in medio menſæ illius ſcamno conſidet, & orationem ſatis prolixam

Altare & ſacrificia.

Sacerdos in Guinea concionem habens.

sixam ad populum habet, qua finita infantes sibi à mulieribus oblatos aqua cui lacerta innatat, aspergit, & populum sacris illis finitis iterum à se dimittit, verba quædã ignota magno clamore pronuncians, & mensam illam aqua qua infantes aspersit, vndique imbuens.

Corpori suo multos hinc inde ex stramine factos annulos seu orbiculos alligant, tutos sese illis reddi existimantes ab omni malo & incommodo, quod à numine suo aliàs metuendum sibi esset. Mane vbi strato surgentes corpus suum aqua abluerunt, faciem suam terra candida, cretam apud nos æmulante, illuminant, idq; in honorem Numinis seu Fetissi sui, loco precationis matutinæ habentes. Cibum capere volentes, primam buccellã Fetisso suo largiũtur, quemadmodum & primũ vini haustulum, aspergentes nimirum eo annulos istos stramineos à corpore & pedibus suis dependẽtes. Piscatores si forte parum pisciũ capiant, Fetissero suo auri aliquantulum largiuntur, vt coniuratum Fetissum cogat pisces ipsis maiori copia suppeditare. Is postea cum vxoribus suis, quas habet omnibus, ciuitatem obambulans, pectus suum percutit, & concussis manibus ingentem strepitum facit, vt luctus non vulgaris speciem præbeat. Ad littus autem maris venientes, ramos aliquot ab arboribus decerptos, collo circumdant, & tympanum in numinis sui gratiam pulsant. Tandem ad vxores suas in littore maris stantes, conuersus Fetisserus, expostulat cum eis, & frumentum resque alias in mare abijcit, cibum

Ceremoniæ variæ ad cultum numinis in Guinea pertinentes.

Numina irata quomodo in Guinea placentur.

bum quasi Fetisso oblaturus, quo placatus piscatoribus iterum reconcilietur. Rex Fetisso vel numini suo sacrificium oblaturus, confert se ad arborẽ quam pro numine habet, & Fetisserum ex ea quærere iubet, quicquid scire desiderat. Is cum vxoribus suis ad arborem accedens, multos ibi cineres in aceruum accumulat, decerptumque ab arbore ramum eis inserit, deinde haustam ex pelui aquam in ramum istum expuit, ac tandem post multas ineptias faciem suam cineribus inficit, & quæstionem Regis clara voce pronunciat, ad quam cacodæmon postmodum ex arbore respondet, vt ita Regis petitioni satisfiat.

Rex in Guinea numini suo sacrificiũ offert.

Non solum autem Reges, sed & alij proceras arbores pro numinibus colunt, & ad eas aliquid scire expetentes confugiunt, vbi cacodæmon quidem ipsis haud raro in forma alicuius nigri canis apparet, vel etiam inuisibili specie ad interrogata respõdet. Sunt qui inter Fetissos & numina sua etiam auem quandam numerant, quam Ardeam stellarem aliqui, à punctis quibus tanquam stellis eleganter picta cernitur, aliqui Taurum, quod mugitum quodammodo bouis imitetur, vocant. Iter enim aliquo facturi, si forte vocem & mugitum huius auis audiant, ingentem animo lætitiam concipiunt, Fetissum eam esse dicentes, qui iter facientibus defensionem & patrocinium suum promittat, quamobrem ad locum eum, vnde vocem eius audiuerunt, vas aliquod aqua plenum, cum granis aliquot frumenti deponunt, vt quod edat bibatque ibi inueniat. Quemadmodum autem inter aues, sic inter pisces

Arbores pro Dijs habentur.

Aues pro numinibus habentur.

pisces etiam suos Fetissos siue Numina habēt, quosdam enim omnino non capiunt, vt Thynnos, numina quædam marina eos esse dicentes. Illud vero pisciū genus, quod Xiphias & Gladius Plinio dicitur, capiunt quidem, sed in cibum, nisi Xipho siue gladio prius abscisso, non assumunt, quem postmodum arefactum, pro insigni Fetisso vel numine habent. Sed & montium cacumina in Deorum numero habent, cibo enim & potu vacua esse non facile sinūt, nec iter etiam facientes facilè prætereūt, quin ascendant prius, & cibi aliquid potusque ibi deponāt. Et his quidem ineptijs superstitionibusque tam obstinati inhærent, vt suis etiam manibus Fetissos seu Numina sese sibi parare posse existiment.

Pisces pro numinibus habentur.

Montium cacumina pro numinibus habentur.

Mortuo enim inter ipsos aliquo, nouum statim Fetissum siue Numen faciunt, orantes vt defunctum istum ad alterum mundum iam proficiscentem comitetur, & ab omnibus periculis in itinere tueatur. Itaque conuenientibus amicis & cognatis omnibus, gallinam primo mactant & ad coquendum præparant, postea in angulo domus defuncti considentes, omnes quos defunctus habuit Fetissos in medium prolatos, ordine disponūt, maximum quēque medio loco ponentes, & fabis pisisque funiculo ex arborum corticibus facto, sphærularum precatoriarum instar transmissis, exornantes. Hoc facto sanguine gallinæ Fetissos aspergunt, & allatas quasdam ex agro herbas virides, torquis instar à collo suspendunt. Interea dum his ineptijs viri intenti sunt, elixam mulieres gallinā in patina afferunt, & inter

Quomodo Fetissos seu numina noua in Guinea faciant.

medios Fetiſſos deponunt. Poſtea Fetiſſero exurgens incantationes ſuas exorditur, hauſtam enim ſubinde inter loquendum ore ſuo aquam in Fetiſſos illos expuit, decerptaque de herba viridi à collo ſuo ſuſpenſa duo vel tria folia, in formam pili alicuius conuoluit, quam pilam duobus digitis comprehenſam per pedes hinc inde traducit, cumque liquorem inde ſuper Fetiſſos expreſſerit, eam deponit, pilam nouam ex alijs quæ adhuc ſuperſuut folijs cõponens, & ceremonias modo dictas toties repetens, donec omnis, quam à collo ſuſpenſam habebat herba conteratur & in pilas ſeu globos eiuſmodi redigatur. Tunc enim omnibus illis in pilam vnam pugni magnitudine conglobatis, faciem ea ſuam inficit, vt ita Fetiſſus inde fiat, quo facto defunctus quietem aſſecutus dicitur, ipſique collectas rurſus ineptias illas, ad futurum vſum reponunt.

Funus in Guinea quibus ceremonijs ſepeliatur.

Ad defunctum interea vxor eius quam habuit, chariſſima conſidens, continuis lachrymis caſum eius deplorat, proximæ vero ex amicis mulieres circa domum conſtitutæ cantare & vaſa ſua ænea ſeu pelues pulſare videntur, ſaltentes ſubinde & manibus pedibuſque perſtrependo tumultum non exiguum excitãtes, donec funus à viris quibuſdam efferatur, tunc enim mulieres iſtæ ſingilatim illud comitantur, baculum manu tenentes & capita ſerto ſtramineo ornatæ. Cum ad locum ſepulturæ ventum eſt, libitinarius humum aperit, & foueam quatuor pedes profundam facit, deinde impoſito cadauere, foueam illam multis ſudibus paliſque operiunt, ita vt nihil penetrare

trare ad funus possit, Mulieres autem hinc inde supra sepulchrum serpendo, multas querelas proferunt, atque ita defuncto suo vltimum valedicunt. Hoc facto humus iterum affunditur, aggestaque terra instar muri alicuius quadrati eleuatur. Vniuersam autem defuncti supellectilem, vtpote patinas, ollas, lebetes, vestimenta item & alia quibus in vita sua defunctus vsus fuit, sepulchro imponunt, armis illud vndique obsepientes, ne in altero forsitan mundo rebus eiusmodi necessarijs destituatur, Insuper & amici munera quædam afferũt quibus defunctum honorent, & ea simul vel terræ mandant, vel sepulchro imponunt, tanquam monumentum & pignus aliquod amoris sui. Quod si vino forte defunctus in vita sua delectatus fuit, vasculum aliquod vini sepulchro imponunt, vt habeat quo sitim in altero mundo restinguat. Tandẽ tectum sepulchro imponũt, quo vasa ista omnia à pluuijs defendãtur.

Cęterum Rege aliquo defuncto, luctus multo maior cõspicitur, tantis enim propter mortem magistratus sui afficiuntur & anguntur doloribus, vt dici & explicari satis non possit. Ceremoniæ sanè & ritus, quibus in sepulturis Regũ vtũtur, ijdẽ quidẽ sunt cũ cõmemoratis modo, sed cũ Reges multorũ ministerio opus habeãt, necessariũ existimant multos ipsis adiungi famulos, qui non in itinere solum eum comitentur, sed & in altero mundo ipsi famulentur, & ministeria omnia peragãt. Quod igitur nobiles attinet, qui in aula regia Regi ministrarunt, horum quilibet mancipium aliquod Regi defuncto largitur, cuius ministerio

Regi defuncto multi famuli & ancillæ adiunguntur.

nisterio in altero mundo is vtatur. Alij ex vxoribus suis vnam ei largiuntur, quæ cibum paret & in alijs ei gratificetur, sunt qui filios filiasque ei suas offerant, vt ita vtriusq; sexus satis magnus congregetur numerus eorum, qui Regem comitentur. Omnes autem interficiũtur antequam id animaduertant vel cogitent, qui enim Regi munus huiusmodi offerre constituerint, tectè id dissimulant, & peregrè ablegatos, per insidias interfici curant. Et quidẽ cadauera illa omnia sanguine probè perlita, vni cum Rege sepulchro imponuntur, vt simul cum eo iter faciant, sed & vxores quæ Regem præ cæteris charum habuerunt, vltrò mortem oppetere non verentur, ne in altero mundo ab eo forte segregentur. Capita autem eorum, qui ita trucidati sunt, terræ non mandantur, sed ceruicibus resecta hastis affiguntur, vt stipatum illis & circumseptum monumentum exornetur, quod quidem ad honorem Regis non parum facere existimant, cæterum monumento postmodum cibum potumque, vt quod edant bibantque habeant, imponunt, vestimẽtis, armisque & rebus omnibus quas in vita sua charas habuerunt, sepulchro simul illatis, & in terram defossis, ne quid ipsis in altero mundo deesse possit.

CAPVT XIII.

DE IVDICIIS FORENSIBVS ET DElictorum pœnis, itemque de vermibus quibus homines in Guinea obnoxij sunt.

ACerrimi sunt mandatorum regiorum in Guinea vindices, si quis enim vel in minimo contra mandatum Regis peccet, vel impositam persoluere mulctam, vel ciuitate & territorio Regis excedere cogitur. Quamprimum igitur ad præfectum regium quis defertur, tympanum ille pulsari iubet, moris enim est, vt si quando iudicium aliquod publicum fieri debeat, seruus quidam suspensum à collo tympanum per totam ciuitatem ambulando pulset, quo facto præfectus statim cum vniuersa nobilitate armati in forum procedentes cõsident, accurrente & congregante sese statim vniuerso populo, auditum quid præfectus dicturus & in medium prolaturus sit. Quod si autem iam reus iste in cœtu forsitan adsit, facta denominatione comprehensus in domum præfecti abducitur, vbi vel vinculis ligatus, si causa ardua sit, vel solutus & liber, si non vsq; adeo seria existat, per spiculatorem continetur, ita vt ne pedẽ quidẽ domo mouere possit, donec transacta causa iudicium finitum sit. Nobiles enim Senatores omnes interea in foro residentes cognitioni causæ student. Facta igitur accusatione, admonetur per præfectum, qui ad hoc delectus, domum concedit, reliquis in foro expectantibus, aut ad obiectum crimẽ respondeat, cumque id non continuò sufficiẽter satisprætare potest, ad mulctam continuo con-

Iudiciorum publicorum in Guinea ratio.

condemnatur, eamque etiam sine vlla exceptione præstare cogitur, si vero tantum in bonis non habeat, Regis nomine seruus declaratur, & pro mancipio diuenditur, ne Regi quid de mulcta sua decedat.

Quod si quis igitur homicidium fecerit, potest sese à capitali supplicio liberare, si cum Rege agat, & ei hoc nomine satisfaciat, tunc enim homicida ille ab omni actione defuncti liberatur, ita vt nemo actionem aduersus eum hoc nomine instituere possit. Quod si quis in adulterio deprehensus sit, Rex quidem adulterum bonis omnibus exuit, mulier vero suo ipsius viro mulctam persoluere tenetur, ni repudiari ab eo velit. Accidit ante paucos annos, vt vir aliquis in vicum quendam debitorum quorundam exigendorum gratia profectus, à muliere quadam, quæ ad mercatum eò venerat, ibi fortè conspiceretur, quam ipse ante annum splendidis inductam promissis violauerat. Hæc igitur ad præfectum accedens, accusat hominem, quod pro vitio sibi oblato mercedē nondum soluisset. Is contra non inuita sed expetente & volente ita muliere factum asserebat, verum cum allatam à Fetissero aquam haurire recusaret, & mulier eam continuo biberet, damnatus à præfecto se librā auri persoluere coactus est. Accidit similiter vt aliquis litem alicui moueret de fratre suo ante biennium defuncto. Accedens igitur ad præfectum accusabat eum quasi fratrem suum interfecisset, Fetissi vel numinis sui auxilio, quem in perniciem fratris exorasset. Præfectus audita accusatione, comprehēsum reum, iudicio sisti iubet, qui respondens sanctè affirmabat, nihil

Adulteri pœna apud Guineenses.

per totam suam vitam, litis & dissensionis sibi cum fratre Actoris intercessisse, seque quo tẽpore mortuus is fuisset, præsentem ibi non fuisse, sed in alia aliqua ciuitate commoratum esse. Instabat Actor, precibus eum à Fetisso obtinuisse, vt frater suus moreretur, itaque cum ipse id constantissimè negaret, nec tamen aliter euadere posset, potum à Fetissero allatum bibit, & hoc facto iudicio absolutus fuit.

Potus hic iurisiurandi vim obtinet, & ipsis Enchionbenou dicitur, paratur vero ex herbis quibusdam recentibus, quarum vsus est in faciendo Fetisso. Dicitur eius esse efficaciæ, vt qui eo contra conscientiã suã falso vtitur, à Fetisso subitanea morte puniatur, bibentibus vero eum in confirmationem & testimonium veritatis atq; innocẽtiæ suæ, cuius sibi optimè conscij sunt, nihil detrimenti inferatur. Beneficio igitur huius potus, præfectus veritatẽ explorare potest, vt ita difficile amplius non sit sententiam ferre, cũ qui sibi male cõscius est, seipsũ accusare, & sẽtẽtiã quasi cõtra seipsum pronũciare cogatur, metu nimirũ numinis sui; cũ sibi omnino persuasũ habeãt, neminẽ qui cõtra cõsciẽtiã suã potũ hũc bibat, mortẽ euitare. Accusat' igitur in iudicio aliquis, si factũ neget, & innocentiã suã iureiurãdo cõfirmare paratus sit, ad potũ hũc statim remittitur, quo allato, aliter facere nõ potest, quã vt verritatẽ aperiat, & fateatur quod res est. Hoc ipsi potu, si mulier quædã in suspicionẽ violatæ pudicitiæ apud virũ veniat, purgare sese potest, nã si reã se nouit, ne gustare illũ quidẽ audet, morte subitanea se punitum iri metuens.

Potus quo veritatem in iudicijs Guineenses explorant. NB

Pœna delinquentes et iam in amicos eius redundat.

Quod si quis condemnatus, mulctam impositam Regi persoluere non possit, & vero aliquem habeat siue consanguinitate siue affinitate sibi coniunctum, qui sub ditione eiusdem Regis habitet, accersitus ille pecuniam exponere pro ipso cogitur, ni vnà cum reo vrbe excedere velit. Regi enim modis omnibus satisfaciendum est, & si illud tempestiue non fiat, non reus tantum, sed & omnes eius consanguinei atque amici vrbe excedere, & tamdiu exulare coguntur, donec Regi satisfactum sit, tū enim ad possessiones suas redire ipsis permittitur.

Pœnæ capitalis in Guinea ratio quæ sit.

Si quis capitale aliquod delictum commiserit, absque incarceratione diuturniori ad mortem condemnatus, spiculatori vel carnifici commendatur. Is obligatis oculis & manibus post tergum reuinctis, in campum eum extra vrbem protrahit, ibique demisso nonnihil capite in genua procidētem iaculo transfigit, vt exanimis in terram proruat, quo facto caput securi resecat. Non enim existimant verè aliquem mortuum esse, nisi abscisso à ceruicibus capite, corpus in quatuor partes dissectū, volatilibus cœli in cibum proijciatur. Peracto supplicio, consanguinei & amici eius eum deploraturi conueniunt, & viri quidem caput eius in ollam iniectum coquunt donec ossa cute & carnibus denudata appareant, tunc enim & iusculo & carnibus deuoratis, cranium iuxta Fetissum reponunt, mulieres vero lachrymis indulgentes, miseriam & infelicitatem interfecti lugent.

Si

Si contentiones priuatæ inter eos exorian-tur, & præfectus regius causam componere nō possit, tanta cum animorum exacerbatione à iudice discedunt, vt ad pugnam sese inuicem prouocent & armis litem dirimere statuant. Facta igitur prouocatione vterque amicis suis causam exponit & pugnæ sibi socios exorat, quibus stipati cum dicto die in arenam descē-derunt, iaculis sese inuicem tamdiu petunt, donec alter percussus concidat animamque exhalet. Cæterum finito cum morte alterius, certamine, consanguinei eius qui perijt, per-cussorem à parte altera requirunt, vt in serui-tutem eum redigant, & tametsi is sese arrepta fuga subduxerit, ab inquirendi tamen studio non remittunt, donec eum accipiant. Tunc ve-ro vxori eius qui interfectus est offertur, quæ pro libitu suo vel retinere eum & in seruitu-tem redigere, vel pro certa pecunia vendere potest, vt ita perpetua seruitute puniatur, nisi forsitan certa pecuniæ summa vxori & amicis interfecti satisfaciat, atque ita seruitutis iugo sese liberet. Verum rarissimè duellum eiusmo-di instituitur, amicis nempè ab vtraque parte lapidem omnem mouentibus, vt placata con-tentione, alter alteri reconcilietur.

Contētiones priuatæ duello sæpe in Guinea dirimuntur.

Non possum quin de morbo quodam huic tantum regno & præterea Armusi etiam insulæ (vt suo loco dicetur) peculiari paucula hic adijciam. In corporibus enim tam incola-rum, quam eorum qui hæc loca frequentant, vermiculi nascuntur, præsertim si circa castel-lum de Mina sese multum contineant. Passio-nem hanc bouinam vocari Paludanus anno-

Vermes in corporibus Guineensium nascuntur.

tat, idque à bobus qui ea subinde infestantur. Non apparent autem vermes hi apud omnes qui nauigationem ad hęc loca susceperunt, nec eodem tempore se exerunt. Quidam enim citius, quidam tardius illis torquentur, sic enim inuenias quid dum in itinere adhuc sunt, eos accipiant, alij peracto itinere, post menses aliquot, alij post totius anni à reditu suo decursum illis infestatur. Quin & aliqui ab eis prorsus immunes sunt, etiamsi aliquoties loca hæc frequentarunt. Ex incolis, quo castello de Mina viciniores sunt, eò hoc morbo magis obnoxij deprehenduntur. nam qui vel ad 25. leucas, septentrionem versus inde distant, dolores hosce prorsus ignorant.

Vermium in corporibus humanis nascentium causa.

Quod ad causas attinet, vnde hi vermes in humanis corporibus nascantur, Nigritæ quidem varias afferūt, sed nullam verè confirmare possunt, Quidam enim prouenire eos dicunt ex nimia cum mulieribus familiaritate & consuetudine. Alij ex certis quibusdam piscibus, quorum quotidianus ibi vsus est, eos oriri asserunt. Alij aquam cui natando se immergunt, alij terram vnde fructus decerpunt, incusant, alij vino palmari causam imputant, vt verè hic dicere possis, quot capita tot sensus, quilibet enim peculiarem sibi causam fingit, eamque cæteris omnibus præfert, & præ alijs tuetur, cum nemo tamen sit, qui rationes sententiæ suæ vel in speciem probabiles afferre possit. Certum enim est causas hasce nullas esse, cum contrarium sæpe acciderit. Deprehensum enim est aliquos, quibus cum Nigritis mulieribus nulla intercessit familiaritas,

qui

qui à piſcibus, vino palmari, aquiſque marinis abſtinuerunt, lauando ſe nunquam oblectarunt, nec pedem etiam è naui in terram poſuerunt, plus tamen à vermibus hiſce doloris perpeſſos eſſe, quam qui rebus illis omnibus vſi ſunt. Præſumitur autem omnium maximè ex aqua potabili eos progenerari, quæ ex lacunis & ſtagnis hauritur. Ea enim ab aqua pluuia corrumpitur, quæ in locis iſtis tota rubicunda eſt & adeò perniciosa, vt ſi aliquis ea madefactus ad ſomnum ſeſe componat, morbum inde contrahat periculoſiſſimum, itáque ipſi etiam Nigritæ pluuiam ſummo ſtudio vitant, & ad guttas eius ita exhorreſcunt, ac ſi febri corriperentur, cum natura eorum à crudis humoribus ſit alieniſſima, vnde etiam noctu dormientes igni obuerſos pedes habere cernuntur.

Dolor à vermibus intolerabilis.

Dolor ab his vermibus incredibilis exiſtit, quidam enim nec ſtare nec incedere, quidam vero nec ſedere nec decumbere poſſunt. Aliqui quaſi mente capti in furorem aguntur, & vt vinculis maturè conſtringantur opus habent. Sed nec vno modo ſeſe exerunt, quidam enim cum frigore & horrore, quidam cum æſtu & calore, præſentiam vermis alicuius deprehendunt. Declarant autem ſeſe in aliquibus per exiguam puſtulam, apud alios per punctuuras rubentes & quaſi pulicum veſtigia ſe oſtendunt, in quibuſdam ingentem tumorē excitant, & tunc ſub cute latentes facile animaduertuntur. Apud aliquos deniq; per vlcera & carbunculos erumpunt. Præterea in diuerſis etiam locis, nempe in ſuris & pedibus, in genibus & poplite, in crure, brachio, femore,

in inguine & ſcroto, maxime vero omnium in partibus carnoſis apparent. Ad quantitatem eorum quod attinet, ea quidem non vniuſmodi eſt, quidam enim inueniuntur vel orgyá integrâ longi, alij vero breuiores ſunt. Quidá craſſitie ſua fides in teſtudine craſſiores, quidam minores æmulantur, ſunt etiam qui vix tenuiſſima, vel bombycina vel linea fila craſſitie ſua aſſequantur,

Vermium in corporibus naſcentiũ curatio.

Quod vero ad curationem eorum attinet, Nigritę quidem remedia illis nulla adhibent, ſed exitum ipſis liberum relinquunt, quo abſoluto, vulnera ſola aqua marina eluunt, quam illis admodum conuenire affirmant. Non eſt autem neceſſe, vt antequam appareant remedia eis adhibeantur, ſed quamprimum in corpore animaduertuntur, neceſſarium eſt, vt à labore quis abſtineat & ad quietem ſe componat, idque potiſſimum ſi pedes eo infeſtentur, tunc enim motus crebrior, pernitioſiſſimus eſt, quies vero gratiſſima. Frigus autem diligẽter caueri debet, quo enim quis magis quieti & calori ſtudet, eò curationem magis promouet & citius hoc malo liberatur. Neque vero etiã promotione alia, vtpote cutis apertione & ſectionib⁹ opus eſt, ipſimet enim ſibi exitũ quęrunt, & caput perforata cute exerunt. Cum autem eò vſque peruenerunt, vt apprehendi digitis poſſint, paulatim extrahendi ſunt donec ſequantur. Cauendum tamen ne nimis vrgeantur, vbi enim ſubſiſtunt, reſpirandum eſt, & à vellicatione protractioneque abſtinendum, donec ipſi ſeſe rurſus mouere incipiant, interim vero pars illa, quæ extra cutem prominet, diligen-

diligenter vel baculo inuoluenda, vel colliganda est, ne remeando, corpori sese rursus insinuet. Cęterum promotio hæc singulis diebus tentanda & repetenda est, donec prorsus extrahantur, interim tamen videndum, ne abrumpantur, antequam exitum inuenerint, veneno enim constant præsentissimo, quo infectum vulnus ita intumescit, vt inde periculum haud vulgare ægrotis existat. Non raro autem accidit vt vno extracto, alius statim ei succedat & per idem etiam foramen exitum sibi quærat. Quin etiam alij pluribus, alij paucioribus torquentur. Sunt enim qui decem vel duodecim vermes, simul & semel, ex diuersis corporis partibus, prominentes habeant, qui quidem quantum inde percipiant doloris, quilibet æstimare facilimè potest.

CAP. XIV.

DE PRIMA CONGIANI REGNI DEtectione, & ad religionem Christianam conuersione.

POst Nigritarum regionem, & regnum Benin, amplissimũ Congi regnum occurrit, quod ad Aethiopiæ partem inferiorem seu exteriorem pertinens, Ptolemæo & veteribus alijs totum incognitum, à Lusitanis vero superioribus seculis inuẽtum & perlustratum primum fuit, idque studio & opera cuiusdam Iacobi Cani, circiter annum 1480. tempore Ioannis secundi Portugalliæ Regis, is enim acceptis à Rege nauibus aliquot, vltra metas Alphonsi

Congi regnũ veteribus incognitũ quando & à quo primo detectum fuerit

phonſi Regis procedens, ad oſtium ingentis fluuij, qui ex ipſis Nili fontibus originem trahens, Zaire ab incolis dicitur & multa aquarũ vi in Oceanum ſeſe infert, peruenit. Collocata igitur in ipſo fluminis oſtio columna cruce & inſignibus Luſitaniæ Regis inſignita, ipſe aduerſo flumine ſubuectus, errantes paſſim Aethiopum greges vidit, atro calore vibratoque capillo, vt cæteros, veruntamen vt vberiore ſolo, ſic etiam ingenio moribuſque longè mitioribus, quippe qui leuibus duntaxat munuſculis & benigno vultu inuitati, ſeſe aduenis tanta ſecuritate credebant, vt eorum etiam naues, ſine vllo metũ vllaque ſuſpicione, inuiſendi gratia conſcenderent. Erat Luſitanis ſermo ipſorum planè adhuc incognitus, & ex multis varijſque interpretibus, nemo qui ſermonem gentis teneret inuentus eſt, nutibus ergo tum agi cœptum eſt, quibus haud ægrè cognitum eſt, præpotentem aliquem Regem plurium dierum itinere introrſum abeſſe. Quo cognito Canus aliquot è ſuorum numero ad ſingula propius exploranda, incolis ducibus in regiam miſit, ijſque obſidum loco relictis, præcipuæ indolis quatuor Aethiopes in Luſitaniam ſecum aſportauit, perſanctè pollicitus, ſe conſtituto & nominato tempore eos incolumes reducturum. Hi porro inter nauigandum & Cani cura & ſua docilitate Luſitanici ſermonis cõſuetudinẽ nacti, de Cõgi regno (ſic.n. appellari tũ deniq; didicit) deq; eius opibus, ritibus, inſtitutiſq; cũcta poſtmodũ ex fide atq; ordine retulerũt. Ioãnes Luſitaniæ rex eorũ aduẽtu mirificè lætatus, & collaudata Cani pru-

ni pru-

ai prudétia, nouos iubet hoſpites in primis be nignè & copiosè tractari, cũq; ex ijs multa per ociũ quęſiuiſſet, veritus ne lõgior mora Luſitanis obſidibus aliquid afferret incõmodi, mandat Cano, Aethiopes quãoptimè rursũ acceptos, quáprimũ in patriã reportet, ſuoſq; recipiat, tũ vbi vlteriora luſtrarit, in reditu ad Congi regem adeat ipſemet, eũq; omni ratione ad Chriſtũ allicere ſtudeat. Nec mora, tempeſtatẽ idoneã nactus Canus, peregrinos Congũ relatos, cũ obſidibus bona fide permutat, cõtinuatoq; curſu, leucas vltra id regnũ ducẽtas ferè prouectus eſt. Inde Congũ reuerſus, mira gẽtis gratulatione ad Regẽ cũ amplis muneribus & egregio comitatu cõtẽdit, à quo ſumma cũ honoris & beneuolẽtiæ ſignificatione acceptus & honorificè iterũ dimiſſus eſt, pueris aliquot nobilibus & præfecto *Zacuta*, qui antea quoq; in Luſitania fuerat ei adiũctis. Dũ Canus apud Regẽ cõmoraretur, captata aliquoties occaſione, ſermonẽ de rebus diuinis inferre & Regẽ adhortari viſus eſt, vt ſpretis inanib. Dijs, vnũ Deũ cœli terræq; cõditorẽ agnoſceret. Rex igitur officijs Luſitanorũ iã ante captus, ad ſtudiũ veræ pietatis adeò exarſit, vt aures ad Canũ ſemper ſitiẽtes afferret, ac multa ipſemet vltrò de religione quotidie quęreret. Quinimò in eandẽ animi ſensũ familiares quoq; ſuos, & regni proceres apertè monendo hortãdoq; pertrahere nitebatur. Cũ igitur Canus reditum in patriã pararet, *Zacutæ* mandat, primũ, vti ſuo nomine Ioanni Luſitaniæ Regi, pro immortalibus eius in ſe ꝓmeritis, gratias ingẽtes agat, deinde vt ab eodem ſuppliciter petat, vt & ſe &

Religionis Christianæ in Congi regno initium.

ſe &

se & pueros alios sibi adiunctos, cœlesti lauacro expiatos, & in Christiana religione probè institutos, cum pijs aliquot sacerdotibus Congum remittere ne grauetur. Vehementer optare se, cum liberis & propinquis, regnoque si fieri possit vniuerso, Christiana sacra suscipere. Addit legationi munera, magnam eboris vim & vestes ex palmarum folijs scitè admodum & artificiosè contextas. Hac legatione Ioannes Lusitaniæ Rex maximo affectus est gaudio, moxque vbi maturū visum est, Zacutā & pueros alios baptizatos, idoneis commisit præceptoribus, vt summa cū diligentia, Christianis moribus & mysterijs imbuerentur. Interea honorifica admodum legatio in Congū decreta est, cum regalibus donis & apparatu magnifico, cūq; Aethiopes in Christiana religione probe instituti essent, remissi sunt ad suos, adiunctis simul aliquot sacerdotibus & architectis ad templa vero Deo in Congi regno extruenda. Princeps autem legationis fuit ex præcipua nobilitate vir præstantissimus, Consaluus Sosa, qui tamen inter nauigandum peste extinctus est, Roderico Sosa fratris eius filio in locum eius substituto.

Sogni princeps primus omnium in Congi regno baptizatur.

Magna interim apud Aethiopes nouæ religionis expectatio erat, & cum cæteri ferme summi atque infimi, Christianorum aduentū valde expetebant, tum vero auidissimè Regis patruus, qui maritimis Congi populis, quam partem Sognum (vt postea dicetur) appellant, imperabat. Quamprimum igitur naues Lusitanorum ad ostium fluminis Zairi applicassent, ipse ingenti stipatus frequentia, cum magno cym=

cymbalorum & tubarum ſtrepitu Luſitanis in occurſum prodijt, vix præ gaudio ſui compos, cum enim exacta iam ætate eſſet, ne oblatam ſibi diuinitus occaſionem fruſtra elabi ſineret, baptizari ſe ſtatim voluit, vnà cum altero è filijs paruulo, qui per ætatem conſulere ſibi nondum poterat, alterum vero iam adultum, quanquam eodem ſtudio vehementer incenſum, expectare tamen voluit, donec Rex Regiſque liberi baptizarentur. Sequenti igitur poſtquam Luſitani adueniſſent die, templum ex truncis frondibuſq; arborum erectum eſt, adornataq; in eo ſunt tria in honorem ſacroſanctæ Trinitatis altaria, vbi deinde ipſe princeps, induto Emanuelis, & paruulus eius filius, Antonij nomine baptizati ſunt, qui baptiſmus quidem primus in illis terris incredibili omnium lætitia celebratus eſt anno poſt Chriſtum natum 1491.

Peracto ad hunc modum baptiſmo, quidam ſuggeſtũ conſcendens lingua Luſitanica Chriſtianæ doctrinæ fundamenta oſtendit, quam cõcionem, cum qui in Congo remanſerat linguamque Congianam didicerat, proceribus breuiter repetijſſet, princeps ipſemet templo egreſſus, verba ad turbam fecit, inque ſimulachra & nefarios ritus, quibus ad eum vſque diem dediti fuerant, acerbè admodum inuectus, præteriti temporis errata dolenter deteſtatus eſt, admonitione ad ſuos ſubditos addita, vt ſuum exemplum, recepta hac ſalutari doctrina omnes imitarentur. Rebus ijs cognitis, admodum lætatus eſt Congi Rex, perque eam gratulationẽ ad patrui ditionem ac fines agri adie-

Princeps Sogni idola omnia ſubuertit.

cit, quod in longitudinem leucas triginta, in latitudine vero decem pateret, itaque hac Regis munificētia magis magisq; animatus Emanuel, ad superiora Christiani animi documēta, non minus præclarum adiunxit aliud, siquidem graui edicto conquisita & comportata vndique idola, quanquam multis id ægrè ferentibus, publicè cōcremauit. Præterea Christi sacerdotes, quamdiu ibi substiterunt, tanquam cœlo delapsos, omni honore prosecutus est, deque fidei mysterijs & varijs virtutum generibus assiduè percunctatus, Deum suppliciter inuocauit, vt quandoquidem maximam vitæ partem in cacodæmonis famulatu posuisset, quantulumcunque superesset temporis, totum id in veri Dei cultu veraque pietate cōsumere sibi liceret.

Lusitani ad Regem Cōgi proficiscuntur.

Aderant interea à Congi Rege nuncij, legatum Lusitaniæ Regis rogantes, ne aduentum suum ad Regem vltra differret, Regem enim in vrbe Congo, patrui baptismo & conuersione lætissimum festos agitare dies, nihilque ei gratius esse, quam vt elutis toto animo sordibus ad filiorum Dei cætum vnà cum cæteris aggregetur. Hoc nuncio accepto, moræ nihil interponendum visum est, quin statim ad aulam regiam iter institueretur, itaque modico nauibus relicto præsidio, Sosa comitesque sese in viam dederunt, quibus præter cæteram benignitatem, ducentos stipatores Emanuel attribuit, itemque ad onera ferenda vim hominum ingentem. Totum autem iter illud centum & quinquaginta leucarum, quibus Congus ciuitas à mari distat, scopis quasi munda-

tum

rum & omnis generis cibis ab vtraque parte repletum visum est, incolis interim magno tumultu felicibusque acclamationibus præcedentibus & subsequentibus. Vbi ad mediũ ferè iter ventum est, Præfectus quidam regius officij causa Lusitanis occurrit, ad vrbem vero appropinquantibus oppidani tripartito agmine, obuiam prodierunt, qui eos etiam in medium acceptos, ad aulam tanto populi cõcursu perduxerunt, vt vix ad Regem aditus ipsis pateret, Rex in eleuato admodum tabulato, vt ex omni parte conspici posset, eburneæ sellæ insidebat, mitratus infula ex palmi folijs opere subtili & eleganti facta, à capite ad pubem vsque nudus, inde ad pedes veste bombycina indutus, sinistrum brachium armilla ex orichalco adornabat, cauda equina ex humero dependente. Admissus igitur legatus, peracta salutatione, mandatisque Regis sui expositis, per adstantes sacerdotes munera omnia, vestem sacram, tabulas pictas, vasa aurea argenteaque, in conspectu populi totius explicat, inter quã quidem expositionem Aethiopes adeo intentis oculis gestus motusque sacerdotum obseruarunt, vt eodem quo Lusitani momento capita submitterent, iungerent palmas, & genua flecterent. *Cõgiani Regis habitus & ornatus.*

His ita peractis Lusitani in hospitia benignè distributi sunt, sequẽti vero die de Regis & Reginæ baptismate sedulò agi cœptum est. Quo maiore autẽ id apparatu & ceremonijs fieret, templũ Christiano more prius ædificari visum est, quod quidẽ opus difficile admodũ erat, cũ ob alias causas, tum quod lapides & cæmen- *Congi rex templum ædificare curat.*

ta longè admodum petenda essent, sed vrgente atque instante Rege, comportatis vndique necessarijs, multis structoribus res agi cœpta est. Dum hæc autem ita fierent, adueniunt illico à regni finibus nuncij, vastari agros, tecta inflammari, hominum & pecorum greges abigi nunciantes. Anzicani enim qui vtramq; Zairi ripam inhabitant & regio subsunt imperio, rebellionem per dies illos excitarant. Fluuius enim iste ex altis decidens rupibus, in magnã se diffundit latitudinem, multasque facit insulas, quarum quædam tantæ magnitudinis & frequentię sunt, vt vel triginta hominum millia in bellum cogant. Hi igitur populi defectionem à Rege molientes, incursiones in regni extrema quotidiè faciebant. Tametsi autem Rex filium suum natu maiorem, cum exercitu eò destinauerat, componi tamen certamen sine Regis ipsius prę̨sentia omnino non posse visum est. Rex igitur ne quid sibi aduersi eueniret, ad baptismum se antequam in bellum iret admittendum censuit, & statim relicto priore magnifico opere feliciter iam incępto, magna celeritate, ipso Rege in propria persona omnia procurante, ligneum est extructum templum, in quo ipsemet cum regina vxore, baptismo tinctus est, Rege quidem Ioannis, Regina vero Eleonoræ, quæ tum Lusitaniæ regum erant nomina, sibi desumentibus. Baptizati sunt eodem die ad Regis exemplum multi etiam ex proceribus aulicis, in fide Christiana, primum pro temporis ratione aliquantum instructi. Omnibus igitur ita peractis, Rex tandem ipse ad cohercendos rebelles profectus est,

Anzicani defectionem à Congiano Rege moliuntur.

Congi Rex cum regina & proceribus aliquot baptizatur.

est, cuius quidem præſentiâ ad priſtinam ſtatim obedientiam coacti ſunt, ita vt poſt dies paucos vnà cum filio, triumphator rediret, qui cum Chriſtianæ doctrinæ diligẽtem inprimis operam dediſſet, perducto poſtmodum ad faſtigium templo, baptizatus Alphonſi ſibi nomen, quo Ioannis Luſitaniæ Regis filium vocari antea didicerat, aſſumpſit. Ne quid autem ad lætitiam deeſſet, baptizati cum eodem ſunt inſignes viri permulti, ipſe vero poſtmodum ad Sundios, quibus populis iam tum ex parentis autoritate imperabat, profectus, Apoſtolico apud ipſos munere fungi, & Chriſtianæ religionis lucem, admirabili ſtudio promiſcuè omnibus impertire cœpit. Cæterum Soſa Luſitanici Regis legatus, hoc tanto Chriſtianæ rei incremento admodum lætus, in Luſitaniam iterum reuerſus eſt, Sacerdotibus & miniſtris aliquot in Congo ad cœpta promouenda relictis. *Regis in Congi filius baptizatur.*

CAP. XV.

DE CONGIANI REGNI SITV, partibus & terminis.

Congi regnum in illo ipſo eſt tractu, quẽ veteres neſcio quibus decepti rationibus inhabitabilem exiſtimant, & Zonam torridã nominarunt, ſed inuitis vt apparet, fatis, & cõtrarium ſtatuente ipſa experientia, tractus enim eſt amœniſſimus, aëre vltra fidem potius quam modum temperato. Brumæ enim tempore nullum frigus, quod noſtrum autumnum excedat, ibi reperias, vnde veſtimentis quidẽ *Congi regnũ ſub Zona torrida ſitum.*

ad arcendum frigus nullis indigent, paruo existente discrimine inter hyemem & æstatem. Hyems quidẽ incipit ibi cum nostro Vere, Aestas vero, cũ apud nos hyẽs incipit. Continuæ aũt ibi totis quinq; mẽsibus, ab Aprili ad Septẽbrem vsq; pluuiæ sunt, aqua decidẽte copiosa, & guttis ad miraculum magnis, quã tamen terra continuo per ęstatem calore exsiccata, in principio omnem imbibit, ea vero repleta, fluuij mirum in modum aucti, vndique se effundunt, & terram adeo irrigant, vt tota æstate, qua ne semel quidem pluit, nulla humectatione indigeat. In causa sunt Ethesij, qui cum apud nos æstate, apud ipsos vero hyeme spirẽt, nubes ad montium cacumina colligunt, vnde postmodum pluuiæ indubitato descendũt. Ceterum ipsorum æstate, quæ nobis hyems est, spirant venti Ethesijs ex diametro contrarij, qui frigidissimi cum sint, intensum regionum istarum calorem moderantur, nubes & pluuias ab ipsis depellunt, & ad has regiones perducunt, idque per summam Dei prouidentiam, qui & cœlum & vniuersam naturam ita ordinauit, vt omnes partes terræ eius sentiant efficaciam, in lumine, in calore, frigore & rebus alijs ad sustentationem hominum aliorumque animalium necessarijs, pro cuiusque proportione & situ.

Aer temperatus in Congi regno vnde.

Regni Congiani pars occidentalis vbi incipiat.

Diuiditur hoc regnum secundum quatuor mundi plagas, in partem occidentalem, septẽtrionalem, orientalem & meridionalem. Occidentalis pars sita est iuxta lacum, qui à multitudine vaccarum in eius littore pascentium nomen adeptus est. Paulo interius apparet fluuius

uius Benglebi, & alius, Senga, itemque Goanza &c. qui oēs cū suis littoribus Regi Congiano quondam paruerunt; nunc vero alij subsunt Domino, qui ante paucos annos, cum Regis Congiani, in ijs, vt Vasallus, vices ageret, dominio arrepto, se amicum Regis, non vero Vasallum dici expetijt. Paulo vlterius portus est nomine Loanda, ab insula quadam factus, cui idem nomen est, & ex limo arenisque quas ab vna parte fluuius Goanza, ab altera vero mare congerunt extitit. Insula hæc ipsa quasi fodina est, ex qua opes & pecuniam suam Rex Congi accipit. Mulieres enim quædam ad hoc conductæ, mare aliquantulum ingressæ, sportulas siue corbes & vasa alia arenis complent, in quibus multæ cochleæ reperiuntur, quas ab arenis separant, ablutasque in regium thesaurum condunt. Nam licet eiusmodi cochleæ in omnibus huius regni littoribus reperiantur, nullæ tamen præter has solas, quæ colore saltem, qui cinericius est, ab alijs differunt, in precio sunt, itaque maximus in hac insula Regis census existit, nullo enim argento vel auro vel alio quopiam metallo, siue signato siue non signato, sed solis hisce cochleis, in suis mercimonijs & rebus vitæ necessarijs emendis omnibus, vtuntur, ita vt ipsum etiam aurum & argentū his ematur. In insula hac inter alia & mirabilis arbor reperitur, ipsis Enzanda dicta, hæc vbi ad egregiam proceritatē semper comata & viridis excreuit, capillamenta quædā ex ramis suis deorsum mittit, quæ terrā ingressa, nouas radices acquirunt, & ita nouum

Loandæ insulæ descriptio.

Cochleis in regno Congi pecuniæ loco vtuntur.

Arbor mirabilis totam syluam complens.

rursus truncum cum nouis ramis protrudunt, ita vt vna huius generis arbor, nouum subinde acquirens truncum, qui superius tamen cum priore arbore semper coniunctus est, progressu temporis totam syluam faciat, totam regionem completura nisi impediatur. Cortex huius arboris interior vestimenta incolis præbet, itaque magna cura inde detrahitur & ad eum vsum reseruatur. In parte insulæ, continenti opposita, nascuntur in locis humilioribus arbores sub aqua, post defluxum maris cōspicuæ, quarum radicibus magnæ adhærent ostreæ sapore iucundo, ex quarum conchis duplicem percipiunt vtilitatem, ex interiore enim parte calcem conficiunt, qua ad ædificiorum suorum constructionem vtuntur, exteriore parte vtuntur ad præparanda coria bouina, quorum in parandis calceis vsus est. Cæterum neque frumentum insula nec vinum producit, sed cochleæ tamen prædictæ incolis ad omnia sufficiunt, cum quicquid ad necessitatē & vsū quotidianū pertinet illis acquirere possint. Ab altera insulæ parte, qua mari obiecta est, balęnæ nigrę conspiciuntur, magno numero & horribili fragore inuicem confligentes, ita vt mortuæ subinde in littore reperiantur, ex quibus incolæ oleum postmodo conficiunt scaphis & ratibus eorum, picis loco perungendis conueniens. Præcipuus huius insulæ portus est versus septentrionem, insignis enim est profunditatis & è regione, in continenti, ciuitatem habet, in qua Lusitani cum vxoribus ex patria auectis habitant, sub Diui Pauli, eius enim nomini dicata est, (vt dicunt) tutela.

Arbores sub aqua nascentes.

Balænarum multitudo.

Per-

Peruenitur autem inde ad maximum totius regni fluuium Zaire ipsis dictum, qui tantæ profunditatis est, vt etiam magnis nauibus, ad 25. leucas vsque peruius sit, ibi enim ex magnis altisque scopulis tanto cum impetu & fragore decidit, vt vel ad octo leucas exaudiatur, cuius quidem casus violentia qua non solum arenas, sed magnas quoque secum lapides raptat, multæ hinc inde constituuntur insulæ, quæ Regi quidem Congiano omnes subiectę, inter se autem admodum discordes sunt. Varia in hoc fluuio reperiuntur animalia, nempe crocodili incredibilis magnitudinis, itemque Hippopotami, & aliud Ambizeangulo incolis dictum. Hoc duo membra habet, manus humanas referentia, & caudam, clypeum, forma magnitudineque æmulantem. Caro eius ab incolis fumo indurata ad delitias reseruatur. Ore bouem refert, & gramine omnique in littore herba vescitur, captũ autem ad aulam regiam deferri primũ necesse est, aliter enim, capitali proposita pœna, vendi non potest.

Zaire fluuium maximum.

Ambizeangulo piscis mirabilis.

A promontorio S. Catharinæ incipit pars huius regni septentrionalis, extenditque se versus orientem, vsque ad fluuiorum Vmbæ & Zairi confluentes, cuius incolæ, sub varijs Regibus, qui se Congiani Regis amicos dicunt, Iudæorum more circumciduntur, armatura vtuntur clypeo magno, ex duris animaliũ quorundam corijs consuto, qui totum ferè hominem tegit, gladijs item & iaculis lato ferro munitis, quibus non solum dextrè collimare, sed & quiduis ferè penetrare facilimè possũt. Celebre est in hoc tractu Anzicanum regnum,

Regni Congiani pars septentrionalis vbi incipiat.

Anzicani populi, feri admodum & bellicosi.

cuius incolæ bellicosi admodum sunt & cordati, vitam ferè facientes nihili. Macella ipsorum humanis carnibus referta sunt. Hostes enim in prœlio captos ad epulas mactant, seruosque si non satis magno pretio vendere possint, saginatos mactant & vorant, ne à sanguine iunctis quidem abstinentes. Reperiuntur autem ibi (quod mireris) homines, qui vel vitæ tædio, vel gloriæ cupiditate, (gloriosum enim putant vitam contemnere) inducti, aut vt se ostendant amicorum suorum adeo amantes, vt carnibus suis eos etiam pascere sustineant, seipsos multis precibus huic lanienę offerant. Arma ipsorum, arcus sunt parui & lignei, versicoloribus serpentum exuuijs, tam scite, vt cum ipso ligno natæ videantur, circumdati, sagittas habent breues & graciles ex duro ligno confectas, quas vna cum arcu semper in manibus gerunt, tantaque non solum celeritate, sed & dexteritate emittere possunt, vt etiam aues inter volandum feriant. Habent præterea secures etiam, quibus ferrum, manubrio, anguinis pellibus circumdato, duplo longius est, habet vero duo capita ab altera enim parte latum, ab altera vero mallei in modum obtusum est, vt illis & tueri sese, & lædere aduersarium in bello possint.

Macella humanis carnibus referta.

Regni Congiani pars orientalis à confluentibus Vmbæ & Zairi fluuiorum incipit, & meridiem versus excurrens, altissimos aliquot montes, solis nempe, crystallinum & nitrios, à crystalli & nitri ibi prouenientis abundantia sic dictos, complectitur. Incolæ huius tractus, conficiendi omnis generis pannos peritissimi

Regni Congiani pars orientalis vbi incipiat

tissimi sunt, qui licet sericis nostris non dissimiles sint, non tamen ex serico, sed ex palmarum folijs parãtur, tenera enim huius arboris folia, certo modo emundata, in fila ducunt, & postmodum omnis generis pannos inde contexunt, qui vel holosericum nostrum varijs figuris floribusque ornatum, vel Damascenum vndulatum, vel Attalicum &c. referant, & valore etiam siue precio adæquent. *Panni ex palmarum folijs confecti.*

Pars meridionalis, à monte argenteo, propter argenti fodinas sic dicto incipiens, ad portum vaccarum versus occidentem extenditur. Est autem in hoc tractu regnum Angolanum, hominibus, si vllum aliud refertissimum, cum enim quisque quot velit vxores ducere possit, in incredibilem quotannis augentur numerum, ita vt Rex eorum postulante ita necessitate, vno ferè momento, centum millia hominũ in aciem educere possit. Argento abundat purissimo, alijsque metallis, sed & omnis generis alimentis atque etiam animalibus plenum est, præcipuè vero vaccæ magno ibi numero pascentes cernuntur. Delectantur autem præ cæteris omnibus caninis carnibus incolæ, vnde magna canes cura nutriunt, impinguant & ad delicias suas reseruant. Rex cum subditis suis, quamuis in votis haud semel habuerit, vt Christianus fieret, deficientibus tamen sacerdotibus, in tenebris remansit. Fuit is primum Regis Congiani vasallus, sed dominio ad se translato, alios circumiacentes populos multos sibi subditos reddidit, & tributũ Congiano persoluere denegauit, quæ quidem causa etiam *Regni Congiani pars meridionalis vbi incipiat.* *Angolani regni descriptio.*

fuit

fuit, quod sacerdotibus Lusitanis, prohibente nimirum id Congiano, potiri non potuerit. Arma horum populorum arcus sunt sex palmos longi, & sagittæ graciles cuspidibus hamatis, quarum semper aliquot absque pharetra vna cum arcu manibus gestant. Sed & pugiones habent cultrum manubrio referentes, quos sub cingulo in sinistro latere occultant. Duces in capite pileolum gerunt varijs plumis exornatum, vt terribiliores hostibus videantur, pectus autem nudum ferreis catenis ab humeris sub alas in vtroque latere dependentibus muniunt, quæ quanto sunt crassiores & grauiores, tanto sibi ornatiores & ad pugnam paratiores videntur. Inferiorem autem corporis partem vestiunt caligis, quæ vsque ad genua demittuntur, cingulum quoque affabrè factum tintinnabulis quibusdam ornatum est, à quibus in conflictu sonantibus, animus militum mirificè augetur. Gregarij enim milites inferiore saltem corporis parte vestiuntur, arcu, sagittis, & pugione, vt dixi, armati, cumque prœlium ineunt, in latitudinem disperguntur, & tanto commodius iacula emittere, & ictus hostium saltu euitare possint.

CAPVT XVI.

DE CONGIANI REGNI PROVINcijs & metropoli seu vrbe regia præcipua.

Regnũ Cõgo quot prouinciās habeat.

VNiuersum Congi regnum sex prouincias complectitur, quarum prima Bomba dicta est, secunda Sognus, tertia Sundus, quarta Pan-

ta Pangus, quinta Batta, & sexta Pemba. Prima prouincia ditissima, in littore maris, à fluuio Ambrize, vsque ad Coanzam fluuium versus meridiem extenditur, & multos Satrapas habet, qui à loco cui præsunt denominantur, addita voce Mani quæ Dominum significat, sic enim Manibamba, id est Dominus Bambæ, ManiLembo, id est Dominus Lembi, Mani Loanda, id est Dominus Loandæ &c. vocantur. Est autem prouincia hæc totius regni propugnaculum cōtra quoscunque hostes, virtute enim & promptitudine incolarum eius, Rex non solum ad vicinos Angolanos cohercendos & reprimendos, sed etiam ad quoscunque alios domandos, præcipuè ob singularē alacritatem, & animi contra omnia pericula constantiam, vtitur, potestque ex hac sola prouincia, quæ sexta tantum Regni pars est, quotidiè cum opus est, quadraginta vel amplius armatorum millia ad bellum colligere Incolæ huius prouinciæ semper armati incedunt longis gladijs qui ex Lusitania adferuntur, tantis autem sunt viribus præditi, vt seruum, quos pecudum ferè loco habent, medium diuidant, imò tauro ceruicem vnico ictu amputent, suntque qui vidisse se scribunt aliquem, qui vas aliquod vino repletum, trecentarum & viginti quinque librarum sub brachio retinuerit, donec totum à conuiuis euacuatum esset. Prouinciæ huius metropolis Panza vocatur, & sita est loco plano, centum ferè leucas à mari distante, iuxta quam montes argenti & aliorum metallorum venis repleti incipiunt & Angolam versus se extendunt.

Bamba Congiani regni prouincia quales incolas habeat.

Altera

Sogni prouinciæ in Congo descriptio.

Altera prouincia quæ Sognus dicitur, à fluuio Ambrizi versus septentrionem, vsque ad rupes rubras, quæ sunt in confinibus regni Loangani se extendit. In medio huius prouinciç vrbs est, eiusdem cum prouincia nominis, in qua Præfectus residet, qui Manisogno id est Dominus Sogni vocatur. Versus orientem montes sunt, qui Congum ab Anzicana regione diuidunt. In vicino autem siue adiacenti regno Loango magnus est eboris prouētus, propter elephantorum frequentiam, vnde vilissimo venditur precio, ita vt vel maximum dentem, pro minimo clauo ferreo accipere possis. Incolæ gentiles sunt & idololatræ, solem, vt marem, pro maiori, & Lunam vt fœminā pro minori Deo colētes. Tertia prouincia quæ Sundus dicitur, proxima est metropoli totius regni Congiani, de qua paulo post dicemus, fines enim eius 40. vel circiter leucis ab hac vrbe incipiunt, & vltra cataractas Zairi de quibus supra diximus, vsque ad Anzicanam regionem extēdūtur. Metropolis huius prouinciæ, eodē cū prouincia nomine, non longè à cataractis Zairi sita est, & Præfectum habet qui Manisundo, id est Dominus Sundi vocatur. Præfectus autem iste plerumq; primogenitus est Regis filius, aut alius, qui ad regni successionē destinatus est, sic enim supra, primogenitū primi Christiani Regis Ioānis, filiū, Alphonsū, viuo adhuc patre, prouinciæ huic præfuisse diximus, qui patri etiam defuncto in regno successit, vt suo loco dicemus. Et hūc quidē morē reliqui etiā eius successores obseruarūt, vt nimirū prouinciç huic, quem post se Regem cupiebant, præficerent.

Sundi prouinciæ in Congo descriptio.

In

In toto enim regno Congiano nemo est qui hæreditates habeat proprias,vt eas hæredibus pro libitu disponere possit,sed omnia sibi Rex vendicat,& dominia quibus vult largitur aut adimit,cui legi etiam filij Regis subsunt,ita vt nisi tributum annuũ Regi persoluant, absque vllo respectu submoueantur, & successores ferre cogantur.Crystallum ibi copiosissimum est vna cum alijs metallis,ferrum autem incolis adeo probatur,vt eius comparatione, omnia reliqua metalla inutilia iudicent, vtpote ex quibus neque cultros,neque secures armaque alia quorum in vita vsus est maximus,conficere possint.

Proprij in Congi regno nemo quicquam habet, sed omnia ad Regem pertinent.

Quarta prouincia,cui Pango nomen est,versus orientem sese vsque ad montes solis extendit,tractu reliquis prouincijs longè minori. Metropolim habet, quæ ad ripam occidentalem Barbelæ fluminis sita,eodem cum prouincia nomine Pangus hodiè vocatur, secatur autem per medium à flumine Barbela, qui è lacu ex quo Nilus oritur,originem trahens,in *Zairum* influit.Præfectus eius Manipango ex stémate semper est antiquissimo nobilitatis Congianæ,& apud Regem tam propter genus,quã propter singularem prudentiã acceptissimus, ita vt etiam secretissimis & difficilimis consultationibus semper adhibeatur.

Pangi prouincia in Congo descriptio.

Quinta prouincia quã Battã vocant, ad radices montium nitri,& inde versus meridiẽ per confluentes Barbelæ & Caringæ fluuiorũ vsq; ad montes,quos Lusitani Creinados,id est adustos vocãt,extẽditur.Metropolis eius idẽ cũ prouincia nomen habet.Peculiare autem ante

Battæ prouincia in Congi regno descriptio.

hæ

hæc tempora regnum fuit, Aghirimba dictum, ſed propter procerum diſſidia incolæ vno animo omnes, abſque vllo prœlio Regi Congiano ſeſe ſubdiderunt, vnde etiamnum ſingularibus præ cæteris Congi prouincijs, gaudent priuilegijs & immunitatibus, Præfecto ipſis etiam ex ſua ſtirpe regia, pro arbitrio tamen Regis Congiani, qui velut de ſuo diſponit, dato. Cæterum Præfectus is, in ſeſſione Regi eſt proximus, & tantę autoritatis, vt non modo in cõſultationibus nemo ipſi contradicere audeat, ſed deficiente etiam ſtirpe regia, ipſe ad regnum ſuccedat. Admouetur aliquando menſæ regiæ, ſed ita tamen vt ex inferiori ſede cibũ capiat. Semper ferè prœliatur cum circumiacentibus populis, maximè vero cum Giaquis, qui vltra montes ſalis & nitri ad vtramque Nili ripam habitant, & rapinis latrocinijſque ſemper dediti ſunt. itaque cum præter ſclopetarios bellicoſi iſti populi neminem metuãt, Præfecto huic, (tametſi ſeptuaginta plus minus militum millia ex ſubditis ſuis in militiã cogere facile poſſit,) conceſſum à Rege eſt, vt ſclopetarios proprios & ex ſuis ſubditis habeat, quod priuilegium nullis alijs, neque etiã ipſis Regis filijs (quibus ſi quãdo opus ſit, ſclopetarij extranie & Luſitani plerunque ſub Regis ſtipendio mittuntur) aliàs permiſſum eſt.

Pembæ Congiani regni prouinciæ deſcriptio.

Sexta prouincia Pemba, in medio quaſi & corde totius regni ſita eſt, ita vt pręcedentes omnes eam ambiant. Centrum itaque totius regni, & ſedes eſt, vnde Reges Congiani originẽ ſuam ducũt, quemadmodum etiã totius regni, metro-

metropolis,(quæ, vt mox dicemus, ab ipso Rege qui suam ibi habet aulam, regitur) in hac prouincia sita est. Præfectus autem prouinciæ huius, in alia ciuitate, cui idem cum prouincia nomen est, ad radices nempe montium, qui adusti vocantur, resídet, & in hac prouincia plerique aulici, atque adeo tota ferè nobilitas ob aulæ regiæ vicinitatē habitant, vt tāto promptius ea, quibus cum in aula versantur, opus est, ad manus habeant.

In hac prouincia Pemba, metropolis totius regni Congiani, quę olim Congus & Banza, id est aula dicta est, hodie vero à Lusitanis, mutato nomine S. Saluatori indigetatur, sita est, in monte altissimo toto saxeo, ita vt vna saltem rupes videatur, cuius lapides vt durissimi, ita ad ædificationem optimi deprehenduntur. Mons iste in summitate planus est & totus cultus atque habitatus, planicie hac vel decem leucas comprehendente, vnde & Campi egregij, & plurimæ domus ibi sunt extructæ, in quibus vltra decem millia habitatorum numerentur. In angulo quodam versus Notum pars est muro cincta, quam primus Rex Christianus olim ita muniuit, & Lusitanis, vt habitationem suam tutam haberent, occupandam dedit. Ab altera parte palatium regiū est, muro similiter, cum multis regalibus ædificijs alijs circumdatum. Medio inter aulam Regis & Lusitanorum ciuitatem loco, magna & ampla planicies est, vbi templum metropolitanum cum suo cœmiterio excitatum cernitur. Cęterum præter hæc duo loca muris cincta, totum iugum montis vndique ædificijs repletum est,

Congiani regni metropolis in monte sita.

habitantibus ibi maximè nobilibus, quorum quisque vt aulę vicinus sit, locum sin idoneum occupat. Vrbis autem Lusitanorum vt & aulæ regiæ circuitus ad vnam atque alteram leucam extenditur, suntque muri satis lati & firmi, ita vt impetum aliquem sustinere possint. Portæ vero vtriusque neque noctu claudũtur, neque interdiu à vigilibus custodiuntur, quod pax ibi sit; & quies optima. Iugũ huius montis tanquam specula quædam omnia circumiacentia loca superat, ita vt omnes inde vicinæ regiones quamuis satis longinquæ, occidentem & septemtrionem versus, vbi nulli montes sunt qui visum impediant, tanquam è specula aliqua videri & oculis perlustrari possint. Quæ quidem etiam causa est, cur primi huius regni Domini, in summitate montis huius collocatam hanc ciuitatem, quæ caput & sedes regni esset, voluerint, cum non solum locus iste natura ita munitus esset, vt nulla ei vis ab exteris inferri facile posset, sed etiam inde prospici ad quaslibet regni partes, & auxilium laborãtibus ferri, commodissimè posset.

Loci in quo metropolis regni Congo sita est, ferti litas.

Cæterum via regia ab hoc monte ad mare vsque per centum & quinquaginta leucas excurrens lata admodum & decens est. Ad radices autem montis orientem versus præterlabitur fluuius, in quo linteamina sua mulieres lauare solent, ad leucam integram eò descendẽtes. Terra vero fertilis ibi est, aërque temperatus & sanus, fontes exiliunt vndique limpidissimi, aquis innoxijs, ita vt nullo vnquam tempore potãtibus vel minimã causẽtur molestiã, à Lusitanis tamẽ, vt & aulicis reliquis gestãtur,

qui

qui illecti dulcedine cuiusdam fontis paulo inferius versus Aquilonem, aqua limpidissima & saluberrima salientis, seruorũ & mancipiorum opera, poturã suũ vasis ligneis aut fictilibus afferri curant.

Planities huius montis vbiq; fructifera est, amœnis etiã pratis, virentibus semper arboribus, & vario leguminũ genere abundans. Nascitur enim ibi semen quoddam, quod ipsi Lucum vocant, cannabi grana, nisi quod paulo it maius, referens. Hoc mola manuaria subactum & pistum, panem præbet candidum, triticeo nostro non inferiorem. Arbores, quæ ibi variæ crescunt, palmarum nomine fere indigeant, & harum aliæ Dactylos, aliæ nuces Indicas, quos Coccos ipsi, id est simias, quod caput simiæ intus referant, dicunt, proferunt. Habent & palmas ex quibus mirabili naturæ beneficio oleum, vinum, acetum, fructum & panem colligunt, oleum enim ex fructuũ pulpa, vt ex oliuis apud nos exprimitur, & hoc oleum colore, butyrum vero sapore refert, itaque tam in cibis quam in lucernis eo vtuntur. Ex fructuum putaminibus, quæ amygdalarum putamina, nisi quod duriora sint, referunt, & suauem in venis medullam habent, panem optimi nutrimenti conficiunt. Vinum ex perforata in summitate arbore effluens, appensis lagenis excipiunt, quod primum & colore & sapore lacti simile est, post paucos autem dies acredinem acquirit, & in acetum tandem degenerat. Inter alias autem arbores quædam Ogecha dictum est, fructum ferens luteis prunis similem.

Panis in Congo.

Arbores in monte vbi Metropolis regni Congo sita est varia.

Parietes in Congo ex viuis arboribus.

Ab hac arbore amputatos ramos terræ inse-runt, ita coniunctim, vt se inuicem contingãt: hi enim radices facile agentes, paruo tempore crescunt, & crassiores redditi tam firmiter cõiunguntur, vt sepimentum eorũ quasi ligneum cõstituant, cuius muniẽdis & distinguẽdis ædificijs vsus est. Vbi enim rami isti pro libitu dispositi succreuerunt, incolæ postmodum leuia quędam ligna ipsis per transuersum imponũt, eaque stramine primum, deinde elegantissimis storeis, vario colore distinctis cooperiũt,

Aedificiorũ in Congo ratio.

vt ædificia & distincta in illis conclauia, absque contignationibus tamen, quarum quidem etiam ob nimiũ æstũ vsus ibi nullus esse potest, habeant.

Lapides in Congi regno vulgares & pretiosi plurimi ibi reperiuntur.

Quod autem tam simpliciter ædificent & pastorum potius tuguria, quam domos extruant, non quidem lapidum aliusve materiæ inopia fit, sed primum necessitate, ad euitandum æstum & calorem nimium, deinde Architectorum etiam & aliorum artificum inopia. Nam lapidibus quidem non solum vulgaribus sed durissimis etiam & elegantissimis, omnes montes, maximè vero hic, in quo Congus ciuitas sita est, referti sunt, reperiunturque tantæ magnitudinis, vt vel integra sacella, ex ijs excauatis extrui possent, cuius quidem rei vel porta illa, quæ in templo primario ex solido lapide constans visitur, argumento esse potest. Sunt præterea in hoc regno montes integri marmorei, ab albo nimirum & versicolori marmore toti constantes, vnde duæ columnæ in sacellum Gregorianum nuper trãslatę sunt. Sed & ex Iaspide & alijs pretiosissimis lapidib' mon-

montes quidam constare videntur, & ad mira-
culum accedunt qui hyacinthos producunt;
nā si quis ex eiusmodi venis columnam aliquā
pararet, lucidissimis eam gemmis videret per-
politam & ornatam, itaque materiæ quidem
ad extruenda ædificia satis splendida nullus i-
bi defectus, modo adessent qui eam rectè tra-
ctare & ad vsum transferre scirent.

CAP. XVII.

DE CHRISTIANAE RELIGIONIS in Congiano regno incremento, progressu & propagatione.

QVam felix fuerit Christianæ religionis in Congiano regno initium, supra dictū est, cum autem Rex Ioannes duos haberet filios, alter maior natu, baptismum non solum admisit libentissimè, sed etiā religionis Christianæ quoad vixit fidelissimus assertor permā-sit, alter autem natu minor, vt esset qui pios postmodum exerceret, à nefaria superstitione & auitis moribus nullo sese pacto abduci passus est, nouam enim hanc doctrinam, quæ abijcienda auguria, cōdonandas iniurias, aspernandas libidines, & cupiditates frangendas profitebatur, & vnam tantū viro concedebat vxorem, thorum cum hac iniungens castissimum, rem ipsi durissimam qui pluribus assueuerat, vt falsam & ad regni euersionem inuentam reijciens, plurimos facile ex Regni proceribus, sibi fauentes & adstipulantes inuenit, muliebri maximè etiam coniuratione acce-

Pangus Ioannis Congiani regni filius iunior religionem Christianam detestatur.

dente, singuli enim Aethiopes præter eam, quæ iusti vxoris habent loco, pellices quoque alere hactenus plures paucioresve pro opibus consueuerant. Eæ cum ex inuectis nuper nouæ religionis sanctionibus pelli se & deseri à viris quotidie cernerent, vt est impotens iracundiæ sexus, damnum & ignominiam non ferendam censuerunt. Habito igitur conuentu, per se & amicos cum Rege egerunt, vt aduentitiam religionem, durumque & horridum vitæ genus abijciens, præsentibus bonis frueretur, nec incertam futuræ felicitatis spem, tanta commodorum & voluptatum iactura sibi emẽdam existimaret. Hæc & alia cum neque Rex inuitus acciperet, & eadem tabe infecti permulti, maximè vero Regis filius Pangus adiuuaret, breui maximũ in discrimẽ adducta Christiana res tota est, Alphonso tamẽ interim de feruore, quo Christianã fidẽ fuerat amplexus, nihil remittente, sed magno zelo, magnaq; animi cõstãtia omnia suę ditionis idola igne & ferro destruẽte & extirpãte. Diffidẽtibus igitur inter se fratribus, qui à partibus Pãgi erãt, oẽs in perniciẽ Alphõsi cõiurãt, varia eius è medio tollẽdi agitãtes cõsilia. Sperabãt. n. eo suppresso, religionẽ hãc nouã facile extinctũ iri. Accusatur igitur tandẽ apud patrẽ, quasi degenerarit plane in externos mores, & nihil adeo amplius patriæ vel auitæ cõsuetudinis pateretur, vt etiã Regẽ ipsum contẽneret & aspernaretur. Persuasus eiusmodi calũnijs pater de statu eũ deponit, nihil præter mortẽ eius desiderãs. At vero prouidẽtia diuina eũ ad maiora reseruãte, quorundã sano cõsilio, & opera Præfecti potissimũ Sogniensis, quẽ supra primũ e-

Alphonsus Sundi præfectus, apud patrem Regem Congianum accusatur.

omniũ in hoc regno baptizatũ diximus, cõseruatus, & in principatũ ſuũ iterũ reſtitutus eſt, addito tamẽ à patre præcepto, ne in poſterũ eſſet in pagana religione extirpãda adeò vt cœpiſſet ſeuerus, ille vero hoc non magnifecit, ſed ſpiritu Dei repletus, poſthabito humano patris mandato, diuina, quæ idola omnia penitus deſtructa volũt, exequẽda ſibi omnino propoſuit. Aduerſarij igitur nouas eũ apud Regẽ accuſandi occaſiones, captãtes, nõ pio zelo eũ nouã hãc fouere religionẽ dictitabãt, ſed regnãdi cupiditate, vt nimirũ Chriſtianorũ adiutus opera, regnũ tãdẽ patre eiecto, occuparet. Rex igitur ira percitus, ſecũdo ad ſe filiũ venire, & adminiſtratæ prouinciæ mãdatiq; tranſgreſſi rationẽ reddere iuſſit. At ille cũ naſcẽtis Eccleſiæ ſalutẽ in ſuo capite verti probè ſciret, pericula belli prætẽdẽdo, variaſq; nectẽdo moras, tãdiu rẽ diſtulit, donec lethali morbo implicitus ex ætate pater, cũ ægrũ ſpiritũ per multas curationes in dies aliquot extraxiſſet, tandem ſuperante medicamenta vi morbi, expirauit.

Mater Alphonſi Eleonora, vt in fide ſemper conſtans permãſerat, ita filiũ hunc vnicè diligẽs, omnib⁹ inſidijs liberare ſatagebat, itaq; diſſimulata per 3. dies Regis morte, pceribus perſuadens, Regẽ ſibi dediſſe in mãdatis, ne quenquã ad ſe intromitteret, nuncios clã ad filium celerrimo itinere miſit, quæ acciderat ſignificãs, & hortãs, vt omnib. relictis negotijs ad ſe quãprimũ aduolet. Alphonſus igitur accepto hoc nũcio eadẽ celeritate, qua nũcij ad ſe peruenerãt, iter ingreſſus, vno die & 2. noctib⁹, leucas 200. fere cõfecit. Cæterũ cum præter omni

Alphonſus patre Ioanne demortuo, Rex Congi declaratur.

 um ſpem

um ſpem & expectationem ciuitatem ingreſſus eſſet, vno die & mors Regis Ioannis, & ſucceſſio Alphonſi in aula iam præſentis, publicata fuit, qui etiam in propria perſona funus paternum vna cum alijs regni proceribus & Luſitanis, pompa funebri Chriſtiano more inſtituta comitatus eſt.

Interea aduerſarij, qui maxima erant, & aulicorum & totius regni pars, ad fratrem eius Pangi præfectum conuolabant, quæ accidiſſent ei nunciantes, qui ſimulatque nuncium de patris morte, fratriſque in regno ſucceſſore accepit, facta cum Mozambis, vicinis populis, quibus cum bellum hactenus viuo patre geſſerat, pace, ad excludendum aperta vi fratrem arma & copias collegit. Rex vero eum cũ paucis illis qui remanſerant, conſilio & prudentia ſenis illius Sogni præfecti Emanuelis adiutus, in regia ciuitate expectabat, paucis ſane, quos data fides & debita obedientia ipſi alligarat, ſtipatus militibus, comitatum enim ſuum, quo tanto fratris exercitui reſiſtendum erat, recenſens, inuenit non accedere ad numerum decem millium, inter quos præter paucos Luſitanos, non erant vltra centum Chriſtiani incolæ. Hos autem Rex diuino fretus auxilio, ad conſtantiam & fortitudinem quotidie hortabatur, donec accederet hoſtilis exercitus, & magno cum ſtrepitu, tam bellicorum apparatuum quàm minitantium verborum ciuitatem vndique obſedit.

Pangus fratrem Alphõſum oppugnat.

Alphonſus fuſis ad Deum precibus, votum pro victoria vouit, promittẽs, ſe toto vitæ ſuæ tempore quantum in ſe quidem futurum ſit, reli-

Alphonſus cæleſti alio ſigno in

religionem Christianam fideliter propagaturum & constanter defensurum, moxque in huius rei testimonium erigendam curauit in medio planiciei, è regione templi crucem altissimam, quam pater quidem vouerat, sed morte præuentus nondum erexerat. Deus autem fidem eius ex qua pium hoc votum profectum erat cognoscens, visione aliqua cœlesti confirmare eum dignatus est. Subito enim circūquaque illustri circumfusus est lumine, quo viso, ipse statim in genua procidens, manus & oculos in cœlum leuauit, præ lachrymis tamen & singultibus verbum facere nullum potuit. *fide confirmatur.*

Circumstantes vero hoc fulgore attoniti steterunt, aspicientesque in cœlum quinque rutilantes gladios in nubibus apparentes viderunt, quorum figura postmodum Rex pro insignibus regni vsus est, quo quidem signo etiānum eius posteri vtuntur. Hoc itaque signo, animi militum ita erecti sunt, vt cum postmodum Pangus missa legatione, Regem & omnes qui eum sequebantur, moneret, vt si salui esse vellent, deditionem facerent, & nouam illam religionem desererent, intrepidè responderent, paratos sese esse vitam ipsam cum sanguine in defensione Regis sui legitimi & Christianæ fidei profundere. *Insignia Regum Congianorum.*

Profugerant quidam ex plebe infima, periculum veriti, ad Pangum, significarantque in ciuitate omnia esse confusa, & Regem in fuga spem omnem posuisse, nullam autem viam fugæ patere, quā quæ ab oriētali parte ad fluuiū, de quo supra diximus, ducat. Pangus itaque dictis hisce fidem habens, cum paludem in hac *Pangus Alphonso fratri insidias struit.*

via ad sclopeti ictum longam latamq; esse sciret, ne quis pateret fratri exitus, eã palis præacutis sub aqua latentibus compleri iussit, vt si fugam nocte arrepturus esset, in perniciem incautus irrueret seq; cum omnibus suis perderet. Hoc facto noctem magno trãsegit gaudio, tam certus victoriæ, vt etiam inter exercitus sui duces, omnia ciuitatis bona diuideret, & officia quælibet inter suos distribueret, Alphõso interim fratre, in oratione totam noctem persistente.

Pangus ab Alphonso Congiarũ Rege superatur.

Postquam igitur dies factus est, Pangus vrbem à parte Septentrionali magno cum impetu & clamore aggressus est, hac .n. latissimus copijs suis patebat accessus, quem neminẽ impediturum sperabat. Resistente autem ibi Rege, antequam in eius veniret conspectũ, in fugam magno cum suo suorumq; dedecore actus est, sequenti die, non virtuti sed fortunæ hanc victoriam adscribens, eadem & cautius aggressus est via, sed infelici non minus euentu. in fugam enim eadem qua præcedenti die ratione versus est, cumque qui in ciuitate erant fugam Pangianorum riderent, nõ ipsorum se debellari & vinci virtute, sed mirabili cuiusdam aciem ipsorum præcedentis virginis splendore se excæcatos ab equite albo equo insidente, & crucem rubram in pectore gerente, summa vi in fugam cogi responderunt: quod audiens Rex, fratri Pango significari iubet, virginem illam esse matrem filij Dei, quem ipse fide cõplexus sit, equitem vero illum esse Iacobum Apostolum, quem præ cæteris sanctum Lusitani colant, vtrumq; autẽ à Deo in suum auxiliũ

missum

missum esse. Ridens autem Pangus, quasi fabulis & figmentis vellet Rex suum stabilire imperium, mandauit copijs suis, vt ab eadem parte, qua iam bis fuerant repulsi, irruptionem iterum facerent, ipse vero interea montem circuit, fluuium qui ad radices eius, Orientem versus visitur, contemplaturus. Verumenimuero infelix hic quoque euẽtus & exitus fuit, nam ipso nõ satis diligenter properante, quippe qui certam animo iam conceperat victoriam, copiæ eius fugam iterum arripuerunt, cũque ipse eorum quæ facta erant ignarus, ab altera tandem parte cum magno tumultu aduentaret, & vero Regij fusis fugatisque cæteris, omnes in Orientalem plagam sese conuertissent, in tantas compressus angustias est, vt nullam elabendi viam inueniens, in laqueos tandem quos fratri posuerat, ipsemet inciderit, in ijsque misere animam cum sanguine efflans perierit, palis nimirum in lacu isto dispositis, non præacutis saltem, sed & præsentissimo veneno, quod sanguinem contingens, mortẽ statim inferret, imbutis.

Victoria hæc magnum rei Christianæ momentum attulit. Regni enim possessione adita, & barbaris quotquot postea sese Euangelio opponere ausi sunt, perpetuo felicitatis tenore superatis, Alphonsus quinquaginta annos continuos hominibus verbo & exemplo ad omnem virtutem & pietatem erudiendis, egregium & pastorem populorum, & vineæ Domini cultorẽ, ad extremũ vsq; spiritũ se præstitit. Ante omnia autem templum Sanctæ Crucis,

Templum S. Crucis in Congiani Regni Metropoli extruitur.

à cru-

à cruce è regione erecta sic nuncupatum, extrui curauit, omnibus cuiuscunque status & dignitatis essent, structuram pro virili promouentibus, quam ad rem vt tanto magis incitarentur, ipse Rex cum coniuge exemplum omnibus proposuit. Accedens enim ad lapidicinas, proprijs humeris sportam lapidibus repletam, primus in locum à cæmentarijs præscriptum attulit, Regina vero prima ad fluuium descendens, corbem arenis repletum asportauit, quorum exemplum deinde omnes promiscuè magno feruore & alacritate imitati sunt, vt ita tota structura breui temporis spatio absolueretur. Sed & tria alia templa sumptuosissima postmodum extrui curauit, primo quidem Saluatori, gratitudinis ergo, propter tam incredibilem quam à fratre Pango reportauerat victoriam, secundo eius matri beatissimæ Mariæ virgini, & tertio Iacobo Apostolo, in visionis quam habuerant aduersarij memoriam, dedicatis.

Idola omnia in Congiano regno igne cremantur.

Congregatis præterea omnibus Regni sui proceribus & præfectis iniunxit, vt quicquid non solum domi suæ, sed in tota etiam ditione haberent idolorum aut aliarum quarumcunque rerum in doctrina Christiana prohibitarum, in locum præscriptum deferrent, deputatisque ad id personis exhiberent, capitis pœna omnibus qui occultare quid præsumerent, proposita. Hoc mandatum magna statim diligentia compleri cœptum est, comportataque sunt in vnum locum omnia idola quæ hactenus pro Dijs habita fuerant. Hic vero varias turpissimasq; idolorum formas, vidisses, afferebantur

rebantur enim diuersi characteres & aliæ figuræ ex ligno, lapide & saxo sculptæ, sed & aues pleræque immundæ, Dracones item viui, quos magna diligentia, multisq; impensis nutrierant. Aderant etiam colubri & serpentes horrendæ magnitudinis, nec non hirci & tigres, aliaque animalia monstrosa, persuasum enim sibi habuerant, quod quo terribiliora erant animalia, eo diligentius essent veneranda. Congestis igitur, vt diximus, & in vnū cōportatis hisce abominandis imaginibus & idolis, mandatum promulgauit aliud, vt ligna quisque pro facultatibus in locum, vbi prœlium cum fratre commiserat conferrent, hocque facto idola illa omnia igne accendit & in cinerem redegit.

Cæterum Rege Alphonso in hoc solum omni diligentia incumbente, vt crescens in suo regno fides Christiana, nunquam aboleretur, placuit tādem Deo, postquam ad quinquaginta annos tranquillè omnia gubernasset, eum ad se ex hac miseriarum valle euocare. Morbo autem correptus, toto quo decubuit tempore Christianæ religionis incrementum agitauit animo, de ea cum circumstantibus frequenter conferens, & filio suo Petro eam præ cæteris omnibus ad regnum feliciter administrandū necessarijs commendans, itaque tandem placide expirauit, & in S. Saluatoris templo sepultus est, filio eius Petro in regnū succedente.

Alphonsus Rex Congi moritur.

Porro regnante hoc rege Petro, cum nauigatio Lusitanica indies magis magisque augeretur, S. Thomæ insula hactenus in littore sal

Episcopus tempore Petri Regis ex

Lusitania Congum mittitur.

tem à paucis habitata, habitatoribus & commercijs aucta, tandemque Episcopo à Rege Lusitaniæ vt & Lusitanis & Congianis in fidei negotio præesset, decorata est. Cum autem Episcopus hic in Congum primo ad capessendum munus Episcopale traijceret, incredibili honore & lætitia, tam à Rege quàm ab incolis acceptus est, via qua incedendum erat, per centū & quinquaginta leucas, quibus metropolis à portu distat, complanata & elegantissimis storeis, vt terram pedibus contingere non posset, strata. Mirandum autem erat, quod via hæc ab vtraque parte, viris & mulieribus, arbores & omnia paulo editiora loca complentibus, septa & clausa quasi fuerit, quibuslibet Episcopum illum, vt hominem sanctum non videre solum, sed & munere aliquo, pro facultatibus, decorare volentibus, & baptismi lauacrum tāto feruore pertinaciaque expetentibus, vt non nisi voti compotes absisterent, in quem quidē vsum, Episcopus aquam & alia ad manus habere, & itineri huic satis diu immorari coact⁹ est

Episcopus Congianus primus in S. Thomæ insula moritur.

Cæterum ciuitatem ingressus, obuium habuit cum Rege & aulicis alijs, vniuersum vrbis clerum, deductaque solemni processione in sanctę Crucis templum, quod 28. Canonicos habebat, illud Cathedrale vocauit, & vt vinea Domini magis magisque excoleretur nulli labori pepercit, constituta autem & confirmata ibi Ecclesia, ad S. Thomæ insulam, vbi sedes Episcopalis erat, concessit, vbi tandem etiam, cum frequenter ab vno loco in alium concessisset, mortuus & sepultus est. Episcopo huic successit Aethiops quidam, ex regia stirpe oriundus

andus, quem Rex Alphonſus ante hæc tempora in Luſitaniam & deinde Romam miſerat, vbi vna cum Chriſtianæ religionis myſterijs, Latinam quoque linguam didicerat. Cum autem ad capeſſendum, ad quem vocatus erat, epiſcopatum, in itinere eſſet, antequam in Congum perueniret, mortuus eſt.

Religio Chriſtiana per varios Reges & Epiſcopos in Congiano regno ad poſteritatem variè propagatur.

Defuncto igitur hoc ſecundo Epiſcopo & regno aliquamdiu abſque ordinario Epiſcopo remanente, prædictus etiam Rex Petrus mortuus eſt abſque hæredibus, ſucceſſorem relinquens fratrem Franciſcum, qui cum nec ipſe diu ſuperſtes eſſet, quintus poſt eum Chriſtianus Rex, proximè ad regium accedens ſanguinem, Iacobus nomine, coronatus eſt. Erat hic vir magnanimus & bellicoſus, Chriſtianæque fidei conſtantiſſimus aſſertor, cumque Luſitanorum ſingulariter amans eſſet, relicto habitu patrio, eorum ſeſe modo veſtire cœpit, tam ſeſe magnificum & liberalem erga omnes & Luſitanos & Congianos præbens, vt ab omnibus amaretur impenſiſſimè. Sub hoc autem Rege, tertius creatus eſt inſulæ Diui Thomæ & Congi Epiſcopus, natione Luſitanus, qui cum ſolitis gaudijs & ceremonijs acceptus, & in ædem Saluatoris introductus eſſet, munere ſuo tam egregie functus eſt, vt non parum rei Chriſtianæ hinc emolumenti acceſſerit.

CAPVT

CAP. XVIII.

DE CONGIANORVM VESTITV, *moribus & motibus varijs.*

Vestitus Congianorum antiquus & vulgaris.

VEstitus quo olim & Rex & comitatus eius in hoc Congiano regno vsi sunt, pannis ex palmarum folijs contextis constabat. His inferiorem corporis partem tegebāt, cingulorum ex eadem materia contextorum beneficio eos corpori applicantes; pectus autem ab anteriore parte mollissimis animalculorū cooperientes pellibus, quorum capita maioris ornatus causa humeris applicabant. Pallium nudis humeris inijciebant orbiculatum ex tenuissimis palmæ foliorum filis, retis in modū contextum, ad genua vsque profluens, fimbriarum loco floccis versicoloribus circumdatū; in dextrum autem id plerunque humerum reijciebant, vt manus ipsis esset minus impedita; cauda *Zebræ* ab eodem humero ad ornatum dependente. Caput ad ornatum potius quam ad defensionem tegebant paruo admodum pileolo, lutei aut rubri coloris, qui in superiori parte quadratus erat & tam paruus, vt verticē vix contegeret. Nudis autem plerique incedebant pedibus, Rex vero & proceres alij, ocreis, quales in veterum Romanorum visuntur statuis, ex palmarum quoque folijs contextis vtebantur. Cæterum pauperiores eodem quidem modo inferiorem corporis partem, sed pannis multo vilioribus tegebant, reliqua corporis parte nudi incedentes. Fœminæ triplici inferiorem corporis partem supparo tegebant, vnumquenque peculiari cingulo corpori applicantes

plicantes, & primus quidem ab vmbilico ad talos vsque demittebatur, secundus vsq; ad genua, tertius verò vsque ad femora, omnes flo[c]cis versicoloribus pro fimbrijs circumdati; Mammas præterea exiguo velo tegebant, breui quodam palliolo ab humeris post tergum reiecto. Caput aut vitta aut pileolo virorum more operiebant, aperta cæterum facie ingredientes. Quæ mediocribus gaudebant facultatibus, eodem quoque modo vestiebantur, sed vestitu tamen ex pannis vilioribus confecto; plebeiæ vero & seruæ, inferiore tantum corporis parte tecta, nudæ incedebant.

Habitus hic tam virorum quam fœminarũ, antiquus fuit, iam enim postquam cum Lusitanis commercia exercere cœperunt, vestitus hic plane mutatus est. Optimates igitur vt & Rex ipsemet, Lusitanorum hodiè more togis & pallijs ex serico alijsque preciosioribus pannis confectis vestiuntur, in capite pileos, in pedibus calceos, & crepidas, vel ex serico, vel ex corio, vel ex alia quapiam materia confectas gestantes & latus gladio præcingentes. Humiliores autem quibus opes non suppetũt, vt pannos eiusmodi preciosiores sibi compa[r]ent, veterem adhuc habitum imitantur, exc[e]pta saltem palla, quæ mulieribus Lusitanis adhuc peculiaris est, caput vitta eleganter te[c]tum, pileolo holoserico, auro gemmisque distincto ornant, & torques aureos à collo demittunt. Hoc tamen vestitu solæ nobiliores vtuntur, reliquis antiquum morem reseruantibus.

Vestitus Congianorũ modernus.

Rex à Lusitanis sic edoctus Lusitaniæ Re-

Regis Congiani mores varij.

gem in aulæ ſuæ adminiſtratione per omnia imitari conatur. Cibum in publico capit, parato ad hanc rem ex ſtoreis Indicis tabulato quodam, in quo ſolium auro gemmiſque ornatum ad menſam collocatur, holoſerico coccinei coloris inſtratum. Solus autem menſæ aſſidet, proceribus interim aperto capite ſemper adſtantibus & menſæ miniſtrantibus. Patinis & poculis vtitur argenteis & aureis, prægustatores ſemper habens tam cibi quam potus. Satellitibus ſtipatur plurimis, qui ſemper armis ſuis inſtructi aulam circumdant, & ſi forte exſpaciari aut aliquo proficiſci expetit, ſatellitum aliqui crotalos inflant, qui ad quinque vel amplius leucas exaudiri poſſunt, vt ita quilibet de aduentu Regis certior fiat. Raro autem palatio, & non niſi magna ſtipante nobilium caterua egreditur. Ius publice bis in ſeptimana dicit, ſed ita tamen vt magnates ſolum & proceres alloquatur, nam cum nemo quicquam proprij habeat, ſed ipſemet Rex ſibi omnia vendicet, lites ſane non poſſunt eſſe magnæ, vnde & pauciſſimis verbis dirimuntur, nullis adhibitis ſcriptis, quæ quidem ibi prorſus ignorantur. In cauſis criminalibus proceſſus eſt admodum facilis, cum rariſſimè aliquis capite ibi plectatur. Quod ſi cuipiam cum Luſitano quid intercedat, ſecundum Luſitanorum leges iudicatur, ſi vero ipſi inter ſe crimen aliquod capitale committunt, à Rege in exilium ablegantur. Nullas autem veterum Regum, ſcriptura nempe deſtituti, obſeruant hiſtorias, neq; tēpora aliter quā per Lunas diſtinguere norunt. Horas autem prorſus ignorant,

rant, & si forte quid memorabile referunt, nullam temporis descriptionem, præterquam quod hoc vel illo regnante quid acciderit, addere norunt.

In festiuitatibus suis ad exhilarandum animum omnis generis cantilenas amatorias canunt, testudine etiam vtentes, sed diuerso à nobis more vt & structura differente, concauum enim lignum nõ ligno alio, sed tenui admodũ membrana operiunt, postmodum setas ex Elephantorum caudis extractas ei adaptant, secũdum vocum differentiam intensas, quibus in inferiore parte tenuissimæ ferri & argenti laminæ secundum tonos quoque distinctę adhęrent. Hoc instrumentum artifices non per interualla aliqua in iugo vt apud nos, sed indifferenter, setas, quarum quælibet peculiarem sonum edit, eligentes, pulsant, & strepitum potius, quam harmoniã aliquã suauem edunt, ipsi tamen hoc strepitu afficiuntur plurimum, & ad eum magna cum gratia tam mulieres quã viri tripudiant. Medicamẽtis vtũtur cõtra oẽs morbos simplicibus, ex herbis nẽpe, arboribus, corticibus, oleis, aqua & lapidibus factis, quorũ omniũ mater natura vim ipsis & efficaciã mõstrauit. Febris communior est morbus, sed homines tamẽ magis in hyeme continuam humiditatẽ, quã in ęstate infestat. Hãc sequitur scabies Gallica, cuius tamẽ nõ tã difficilis apud illos quã apud nos curatio est. Febrẽ .n. curant ligno, quod Santalũ rubrũ vocant. Eo enim in puluerẽ redacto & cũ palmæ oleo ad iustã vnguẽti cõsistentiã mixto, infirmus, totũ corpus à capite vsq; ad plãtas pedis perũctus sanatur.

Testudo seu musicum instrumentũ apud Congianos mirabile.

Morborum & medicamentorum apud Congianos ratio.

Scabiem vero Gallicam, ſantalo cinericiô cum eodem oleo permixto corpus inungentes ſanant, vnde tanti eſt apud ipſos precij, vt vel exigua eius particula pro ſeruo ſeu mancipio forti & robuſto permutetur. Dolori capitis, venæ ſectione medentur, ſed differenti tamen à noſtris modo, venis enim circum temporâ leuiter læſis, tenuia quædam cornua applicãt in ſummitate paululum perforata, quibus ſanguinem donec ſedetur dolor exſugũt. Aluum purgant arborum quarundam corticibus in puluerem redactis, & in potu aſſumptis. Vulnera herbis quibuſdam ſanant; tanta virtute præditis, vt ſtatim cicatricem agant. Hæc autẽ medicamentorum ratio, ab ineunte ætate ipſis à parentibus per manus traditur & demonſtratur, vnde vrgẽte neceſſitate ipſimet ſibi & Medici & Chirurgi eſſe poſſunt.

Reges Congiani tres ſimul electi & interfecti.

Iacobo Rege Chriſtiano Congianorum quinto defuncto, tres vno tempore, diſſentiẽtibus proceribus, ſucceſſores electi ſunt. primus fuit defuncti Regis filius, natu maior verus Regni hæres, ſed paucis gratus, vnde etiã vno die & Rex ſalutatus & occiſus eſt. Alter vero itidem Regis filius pleraque & aulicorũ & plebis vota habens, hoc occiſo, Rex ſalutatus eſt, ſed præter tamen expectationem Luſitanorum, qui tertium Regis filium ad hoc regiæ dignitatis faſtigium eleuatum cupiebãt, vnde facto tumultu ſub ipſis votis & acclamationibus in templo occiſus eſt. Interea cum qui huic fauebant Regi, odij Luſitanorum & aliorum aduerſus eum concepti conſcij eſſent, & vero putarent, tertio illo, quem Luſitani pro-

promotum cupiebant sublato, futurum, vt Lusitani suo omnino Regi essent acclamaturi, sicarios ad tertium illum è medio tollendum mittebant, qui mandatum exequentes strenuè, eodem ferè momento, quo alter in templo perijt, hunc tertium etiam obtruncarunt. Commotus igitur admodum populus cum vno eodemque tempore, tota ferè regia stirpe se orbatos viderent, ira in Lusitanos accensi, quotquot comprehendere poterant, (sacerdotibus tamen, quibus officij ratione parcebant, exceptis) interficiebant, ne autem noui ex diuturno interregno orirentur motus, fratrem Iacobi Regis defuncti, Henricum elegerunt. Hic vero contra Anzicanos, auditis hisce dissidijs Congianum iugum excutere se posse temere sperantes, copias educens, vicariū quendam & regni administratorem in aula reliquit Aluarum, 25. annorum iuuenem, vxoris sui ex priori mariti filium, qui paulo post, Rege in prœlio extincto, communi omnium incolarum suffragio, Rex Congi salutatus est.

Erat hic Aluarus vir mansuetus & optimi iudicij, itaque conuocatis vndique Lusitanis, propter timorem hinc inde per prouincias, dispersis, vt amicè, sicut ante fecerant cum suis conuersarentur, potestatem fecit, verum cum iuuenis adhuc esset indoctus & ad voluptates procliuis, sui similibus plus iusto delectabatur, aures præcipuè illis præbens, qui vanam esse Christianam religionem & in regni perniciem introductam, quæ polygamiam & vagas prohiberet libidines, dictitabant, itaque cum voluptatibus deditus religionem paulatim in

Aluarus Congianorū Rex voluptatibus deditus ad pœnitentiam reducitur.

aulicorum & plebeiorum animis refrigeſcere pateretur, Deus eum pœna ſatis graui ad pœnitentiam & frugem perduxit. Habitant iuxta primum Nili lacum, in prouincia quadam regni Monemugarij, populi quidam barbari admodum & furtis latrocinijſque aſſueti, quos Giachas incolæ vocant. Hi magna copia ſedibus ſuis egreſſi, omnes circumiacentes regiones impunè populabantur, nemine nimirum vim eorum ſuſtinente. Tandem autem ad Cõgianum vſque regnum penetrantes, atque per Battanam prouinciam ingreſſi, aciem verſus Congum, regiam ciuitatem, copijs quas Rex ipſis obiecerat, fuſis, dirigebant. Rex accepta clade perturbatus, obuiam illis proficiſci non audebat, ſed donec maximo cum ſtrepitu ad radices montis aduenirent, eos domi expectabat, qui tandem in planiciem erumpentes, Regem cum omnibus copijs intra mœnia compulerunt. Hic cum omnia complerentur eiulatibus, & Rex de vrbis defenſione deſperaret, Rex non ſolum fugæ dedit conſilium, ſed & precioſiori conuaſata ſuppellectile, deſerta vrbe, ad Cauallos, præcipuam Zairi flumis inſulam ſeſe contulit, omnibus ferè eum ſequẽtibus, & vrbem cum imbelli plebe diripiendã Giachis relinquentibus, qui diuiſis copijs per totum poſtmodo regnum ſeſe diffuderunt, omnia felici vbique ſucceſſu deprædantes, incolæ enim omnes quotquot poterant audita Regis fuga vrbiſque regiæ deuaſtatione, ſalutẽ quærendam ſtatuentes, ſe in montes abdiderũt, & reliqua omnia hoſtium furori deſtruenda diripiendaque permiſerunt.

Giachæ populi barbari Regem Congianum ex ſede ſua pellunt.

Interea

Interea cum ad Cauallos insulam, plures quam insula illa nutrire poterat confugissent, deficienti breui tempore commeatu, maxima ibi fames ingruit, pestem simul & alios contagiosos morbos secum vehens, vnde maxima pars non in insula solum sed passim per vias & montes perijt, ita vt campi omnes extinctorũ cadaueribus complerentur. Rex vero varijs se sustentans cibis insalubribus, in hydropem incidit, quæ maximo cum dolore eum vsque ad mortem est persecuta. Tandem autem agnoscens Deum sua peccata vlcisci, ad preces & lachrymas conuersus, à Deo quidem obtinuit, vt in regium solium iterum restitueretur & publica calamitas cessaret. Lusitaniæ enim Rex Sebastianus, per legatum quendam Congianum de hisce Regis miserijs edoctus, Ducem Franciscum Goueam cum sexcentis militibus ei in auxilium misit, adiungentibus sese ex nobilitate Lusitanica quamplurimis alijs, qui fortunam suam in illis locis experiri volebant. Hic vbi ad Regem in Cauallos insulam venisset, adiunctis ad suum exercitum omnibus ijs, qui armis gerendis erant idonei, quanta poterat celeritate ad hostem, victoria illa admodum elatum, contendit, & post varia prælia, sesquianni tempore pulsis omnibus, strepitu bombardarum & tormentorum fragore, qui Giachis intolerabilis videbatur, potius quam vi aut multitudine superatis, Regem in solium suum iterum restituit.

Rex Congianorum fame & peste affligitur.

Aluarus Congianorũ Rex Lusitaniæ Regis opera in regnum suum restituitur.

Cæterũ eo ipso tempore, quo prædictus Dux

Congianus Rex auri fodinas Lusitaniæ Regi denegat.

cum copijs suis in Congi regno adhuc hærebat, intelligens Lusitaniæ Rex Sebastianus, abundare id regnum auri, argenti aliorumque metallorum fodinis, duos eo misit huius rei peritissimos artifices, quibus Hispani olim in cognoscendis metallorum fodinis, in Occidétali vsi fuerant India, vt cum Regis venia fodinas perlustrarent, & viderent an aliquid lucri inde ad Lusitanos redire posset. Rex autem artifices hos ad loca quædam, vbi nullas esse fodinas certò sciebat, deduci curabat, veritus, ne si illæ detegerentur, ipse tandem à Lusitanis impensissimè auro & argento inhiantibus, regno suo, sub amici tamen titulo priuaretur. Consilium quidem hoc Regis bonum erat, amicum enim contra seipsum armare nolebat, sed euentus non adeo felix fuit. Denegatis enim fodinis & metallis illis preciosissimis, deficere statim cœperunt commercia, paucis imposterum ex Lusitania eo commeantibus, atque ita etiam sacerdotibus nullis eò venientibus, quibus postmodum deficientibus, religio etiam Christiana paulatim deficere & cócidere visa est. Rex igitur Congianus datis ad Lusitaniæ Regem literis, sacerdotes sibi aliquos mitti petijt, ne fides Christiana, docentitium & sacramenta admnistrantium inopia prorsus aboleretur. Nihil autem præter promissionem & verba obtinuit, Rege adhuc iuuene respondente, daturum se operam, vt petitioni Regis Congiani missis Sacerdotibus satisfiat.

Congianus Rex à Lusi-

Quadriennio post, cum Lusitaniæ Rex Sebastianus in Africa diem suum obijsset, & vero

hactenus

hactenus nihil Congianus profeciſſet, ad Henricum Cardinalem Sebaſtiani Regis in Luſitania ſucceſſorem, eodem quo antea tenore literas dedit, nihil aliud quam ſacerdotes aliquot ſibi transmitti expetens, ſed nihil tamen effecit, Cardinale antequam aliquid effici poterat, & regnum & vitam relinquente. Poſt eius mortem cum Luſitaniæ regnum ad Philippum Caſtiliæ Regem deuolutum eſſet, & ipſe datis ad Congianum Regem literis, amicitiam & beneuolentiam anteceſſorum, in ſe non deſituram promiſiſſet, Congianus ſtatim Sebaſtianũ de Coſta cum literis ad Caſtiliæ Regem miſit, oblatiſque ei vltro fodinis, quas Luſitaniæ Regi ante denegarat, Sacerdotes ſibi aliquot, qui populum docerent mitti petijt. Cumque eũ in itinere, ex naufragio juxta Portugalliã facto, mortuum eſſe cognouiſſet, Edoardum Lopeſium eodem fine ad Hiſpaniæ Regem Philippũ ablegauit, imperans ei ſimul vt poſtquam legatione ſua apud Philippum functus eſſet, Papam quoque inuiſeret, eumque de mittendis in Congum ſacerdotibus compellaret. Verum licet Edoardus hic, exantlatis infinitis laboribus & periculis ad Regem tandem perueniſſet, re tamen infecta, imò deſperata ferè dimiſſus eſt. Rege enim tum in Angliam expeditionem moliente, nunciatum Edoardo eſt, negotijs eũ hiſce operam iam dare non poſſe, itaq; ne quid in ſe deſiderare pateretur, dimiſſo comitatu, & cilicio indutus Romam ad Papam Sixtum V. profectus eſt. Sed nec ibi quicquam proficere potuit, Papa ad petitionem propoſitam reſpondente, quoniam Congi regnum ad Regẽ

taniæ & Hiſpaniæ Regibus ſacerdotes fruſtra expetit.

Hispaniæ pertineret, eius se id arbitrio commissum velle.

CAPVT XIX.

DE MOSSAMBICO, SOFFALA ET Monomatapa regnis.

POst caput seu promontorium Bonæ Spei, ingens sese in inferiore seu exteriore Aethiopia regio offert, Zangueber Arabibus & Persis dicta, estque humilis & paludosa, nemoribus, saltibusque & fluuijs repleta, cuius loca maritima à Mauris maxima parte inhabitantur. Continet autem regna varia, quorum quæ præcipua sunt, hoc quidē capite breuiter percurremus. Mosambicum igitur ab vna trium insularum sic vocatum est, quæ vicinæ sunt cōtinenti, vbi promontorium iacet quod Ptolemæus Prasium vocat. Prima enim ex illis insulis non ita magna ad dimidium miliare à continente distans, quasi in arcu quodam sita est, ita vt alterum continentis cornu, longius in mare porrigatur quam ipsa insula. Reliquæ duæ ad frontispicium prioris sitæ, cum extremitatibus suis continenti respondent, vocātque à columna ibi à Vasco Gamma, Anno 1497. posita, altera quidem sancti Georgij, altera vero S. Iacobi. Cęterum naues tam prope ad Mosambicam insulam tuto applicare possunt, vt lapidis iactu eas à terra assequi possis, mare enim satis profundum est, & arena littoris manifestè interlucet, vnde portus non ita quidem magnus, sed securus admodum, & nauigantibus perquam opportunus ibi reperitur.

Mosambicū vnde sic dictum.

Est

Est autem Mosambica insula, plana & rotunda, aggerem vndique ex arena pura & alba habens, tota palmis consita. Inter animalia oues ibi reperiuntur, vna quarta parte abundantes. Caudæ enim earum tam latæ, crassæ & pingues sunt, vt ob molem reliquis quatuor partibus æquiparentur. Sunt & gallinæ ibi, quarum plumæ, carnes & ossa adeo nigricant, vt coctæ quasi in atramento elixæ videantur, sapidissimæ tamen sunt, & reliquis longè meliores. Suilla & porcina caro omnium ibi saluberrima habetur, estq; tam grati saporis, vt carnes quascunque alias longè antecellat. *Mosambicæ insulæ descriptio.* *Gallinæ nigram carnē habentes*

Cum Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo, Lusitani ad hanc insulam primo appulissent, cognouerunt eam à Mahumetanis Abrahemo Quiloæ Regi subiectis inhabitari, ipse enim prætorem ibi constituerat, qui cum pro Turcis aut Saracenis Lusitanos initio haberet, omnem ipsis beneuolentiam exhibuit, verum vt Europæos & Christianos eos esse cognouit, versa statim in odium hospitalitate, telis & sagittis eos aquatione prohibere cœpit, commouitque Lusitanos, vt displosione tormentorum facta, vi summa quæ necessaria erant impetrare niterentur. Sequenti igitur anno, cum Lusitani ad Mosambicam iterum applicassent, incolæ accepta priori clade perterriti, armamenta, cōmeatus, ac duces itineris abunde ijs supppeditarunt. *Lusitani quomodo ad Mosambicam excepti.*

Cæterum

Castellum Lusitanorũ in insula Mosambica.

Cæterum castellum hodiè ibi est munitissimum & valde magnificum à Lusitanis ante paucos annos excitatum ex opposito insularũ Sancti Georgij & Iacobi, vbi naues necessariò præterire coguntur. Est autem vnum ex præcipuis & munitissimis ædificijs, quotquot in India reperiuntur, verum nullum ibi præsidium, nullaque tormenta habentur, solo Præfecto cum seruis aliquot ibi habitante, & Lusitanos hinc inde per insulam habitãtes sibi obstrictos in propugnationem & defensionem castelli habente, nec enim aliud propugnaculum, præter vnicum hoc per totam insulam cernitur, quæ loco omnibus patente sita est. In castello cisternæ aliquot aqua dulci repletæ sunt, tanta copia, vt ad integrum annum si necessitas ita ferat, sufficientes esse possint. Habet autem insula illa quadringenta vel amplius tuguria indigenarum propria, suntque indigenæ colore nigerrimi, Lusitanis parentes, & Mahometis legem seruantes. Feri autem admodum sunt & syluestres, nudi plerumque incedentes, præterquam quod viri ad præputium habeant pãnum admodum exiguum religatum, mulieres vero à media mamillarum parte ad media femora vsque tela bombycina integantur. Quicunque vero in continenti habitant, omni integumento carent, ita vt ne pudenda quidem obuelent, & hi quidem perfidi sunt, nec datam fidem vlli hominum præstant, itaque ne Lusitani quidem commercia cum illis tutò exercere possunt, qui hanc ob causam in insula illa sese ferè semper continent, & raro cum continentis incolis negociantur.

Messambicensium incolarum mores.

Insu-

Insulam autem istam ita administrant, vt quouis elapso triennio nouum Capitaneum seu præfectum, ad perficienda negotia regia eò transmittant, qui liberè postmodum ex proprio ingenio per triênium ibi viuit, & definitos sibi reditus, qui ad 300000. ducatorum summam computantur, colligit. Habet enim sub se etiam munitionem in Soffalæ regno, ab aurifodinis celeberrimo, vnde certo quodam nauigij genere, quod Pangaios ipsi vocant, haud parum auri ad regium vectigal quotannis traducit.

Lusitani quomodo Mossambicã insulam administrent.

Regnum Soffalæ à fluuio, qui à primo Nili lacu oritur & Magnices vocatur, incipiens per litus maris vsque ad Cuamam fluuium extenditur, à paucis habitatum, Regem Mahumeticæ sectæ addictum habet, qui Lusitaniæ tamen Regi subiectus est. Caput regni est insula quædam in Cuama fluuio, eodem nomine quo totum regnum nuncupata. In ostio autem fluuij istius Lusitani castellum habent, negotiationibus quas cum incolis exercent, varijs aptissimum. Incolę non sunt loci istius indigenę, sed ex Magadaxo primum, deinde à Quiloa profecti, & commercia cum finitimis Cafribus, qui in Monomotapæ Regis imperio varijs locis aurum effodiunt, exercentes, relicta tandem patria, sedem in his insulis olim desertis figere cœperunt.

Soffalæ regni descriptio.

Anno 1505. cum Lusitani sub Petri Gnaiæ imperio, (qui cum sex nauibus ad Soffalam, vt arcem in eo tractu, si qua posset, extrueret, ac simul in auri pretiosa commercia Lusitanos induceret, missus erat) ibi applicassent. Gnaia quidem

Lusitani quando & quomodo ad Soffalæ regnum peruenerint.

quidem Izufum, qui per fraudem in eius loci posseſſionem inuaſerat, iam verò & ætate confectus & luminibus captus erat, acceſſit, cumque oſtendiſſet primum, quantum ex Luſitanorum ſocietate & commercio vtilitatis capere poſſet, petijt deinde, vt ob eam ipſam rem, ad merces cuſtodiendas caſtellum in ijs finibus ſibi extruere liceret, id non magis aduenis, quã ipſis incolis præſidio contra finitimorum incurſiones futurum dictitans. Ille non tam ratione ſocietatis adductus, quam fama perterritus eorum, quæ ad Quiloam nuper (vt poſtmodùm recenſebitur) geſta erant, perhonorificè accepit virum, & poſtulatis eius in ſpeciem libenter annuit, quanquam acriter obſiſtente Mengo Muſafo genero, viro acri & bellicoſo, quem ſenex ea potiſſimum ratione lenijt, quòd diceret, fore vt Luſitanos inſolita cœli intemperies ac paluſtres humores paulatim abſumerent, vel certè ſic afficerent, vt à paucis armatis deleri ſine periculo poſſent. Gnaia enim poſtquam impetrata venia locum qua flumen in mare effunditur, ædificationi deſignaſſet, & quod cæmenta non ſuppeterent, caſas ex robuſta materia, tumultuario opere extructas, duplici vallo, propugnaculis & foſſa cinxiſſet, non ita multo poſt aduerſa valetudine tentari cum ſuis cœpit, paucíſque diebus ita peruagata inter illos vis febrium eſt, vt ex vniuerſo præſidio vix quadraginta ſupereſſent, ad arma ferenda & vigilias obeundas idonei.

Occaſionem igitur ſibi oblatam ratus Izufus,

ſus,nationem inuiſam è medio tollendi, rem *Soffalenſis*
tali modo aggreſſus eſt.Mocondes erat Cafer, *in Luſitanos*
vicinis locis pro Monomotapæ Rege præpoſi- *perfidia.*
tus,hunc per nuncios monebat,Europæos pi-
ratas qui maritimam oram dudum infeſtam
habuerint,denique ad ſe delatos, intra lignea
ſepta,quæ ſibi ipſimet circumdederint,fame &
ſqualore penè confectos teneri, ſi in partem
prædæ venire velit, rem ſe in eius aduentum
integram ſeruaturum.Haud fruſtra miſſa lega-
tio,Mocondes enim lucri illius inopinata ſpe
illectus,ingentem trahens ſecum popularium
turbam,celeriter adfuit. Luſitani autem inſi-
dias illas ſubolfacientes,tormenta ænea, Ca-
fribus ad id tempus prorſus adhuc ignota,ido-
neis locis occultè diſpoſuerant & excubias di-
ligentes agebant.Mocondes igitur artis belli-
cæ prorſus ignarus & numero maximè fretus,
ad caſtellum copias admouit agmine prorſus
incompoſito, cum in confertam multitudinē
ac nihil tale timentem,emiſſa repente ferrea
procella,tantam edidit ſtragem,vt relicta op-
pugnatione attoniti pauenteſq; barbari, ſe in
proxima nemora confeſtim abdiderint. Sed
ne ibi quidem tuto eſſe licuit,ſiquidem conti-
nuatis tormentorum ictibus , magno impetu
diſſultantia arborum fragmēta ſemiermes in-
cautoſque miſerè lacerabāt,cui tanto malo cū
nullum,præter fugam,remedium occurreret,
rabie à Luſitanis in Soffalanos verſa , vulgo
fremere quod ſe fallacibus promiſſis ad bel-
lum cum ipſis Dijs gerendum euocaſſent,vide-
bantur,agro eorū vaſtato & oppido ipſo ma-
gna ex parte direpto,in patriam reuerſi ſunt.
Luſi-

Lusitani perfidiam Soffalanorũ vlciscuntur.

Lusitani autem inultam istam perfidiam nõ habuerunt, noctis enim intempestæ beneficio, Gnaia cum aliquot viris strenuis, aduerso flumine in regiam subuectus, Izufum ipsum & paucos familiares interfecit, & eadem adhuc nocte, priusquam populi concursus in regiam fieret, ad suos reuersus est. Postero autem die cum res emanasset, ira odioque incensi barbari, quam maxima coacta manu, denuo castellũ, sed eodem quo nuper euentu adorti sunt, plures enim & integri à multo paucioribus & imbecillis, cum cæde & ignominia repulsi sunt.

Posthæc inter eos certari de successione cœptum, cumque Musafus, præpollens viribus & popularium gratia, Izufi liberos patrimonio exturbare niteretur, & satis appareret, ius in armis fore, alter ex ijs, nomine Solimannus, ad Gnaiam & Lusitanos confugit, à quibus cũ Rex declaratus, & in regnum introductus fuisset, fidelem se vicissim illis amicum ex eo tẽpore semper præbuit.

Monomatapani regni descriptio.

Monomatapanum regnum ex quo Mocondes ille oppugnatum Lusitanos aduenerat, nõ procul à Soffala occidentem versus distans, aurifodinis tam copiosis refertum est, vt inde in omnes circumiacentes regiones aurum magna copia transferatur. Sunt qui existimant, Salomonem, auri, quo in structura templi Hierosolymitani vsus est, partem maximam ex hoc regno accepisse, cuius rei coniecturam inde capiunt, quod multa egregię antiquitatis monumenta ibi reperiantur. Sunt enim ædificia ibi vt vetera, sic singulari artificio & magnis sumptibus

ptibus extructa, qualia in nullis vicinis regnis reperiuntur. Regnum aliàs amplum est, & incolis miræ proceritatis fortitudinisque refertum, qui ad bellum quidem alacres & prompti, magnis superstitionũ tenebris obruti sunt. Armis vtuntur arcubus & sagittis; Rex autem magnum semper exercitum alit; & in bello mulierum etiam opera vtitur, quæ vel ipsis viris cordatiores existunt. Amazonum enim antiquarum more sinistram mammillam, ne in mittendis sagittis impedimenti aliquid adferat, exuerũt. Arma enim earum arcus & sagittæ sunt, quibus tanta dexteritate & constantia vtuntur, vt mortem potius admittant, quam loco se dimoueri patiantur. In prælijs hoc vtuntur inter cætera stratagemate, quod fugam simulantes iacula subinde retro mittant; & cũ hostium nimio feruore sese insequentium viident turbatos ordines, subito se conuertentes, obuios omnes iaculis & telis conficiant, nemini parcentes, vnde & ab hostibus tã propter crudelitatẽ, quã admirandam celeritatẽ valde timentur. Propriam prouinciam Regis permissu solæ possident, viros non nisi certo anni tempore ad se intromittentes, vbi si masculũ fuerint enixę viris eum statim remittunt si vero fœmellam, retinent, & exusta statim sinistra mammilla, ad militiam eam instruunt.

Amazonum in Monomotapano regno descriptio.

CAP. XX.

DE QVILOA, MOMBAZA ET Melinde regnis.

Quiloensis regni descriptio.

VIcinũ MoſſambicoQuiloẽſe regnũ eſt,ab inſula quadam, in Coaui fluminis oſtio ſita,ſic dictũ, quæ parua quidẽ, ſed propter ſaluberrimã aëris temperiẽ ſupra modũ fertilis eſt, arbores ſemper frondentes & fructus ferentes habens,alimentaque omnia ad victum humanum,& ad delicias varias facientia proferens.E regione huius inſulæ,alia eſt, in alto mari,verſus orientem excurrẽs, eiuſdem cum priori, nominis & qualitatis adeo,vt & incolæ vnius eiuſdemque nationis eſſe videantur. Coloris in corpore albicantis magis ſunt, quam quos hactenus deſcripſimus. Veſtiuntur decenter admodum,tam ex lana quam ex ſerico confectis pannis,& mulieres torquibus aureis tam in collo quam in manibus ornantur. Domus habent ex ligno, lapidibus, alijſque materijs ſumptuoſiſſima elegantiſſimaque ſtructura conſtantes, adiunctis ſimul hortis, qui omnis generis fructibus & leguminibus ſemper abundant.

Luſitani Quiloam ſibi ſubiectam reddunt.

Fuit hoc regnum præ cæteris circumiacẽtibus olim florentiſſimum,ita vt Rex eius omnia reliqua continentis loca ſuo regeret imperio. Vnde cum circiter annum milleſimum quingenteſimum,Luſitani, ſub Vaſco Gamma, (quem cum ſummo totius Arabici , Perſici & Indici maris imperio,in Indiam Luſitaniæ rex Emma-

Emmanuel destinauerat,) ad hoc regnum peruenissent, vires suas non solum ad resistendum illis, sed prorsus eos è tota continenti pellendum sufficere Rex existimans, copijs suis eos aggredi non est veritus. Non respondebat autem consilio euentus, primo enim congressu victus & in fugam actus, regnum Lusitanorum potestati reliquit. Erat is Abrahemus quidam Mahometicæ superstitioni addictus, quem victum Gamma, Emmanueli Lusitaniæ Regi tributarium fecit, annuo ei tributo imposito, quod duorum millium miticalium, vt ipsi appellant, vel aureorum summam æquaret. Cum igitur sequenti anno Gamma, rebus terra marique ex animi sententia confectis, domum rediret, ingens in Lusitaniæ Regis aula lætitia exorta, oblatumque Regi est magno cum populi applausu aureum in argẽteo disco vectigal, quod prædictus Abrahemus primum tum pependerat. Ex ea autem pecunia Emmanuel auream pyxidem in Sacrosanctæ Eucharistiæ vsum fieri curauit, eamque postmodo miro artificio perfectam & pretiosis lapillis ornatam, templo Bethleemitico donauit.

Quileæ Rex Lusitaniæ Regi tributarius factus.

Anno 1505. cum Lusitani Francisco Almeida Duce, ad Quiloam iterum appulissent, & vero Abrahemus Rex annuum Lusitaniæ Regi persoluere tributum callidè recusaret, descensione ibi facta, eum per vim vrbe & regno suo exturbarunt, eiusque loco Mahometem Anconinum, acceptum incolis virum & expertæ in Lusitanos fidei, Regem, solenni cum apparatu, imposita capiti corona aurea constituerunt. Deinde loco ad maritimos aditus æquè ac

Lusitani arcem ad Quiloam extruunt.

terreſtres inprimis commodo, propugnacul
extruere cœperunt,cumque labor in orbem i
ret,ipſeque Almeida & cæteri principes,ſuam
etiam obirent vicem,opus vigeſimo die abſo-
lutum,caſtelloque à Diuo Iacobo, quod eiu
Apoſtoli die natali,vrbe expugnata, Abrahe-
mum inde expuliſſent,nomen impoſitum eſt.
Non diu autem caſtellum hoc in Luſitanorum
poteſtate fuit, Mahometani enim poſt anno
pauculos,interfecto Anconino Rege,illud di-
rutum ſolo æquarunt, & à ſocietate Luſitani-
ca plane defecerunt. Hinc cum poſt annos ali-
quot,nauis quædam Luſitanica,ex Georgij Al-
buquercij claſſe,ſuperato bonæ Spei capite,ad
Quiloæ littora vi tempeſtatum reiecta eſſet,

Luſitanorũ ad Quiloam calamitas.

miſerabili cladis genere interijt. Dira enim
Luſitanos vrgebat neceſſitas, vt aquandi gra-
tia,quadraginta ex naui viros cum Scapha ad
Matuam eius ore vicum mitterent. Dum autẽ
implendis dolijs ſuis ſtuderent, Scapham re-
migibus vacuam, recedens æſtus in ſicco de-
ſtituit. Luſitani igitur ad eam deducendam ap-
tandoſque remos, ſemiplenis vaſis illico
accurrerunt,nec ſegnius barbarorum animad-
uerſa re,circiter duo millia, infenſis animis
aduolarunt,nautaſque ſub oneribus ad vnum
omnes occiderunt,nequicquam Luſitanis cæ-
teris, cum ad bombardæ ictum venire non
poſſent, ſuorum cædem ſpectantibus, qui ne
ipſi quidem lętiorem ſortiti ſunt exitum. dum
enim vrgente ſiti,paulo poſt aquationes in vi-
cino alias quærerent, rectore deſtituta nauis
haud longè à Quiloa in ſyrtes impacta eſt. Ad
conſpectam hanc eminus prædam ingens re-
pente

iente adfuit hostium vis, Lusitanisque omnibus, præter adolescentem vnicum, quem Regi Mombazano donarent, trucidatis, bona omnia abduxerunt.

Medio inter Quiloam & Melindem itinere regnum Mombazanum occurrit, ab insula cõtinenti opposita nomen habens, quæ Mombaza ab incolis dicitur, & leucas fere duodecim in circuitu continet. In hac insula ciuitas est eiusdem nominis præcipua, ædificijs, sculpturis & picturis ornatissima, in qua Rex superstitionibus Mahometicis addictus, sedem suam habet, Christianis quidem infensissimus. *Mombazani regni descriptio.*

Hinc cum Anno 1497. Vascus Gamma ex Mosambico cum Aethiope quodam perfido itineris duce, vltima ferè compulsus necessitate ad vrbem hanc appulisset, Rex ille simulata beneuolentia Christianos ad commercium & hospitium benignè inuitari iussit, itaque Lusitanis ipsas iam portus fauces intrantibus, ex vrbe cum ficta gratulatione & concentu obuiam prodierunt, ac sine armis in naues accepti, ouantes lætique ad omnem hilaritatem Lusitanos inuitarunt, cum nouum subitò periculum, parato iam exitio, nihil tale suspicantes eos eripuit. Dum enim ad auram excipiendam Gammæ nauis tardius circumagitur, veritus ne illam in proxima vada æstus abriperet, magno repentè clamore iaci anchoras iubet, quã ad vocem cum naualis turba huc illuc præceleri festinatione discurreret, rati proditores, detectas insidias esse, vt est omnis malitia suspicax, & meticulosa, illico ex nauibus in subiectas lintres certatim cuncti desilierunt, vt *Mombazanorum in Lusitanos insidiæ.*

inde Lusitanis fraus Mahumetanorum facile patuerit.

Mombaza à Lusitanis expugnatur & accenditur. Anno 1500. cum ex sex onerarijs Lusitanorum nauibus vna vadis circa Melindem inhæsisset, Lusitani ea accensa, instrumenta & machinas bellicas cum tormentis omnibus, ne Saraceni ijs potirentur in profundum demerserunt. Verum enimuero Mombazæ Rex hac de re edoctus, ea expiscari curauit, inque Christianorum postmodum perniciem & damnum conuertit. Hinc cum anno 1505. constitutis ad Quiloam rebus omnibus Almeida, Mombazam cum classe petijsset, barbari extructis ad portum duobus propugnaculis, tormentorum istorum beneficio aduentantem classem aditu prohibere conati sunt. Verum Lusitanorum ictibus breui disiecto vtroque castello, liber Almeidæ introitus patuit, qui postea cum missis ad Regem nuncijs, responsum speratum nō accepisset, trifariam adortus vrbem, vi summa cœpit, ac direptam accendit, barbaris interemptis partim, partim vero in seruitutem abductis, Rege vero in syluas sese densissimas abscondente, qui postmodum abeuntibus Lusitanis ex fuga reuersus, desolatam vrbem reparauit. Accidit autem post annos aliquot, vt Nonnius Acunia, cum nauibus suis circa Melindē hyemare cogeretur, cum igitur asperum ibi littus & importuosum esset, longeque ad Mōbazam meliorem stationem nosset, oratores ad regem misit, rogatum vt hybernare sibi in littore suo liceret. Denegabat hoc ipsis Rex, & statione ista prorsus arcendos dicebat, itaque exposito milite, Nonnius ad oppugnationem

nem sese parauit. Non ausi autem certaminis aleam subire Mahometani, raptim defosso in terram quod pretiosum erat, vna cum Rege profugerunt. Lusitani igitur tum sine sanguine oppidum ingressi, quod reliquum erat è supellectile cibarijsque diripuerunt, atque exacta postmodum hyeme, abierunt.

Melindani regni descriptio.

Vltimum in Africa regnum ad quod naues orientalem Indiam petentes aliquando appellere solent, Melinde Lusitanis dicitur, quo nomine littus etiam ipsum & metropolis regni vocatur. Extendit enim sese in littore maris vsque ad Chimancium fluuium, per quẽ postmodum in continentem excurrens, centum vel amplius leucas in circuitu continet. Abundat oryza, milio, carne & fructibus omnis generis. Incolæ autem Mauri sunt, Mahumetis legem sequentes, non ita, vt alij, nigri, sed albicantes nonnihil. Domus habent, vt & apud nos ex lignis, lapidibus & cæmento constructas. Mulieres vero Arabum more vestiuntur, vestibus admodum sumptuosis ex panno serico confectis vtentes, pectus & brachia monilibus aureis & argenteis ornatæ incedunt, facie velo tecta, ne facile, nisi ipsæ velint videri aut conspici possint. Præ cæteris enim, de quibus hactenus dictum, ciuilitatem tam in vestitu quam in domestico apparatu præ se ferunt.

Lusitani Melindensium amicitiam quomodo sibi conciliarint.

Lusitani littus hoc assecuti, plerumque in terram descendunt, cum non portum solum & stationẽ nauiũ securã, sed & incolas humanissimos ibi habeãt, qui absq; vlla fraude & malitia cum ipsis quã amantissimè conuersantur. Rex enim

enim Melindensium vt primus omnium in oriente Lusitanos hospitio excepit, & sincerè, nullo vsus nec fuco nec dolo malo, fœdus amicitiæ cum illis inijt, sic hactenus etiam hospitium ipsis tutum præstitit Vascus enim Gámma euitato ad Mombazam, de quo supra dixi, periculo, cursu septentrionem versus directo, nauigia duo Saracenorum intercepit, cumque plerisque in mare se abijcientibus, tredecim eorum in potestatem Lusitanorum venissent, separatim singuli interrogati, sine vlla variatione responderunt, in eadem ora celebre regnum & oppidum esse Melindem, Rege in aduenas omnes mire benefico & hospitali, ibi nec instrumenta nautica, nec commeatum nec duces in Indiam defuturos. His rebus auditis, captiui benignè habiti sunt, ijsdemque regentibus cum ad Melindis conspectum ventum esset, quidam ex ijs, vt videbatur, autoritate præcellens, munus adeundi Regis & conciliandæ Lusitanis amicitiæ sibi deposcit. Gammæ igitur autoritate in vrbem delatus, Lusitanorum probitatem moresque extollendo, multisque rationibus ad tempus accommodatis alijs, Regem, satis per se ad humanitatis officia propensum, facile in aduenarum cupiditatem & amorem impulit. Vnde biduo nuncijs muneribusque vltro citroque mittendis insumpto, Gamma, ne Regi diffidere videretur, in portum, lato nauium ornatu concinnentibus tubis inuectus est. Huic obuiam Regis filius natu maximus (nam pater morbo senioque implicitus decumbebat,) cum honestissimo comitatu profectus, in Scapham, quo Gamma excipiendi

endi eius causa descenderat, hilari vultu transiliens, peregrinum arctissimè familiarissimeque complexus est, indeque cum alter ab altero multa per interpretes amicè admodũ quæsijssent, petere atque orare institit, vt ad parentem iacentem in lectulo adire ne grauetur, promittens se interea apud naues cum paruo filio pro obside mansurum. Ad ea cum respondisset Gamma, se Regis sui mandato, quo minus exscenderet prohiberi, nobiles duos è comitatu pro se in vrbem misit, quibus Rex sese admodum comem & honorificum præbuit, sed & itineris in Indiam duces eis addidit, cumque Gamma captiuos illos Saracenos Regi donasset, ea denique lege discessit, vt in reditu illac sese iter facturum, & non nisi salutato prius Melindensium Rege in Lusitaniam reuersum polliceretur, quod ipsum quidem etiã Calecuto reuersus fecit, assumptoque ad se Regis legato, tandem Anno 1499. in Lusitaniam saluus redijt. Legatus hic, sequenti statim anno, per Petrum Aluarum Capralem, in Indiam à Lusitaniæ Rege tum destinatum, in patriam suam Melindem iterum reuectus est, quo facto, fœderis quoque renouatio & confirmatio, volente ita & expetente Melindensium Rege, facta est, ne id quidem nullo cum fructu. sequenti enim 1503. anno, cum Rex ille, à Mombazæ rege valde admodum premeretur, opportuno sane tempore ipsi à Lusitanis, iter illac tenentibus, suppetiæ, hoste ab armis discedere, & prope iam victo Melindensi, pacem dare coacto, latæ sunt.

CAP. XXI.

DE ADENO SINVS ARABICI, ET Bassara sinus Persici ciuitatibus.

Arabiæ in Asia sitæ diuisio.

PErcurrimus hactenus promontoriorũ insularumque & regnorum maritimorũ,quæ ad Africam pertinent,& vero nauigantibus in orientalem Indiam necessario lustranda veniunt,historiam. Iam relicta Africa, vt ad Indiæ Orientalis littora paulatim descendamus, & propius accedamus, transitum ad Asiam faciemus, Insularũque & regnorum quorundam, quæ antequam Indicum assequantur oceanum nauigantibus se aperiunt, littora perlustrabimus. Principio autem sinus quidam occurrũt, quorum præcipui sunt Arabicus & Persicus, quibus Asia quidem ab Africa separatur. Nam Arabia,magna admodum prouincia est,quæ in peninsulæ formam inter duos ingentes sinus, Arabicum nempe & Persicum, concluditur. Diuiditur vero in Arabiam desertam, à vastis solitudinibus sic dictam:in Arabiam Petream, ab vrbe Petra eius metropoli cognominatam, & in Arabiam felicem,à cultu præ cæteris maiori sic appellatam.Hæc enim pars amplissima varijs fluuijs irrigua,& vrbibus nobilibus pagisque innumeris repleta est, maximè tamen iuxta mare, vbi imperia quædam admodum celebria reperiuntur.

Arabiæ descriptio.

Adeni vrbis in Arabia felici munitissimæ descriptio.

Munitissima autem omnium & pulcherrima per totam Arabiam felicem ciuitas Adenum est,quæ in valle depressa ab altero latere ditissimis aurifodinis, ab altero vero præaltis montibus cincta cernitur, in quibus quinque

arces

arces perpetuis pręsidijs excubijsque instructę visuntur, ciuitas vero ipsa satis culta, sexies mille ædificijs constat, estque emporium celeberrimum, quo magna aromatum & gemmarum copia ex India deferri solet, vnde promiscue ibi negotiantur Indi, Persæ, Athiopes, Turcæ & alij, idque nocturno vt plurimum tempore propter feruorem solis intolerabilem. Extra vrbem ad lapidis iactum consurgit mons altissimus, qui ob meros scopulos inaccessus videtur, quamuis vasta quædam arx, palatium nempe Gubernatoris in vertice eius emineat. Incolæ colore giluo sunt & citrino, Mahometis dogma, sed secundum Persarum expositionem, profitentes. Terra vero equos nutrit generosissimos, qui gregatim in Indiam mittuntur, suppeditat etiam abundè myrrham, thus, lignum Balsami, & mannæ nonnihil cum alijs quibusdam plantis aromatibusq; odoriferis.

Lusitaniæ Rex Emmanuel, cũ circiter annũ Christi 1505. Oriẽtis opes imperiũq; animo & spe indies maiore cõplexus, percũctando à regionũ peritis, & nauigationis tabulas, quæ ex India depictę subinde referebãtur, attẽtius cõtẽplando, comperisset, Indicæ negotiationis præsidia & quasi claustra præcipua esse tria, Adenũ nẽpe & Armusiã, Arabiæ prænobiles vrbes, quarũ altera Arabici, altera Persici sinus ostiũ obsideret, itẽq; Malacã, freto sincapurano impositã, quo propter loci opportunitatẽ insularũ penè innumerabiliũ mercimonia cõmearent, ad ea loca vel fœdere sibi adiungenda, vel armis, vbi res exigeret, occupanda, stu-

Lusitani Adenum sibi conciliare & subiectũ facere conantur.

dium

dium omne cogitationemque conuertens, præfectis quorum in perlustrandis Orientis opibus vtebatur opera, in mandatis dedit, vt quacunque possent ratione, prædicta sibi loca conciliare & subiecta reddere niterentur.

Albuquercius Adenũ ciuitatem frustra oppugnat.

Albuquercius igitur firmato post annos aliquot maris imperio, ad expeditionem Arabicam animum adijciens, ad vrbem hanc Adenum classe prorsus salua & incolumi traiecit. Quamuis autem ea mœnibus & propugnaculis egregiè cincta esset, iactis tamen in portu repentè anchoris, magnam trepidationem ciuibus pariter & peregrinis in ea commorantibus incussit. Præerat tum ciuitati Amirianus quidam, genere Abyssinus, puer olim captus à Saracenis, & à religione Christiana per fraudem abductus. Hic tentatus ab Albuquercio, blandis verbis muneribusque spem deditionis faciendo, rem distulit, dum è propinquo milites euocaret, qui cum celeriter conuenissent, & vero ignarus eius rei Albuquercius, ad nauicularios in vrbem mitteret, eosque deposito metu ad naues redire iuberet, illi se redituros negarunt, simulque Amirianus per internuncioscum Albuquercio expostulauit, quod imperium in aliena vsurpans terra, super tali re cum inquilinis & aduenis potius, quam cum legitimo magistratu, penes quem summa rerum sit, agendum sibi suo iure existimaret, addens simul, non amicitia sua eum sese dignum iudicare, qui tali tempore defensoribus vrbem nudare conetur. Eo nuncio sat patefactis Amiriani consilijs, Albuquercius vim adhibẽdam ratus, vbi postera dies illuxit, vt hostem

ancipiti

ancipiti distineret prælio, partem copiarum in ipso littore exposuit, partem ad Isthmum, quæ à tergo pugnantes inuaderet, circummisit. Vtrobique autem à Saracenis acerrimè repugnatum est, cũ igitur scalis diffractis, pauci Lusitani, qui iam in muros euaserant, cęderentur, & frequentes admodum apparerent in oppido armati pedites equitesque, Albuquercius receptui cani iussit, omissaque vrbis istius & natura & opere, validoque præsidio munitissimæ, oppugnatione, Mahometanas naues in portu fermè triginta succendit, & sublatis anchoris ab vrbe illa discessit.

Eodem tempore Sultanus, ad arcendos Arabia Lusitanos, classem omni conatu reparabat, eique Solimannum quendam piratam nobilē præficiens vt Adenum sibi quamprimum subiectum faceret, imperabat. Erant igitur tum Arabicæ fauces quasi victoriæ præmium Sultano & Lusitano in medio positæ, neque erat dubium, quin vter prior ea claustra custodijs occupasset, Arabicum pelagus, totamque eam nauigationem esset in potestate habiturus. Itaque ijsdem vtrinque artibus & consilijs certabatur, eratque vtrique propositum, Adeno potiri, vel si minus id è sententia cederet, vicinum aliquem locum permunire & præsidijs obtinere. Solimannus igitur post Albuquercij discessum, cum vniuersa classe primum omnium ad Adenum applicans, initio quidem oppidanos ad voluntariam deditionem modis omnibus allicere conatus est, postea cum ferocia tulisset responsa, vrbem summa vi oppugnare constituit. Ignorabat autem quam illa præter muros

Sultanus Adenum ciuitatem sibi subiectā facere conatur.

Adenum à Solimanno frustra oppugnatum.

muros turresq; præualidas firmo ac fideli præsidio teneretur. Ad primos enim Aegyptiæ illius classis à Sultano paratæ nuncios, Amiriani accitu, non è vicinis modo locis magna auxilia conuenerant, sed ipse quoque Rex ab Elach, vrbe, quæ caput est regni, cum haud contemnenda militum manu, celeriter eo se contulerat. Admotis igitur à Solimanno triremibus, vario genere tormentorum vrbē acriter quassare cœpit, donec crebris ictibus labefactata non exigua muri pars cum ingenti fragore concidit. Hoc facto Solimannus Mammalucos, milites suos ad ineundam forti animo pugnam hortatus, copias ad littus exponit, perq; patefactū ruina iter, ausus in vrbem irrumpere, pręter opinionē acerrimè resistentibus oppidanis, cum magna suorum cæde vulneribusque repellitur. Ergo tum ex propugnatorum frequentia, tum ex vnius temerè tentati prælij euentu coniectans, quam non suarum virium ea oppugnatio esset, conscensis iterum nauibus ab vrbe discessit.

Lusitani occasionem Adeni occupādi optatissimam negligunt.

At Emmanuel Lusitaniæ Rex de hoc Sultani conatu certior factus, ad Lupum Soarium in India tum hærentem maturè perscripsit, vt quanta maxima posset classe ad Arabiam tenderet, nec Aegyptios cum Indis coniungi vlla ratione pateretur. Soarius igitur ad eam expeditionem omnes curas intendens, naues triginta septem omni commeatu instruit & repente ad Adenum applicat. Ibi perculsus inopinato aduentu & classis magnitudine Amirianus, qui magnam muri partem ex recenti Solimanni oppugnatione stratam adhuc ruinis habe-

habebat, excidium metuens, tempori paruit, & claues vrbis confestim ad Lusitanum suppliciter misit, & cur sibi minus cum Albuquercio ante conuenisset, causatus, præfractum & asperum ingenium viri, sese ad deditionem faciendam & accipiendum intro præsidium, imperataque facienda paratum ostendit. Erat hæc præclara omnino occasio tam opportunæ potiundæ vrbis, & maximo rerum Lusitanicarum compendio, Saracenis & Aegyptijs Indicum mare in omne tempus intercludendi. Verum Soarius, alienam ex sua æstimans fidem, ne quid copiarum in ea custodienda relinquere cogeretur, prauo vel potius nullo consilio vsus, rem inposterum distulit, in qua præsentia commeatu multiplici in classem exacto, ad Camaranum processit. At Amirianus & incolæ, ingenti leuati metu, nulla mora interposita, reficere muros, alimenta conuehere, & custodias augere, agentes pro liberatione ista superis gratias, visi sunt.

Anno post natum Christum 1532. Turcica mancipia duo, Mustafa quidam bellicæ rei peritus, & Sofar Chius natione, Quæstor Aegypti, Solimanno copiarum bellicarum præfecto per fraudem interempto, & grandi interuersa pecunia, comprehensis nauibus aliquot in Arabiam, expugnandi & obtinendi Adenum causa traiecerunt, quo simul castris loco idoneo positis, maior indies multitudo ad famam belli ac prædæ spem è vicinis regionibus confluxerunt. *Adenum à Turcis secundo oppugnatur.*

Inde

Inde cum quintum iam menſem tormentis A-
deni mœnia quaterent,& intenta cuſtodia cõ-
meatus arcerent, Luſitanæ demum claſſis ad-
uentu deterriti,quamHector Sylueria tum du-
cebat,irrito incepto,ab obſidione diſceſſerũt.
Sylueria igitur propius cum claſſe ſua acce-
dens,callido admodum vſus eſt mendacio.Re-
gi ſignificari iuſſit, ſeſe cognito vrbis diſcri-
mine,ſine mora,ne Turcæ pedem in Arabia fi-
gerent,inſtructis egregio milite nauibus, ad-
ueniſſe, paratum prælio dimicare, Turcaſque
inde per vim expellere , ni ſponte ipſimet eo
perculſi metu,abſcedere maturaſſent. Deinde
cum oſtendiſſet,quantum à Turcis periculum
vniuerſæ inſtaret Arabiæ, Luſitanaſque ſimul
opes & auxilia polliceretur,Regem & recen-
ti obſidione fatigatum, & rebus ſuis in præ-
ſentia diffidentem,facili negotio perpulit, vt
aliorum exemplo in Luſitaniæ Regis, qui tum
Ioannes tertius erat, fidem ſolenni cum iure-
iurando veniret. Fœderis autem conditiones
fuerunt,vt Regem regnumque Luſitani,quoti-
es neceſſitas exigeret, ab hoſtibus tuerentur.
Rex vero Adenius viciſſim Luſitaniæ Regem
patronum & defenſorem agnoſceret, eique
tributi nomine in ſingulos annos dena Serafi-
num millia Armuſianæ monetæ perſolueret.
Hiſce legibus firmata ſocietate, Serafini mille
quingenti extemplo à Rege ad diadema aure-
um Armuſiæ faciendam curati ſunt.

Adeni Rex inita cum Luſitanis ſocietate deditionem facit.

Non erat hæc ſocietas diuturna & conſtans;
ſimulatque enim Sylueria inde iterum ſoluiſ-
ſet,metu ſolutus barbarus ad ingenium redijt,
& coalitam nuper amicitiam, fœderumq; ius
inex-

inexpiabili facinore violauit, onustam e-
nim pipere nauem Lusitanicam, quæ in Ade-
ni portum secura decurrerat, cæcus auaritia &
vetere in Christianos odio, circumuentam re-
pente diripiet Lusitanos omnes tam qui ea ve-
hebantur naui, quam qui in Adeni imperio re-
licti à Sylueria fuerant, per summum nefas
spoliari & interfici iussit, magnamque sibi pe-
cuniæ summam eo scelere peperit.

Cæterum violati huius fœderis pœnas sa-
tis graues dedit, Anno enim 1538. Ottomannus
Ion tam ad lascessendum bello Adeni Regem,
quàm ad pellendos tota India Lusitanos & O-
rientis regna ad suum imperium adiungenda,
multarum nauium classem instruxit, eique So-
limannum Peloponnesium, Aegypti præsidem
præfecit. Erat is ob enormem & auaritiam &
crudelitatem notissimus, itaque cum ad Ade-
num venisset, missisque ad Regem legatis, com-
meatum, vacuasque in vrbe ædes pro curandis
ægrotis petijsset, Rex vtrimque cum cura præ-
stitit. Simulato itaque morbo, singuli milites
à quatuor valentibus, in hospitium delati sunt,
armis in lectulo sub veste absconditis, cumq;
per eam fallaciam, nihil eiusmodi suspicante
populo, quingenti plus minus in vrbem ad-
missi essent, Solimannus ex composito per sa-
tellites Regem ad naues accersit, ille cum, suæ
dignitatis haud quaquam oblitus, indignabun
dus abnueret, confestim insidiatoribus, qui si-
mulato morbo vrbem ingressi fuerant, quod
iam ante conuenerat, signum à classe datū est.
Hi cum armis extemplo coorti, stupente ad in-
opinatam rem ciuitate, ad regiam properarūt,

Adenum interfecto Rege suo in Turcarum potestatem redigitur.

M com-

comprehensumque Regem ad Solimannum vi pertraxerunt. Ibi superbè interrogatus ab eo, cur tertium iam diem ad se officij causa venire distulisset, cum liberius responderet, quã prędonis aures ferre cõsueuisset, ex ipsius prętoriæ nauis antenna suspensus est, vrbe dein crudelem in modum direpta, impositoq; præsidio firmata & in Ottomanni Turcici Imperatoris potestatem redacta, à quo etiamnũ hodie tenetur.

Bassoræ vrbis descriptio.

Prosequendo littus Arabiæ in Boream, & ad extremum vsque sinus Persici pergendo, cõspicitur vrbs Bassora, quæ cum in potestate Arabum olim fuisset, Turcis hodie subiecta est, Sultano firmissimum semper præsidium non sine magnis sumptibus in ea sustentante, idque Arabum, latrocinia passim exercentium comprimendorum causa, cum negotiationes aromatum exerceat, quæ ex Armusio & alijs locis magna copia eò transferuntur, & vero Arabes latrocinijs obuios quosque infestare soleant, qui lacte & carnibus camelorum alijsque ingratissimis cibis vescuntur, miserrimam semper vitam agentes. Locus hic dactylis, oryza & frumento alio abundat, sed aqua tamen salutari destituitur, quam itinere dimidij diei aliunde afferre coguntur, qui enim ex fluuio vrbem præterlabente bibunt, morbi statim aliquid contrahunt. In causa vero sunt rustici ipsi & agricolę qui fimo humano agros suos stercorare consueuerunt, cum igitur facta inundatione aliqua, ad agros illos aqua statim ascendat, fit plerunque vt de stercorationis materia tantum secum rapiat trahatque, vt non solum a-

qua ipsa in flumine inde deprauetur, sed & aër interdum inficiatur, vnde pediculorum, pulicum, muscarum & aliorum insectorum prouentus ibi est maximus. Non procul ab vrbe hac, duo celeberrima flumina Tigris & Euphrates, in vnum confluunt, iunctimque sinum Persicum ingrediuntur, ad quorum alterum Euphratem nempe habitantes populi, cum per totam æstatem, pluuiam nullam experiantur, agros suos humectandi rationem mirabilem excogitarunt. Rotam enim molendini in medio flumine constituunt, eique circumquaque vtres ex pellibus Tigrium & aliorum animalium consutos appendunt. Hi, dum rota mouetur, haustam ex flumine aquam in aqualiculũ seu vas aliquod appositum effundunt, vnde per canales hinc inde dispositos, in agros postmodo vicinos, rotam istam circumagentibus bobus deriuatur. Cæterum cum solitudines ibi vastissimę sint, vt commodos tabellarios rerúmque quarúmcunque nouarum internuncios habere mercatores non possint, ministerio huic inseruientes columbas habent, quæ arte ad hoc assuefactæ sunt, vt literas hinc inde transportare possint.

Agros rigandi ad Euphratem ratio noua.

Has columbas ex Bassora Babylonij, itemque ex Babylonia Bassorenses in obscuro columbario ad se delatas, loco obscuro continent, ita vt lumen diei aspicere non possint, cumque quid accidit, quod scire socios expetunt, literas ad annulos ex columbarum cruribus dependentes, solidis nexibus applicant, dimittuntque à se columbas

Columbæ tabellariorum vicem obeuntes.

extra vrbem certo aliquo interuallo deportatas, quæ alarum beneficio ad pristinum hospitium vel Bassoram vel Babyloniam breui tempore deferuntur, vbi mercatores postmodum acceptis literis, quæ scire expetunt nullo negotio cognoscunt.

CAPVT XXII.

DE ARMVSIA SINVS PERSICI regno potentissimo.

Armusiæ situs & qualitas.

IAcet in confinio Persici imperij Armusia, regnum valde potens, cuius caput est insula & vrbs eiusdem nominis, ad fretum sinus Persici sita, nouem in ambitu leucas continens, petrosa admodum & sterilis, nullos enim fructus producit, nulla item pascua, quin imò nec aquam dulcem restinguendæ siti suppeditat. Quamuis autem nihil ex se producat, nec quicquam nisi aliunde aduectum habeat, attamen ob insignem loci oportunitatem ad maximam incolarum & negotiantium frequentiam peruenit, estque ibi emporium totius Indiæ, Arabiæ, Persiæ & Turciæ celeberrimum. Ex omnibus enim prouincijs & regnis sibi adiacentibus quascunque merces, vtpote tapetes, telam camelinam, aromata varia, margaritas, varia electuaria, vuas passas, varia dactylorum & nucum genera &c. acquirit, & postmodum ad nationes alias transmittit, maximas inde diuitias & opes colligens. Sunt ibi petræ ex mero sale constantes. Aqua potabilis ex continente affertur, & ad quotidianum vsum in magnis vr-

Armusia insula aquam potabilem non habet.

ceis

ceis siue vasis lapideis asseruatur, quorum in arce sunt, quæ ad sesquiannum, si ita necessitas postulet, aquam promptam præstare possunt. Est præterea genus hominum ibi, quos mergos vocant, hi ad quatuor aut quinque vlnas nauticas siue orgyas subter aquam maris, in fundũ merguntur, & aquam dulcem inde proferunt, quæ purissima & saluberrima, tamque grata palato est, vt fontanæ nulla ex parte cedat. Cęterum qui aqua qualis ibi passim reperitur, vtuntur, morbum inde contrahunt, qui in hac insula, vt & in Guineæ regno epidemicus & popularis est, vermes enim in corporibus eorum tenuissimi & longissimi generantur, qui cum exquisitissimo dolore exitum postea per cutem facientes, filorum tenuissimorum instar, ad passus sæpe duos vel tres & amplius, continuo ductu porriguntur, de quibus quidẽ supra in Guineæ descriptione paulo copiosius dictum est.

Vermiculi inter cutem & carnem hominum nascentes.

Diximus autem superiori capite, inter præsidia & claustra quasi Indicarum negotiationum, Armusiam etiam ab Emmanuele Lusitaniæ Rege positam fuisse, & propterea vt de Adeno, sic de Armusia quoque sibi vel fœdere adiungenda, vel armis occupanda mandatum præfectis suis dedisse. Anno igitur 1505. Alphonsus Albuquercius ab Adeno & Arabicis faucibus, aduersa tempestate repulsus, ad Armusianas res, diuina magis ope quam humanis viribus fretus, animum adiecit. Regnabat Armusiæ eo tempore Zeifadinus quidam, admodum puer, Ismaëlis Sophi, Persarum Regis stipendiarius, eratque in tutela Ataris Eunuchi,

Alphonsus Albuquercius ad expugnandam Armusiam animum adijcit.

eximia sagacitate viri, cuius omnia consilia eò spectare videbantur, vt quoad viueret, penes pupillum diadema & nomen regium, penes se autem arbitrium & potestas rerum omnium esset, iamque per eam tutelam ad intolerandã superbiam opesque peruenerat. Hoc igitur tã impotenti dominatu Albuquercius Regem & populum liberare, & Emmanueli Lusitaniæ Regi conciliare decreuit. Lusitanorum igitur animis in rerum ingentium spem & cogitationem erectis, ad ostia Persici sinus iter capessit, moxque ad Calaiatum, nobilem Armusianæ ditionis vrbem applicans, ciues ad colloquiũ euocauit. Illi repentino metu compulsi, ne quid acerbius paterentur, non modo aduenientem Albuquercium benignè exceperunt, sed conscriptis etiam pacis & amicitiæ conditionibus, abeuntem largo commeatu & omni officij genere prosecuti sunt.

Calaiatum Armusiæ oppidum Lusitanis deditum.

Longè dissimiles ad Curiatum offendit incolarum animos, illi enim & copijs & operibus ita se munierant, vt omnem pacis mentionem superbè respuerent, nuncium ab Albuquercio missum iaculis & sagittis obruentes. Albuquercius igitur ad reprimendam ferociam istam, iuxta oppugnatione vrbem adoriri constituit, moxque ad littus cum robore copiarum exscendens, valida impressione facta, diruto vallo, cancellisque euulsis, intra ipsam vrbem prælium intulit, incolasque per auersam vrbis portam syluas ac nemora petere coegit. Inde ad aliorum terrorem, vrbe direpta & incensa, Mascarum octo leucas à priori oppido distantem vrbem processit. Is locus quo ad

Curiatum Armusiæ oppidum igne deletum.

ad Armusiam propius accesserat, eo tum operibus firmior, tum viris armisque erat instructior, itaque Albuquercius magnam ratus dimicationem instare, se suosque ad prælium parabat. Cæterum misso ad tentandos animos internuncio, Præfectum vrbis inprimis mitem & liberalem, contra quam putarat, expertus est, instituta igitur certis legibus amicitia, acceptoque commeatu, progredi vlterius parauit, cum repentinus armorum strepitus eum iterum retraxit. Arabes enim ab Armusia magno numero venientes, vniuersum repente populum in vrbe ad arma conciuerant. Accensi igitur ira Lusitani, quod interposita pactione per fraudem oppugnati fuissent, ingenti ardore prælium ineuntes, superatis munitionibus, cum intra mœnia confugerent Arabes, ipsi etiam priusquam portas occludere possent, vno velut agmine in vrbem irruperunt, moxque fusis & fugatis Arabibus, subditis ignibus oppidi tecta deformarunt.

Mascatum Armusiæ oppidum igne deletum.

Hinc instaurata & refecta classe ad caput belli Armusiam vẽtum est, ibi Atar Eunuchus, ad famam Lusitanicæ classis, præter vrbanas copias, magna insuper auxilia ex Persia Arabiaque contraxerat. Albuquercius vero tormentorum genere & virtute militum haud dubiè præstabat, cæteris vero rebus longè inferior erat, verũ ad ostentandã animi fiduciã, fulgẽtibus vndequaq; vexillis portũ inuectus, Zeifadino Regi, tutoribusq; eius palã nũciari iussit, si in fidẽ potestatẽq; Emmanuelis Lusi-

Albuquercius ad Armusiam regni sedem applicat, eiusque deditionem fieri expetit.

taniæ Regis venire,& vectigal annuum pẽdere velint,bona cum pace se inde abiturum, sin iugum recusent,ad internecionem vsque secum certandum esse sciant. Atar tam acri denunciatione suspensus, tametsi terrestribus naualibusque abundaret copijs,tamen quo magis ex tuto rem gereret,blandis verbis & callida tergiuersatione rem extraxit, dum expectatæ nouæ sociorum cohortes adessent, quibus proxima nocte in vrbem admissis, Albuquercio respondit;Armuzianos reges non pẽdere aduenis vectigal, sed ab ijs exigere consueuisse, si pari cum cæteris negotiatoribus iure Lusitani esse velint,fore illis agendi contrahendique in eo portu potestatem & copiã, sin vim & iniuriam moliantur,sensuras quantum armati Arabes Persæque seminudis & incõditis Aethiopibus cũ quibus hactenus Lusitanis res fuisset,antecellãt. Plus 20. hominum millia sub signis habebat Eunuchus,iamq; minimè dubius adesse certamen,& multo milite instruxerat clasſẽ,& cohortes plurimas ad terrorem toto littore prætenderat, cum ingenti clamore,concrepantibus buccinis tympanisque pugnæ signum vtrinque datum est.

Albuquercius victoria ad Armusiam potitur. Cæterum Albuquercius victoria potitus, complures naues in potestatem suam redegit, multis vero ignem iniecit,quæ ventis abreptę toti vrbi flammam & perniciem afferre visæ sunt, vt fractus hisce periculis Ataris animus, oratores pacis veniæque petendæ confestim ad Albuquercium mitteret, qui acceptata deditione,de pacis conditionibus postero statim die agere cœpit. *Pax cum Armusianis.* Pax igitur inter eos ita conuenit,

uenit, vt Zeifadinus Armusiæ Rex, in Emmanuelis Lusitaniæ Regis clientelam quam optimo iure concederet, eidemque Emmanueli Serafinorum, qui nummi aurei sunt, quindecim millia tributi nomine in singulos annos penderet. Præterea locum Albuquercio ad arcem ædificandam, ipsius Albuquercij arbitratu assignaret, ædificationemque iuuaret præsenti pecunia, cæmentis & operis, denique dum extrueretur arx, ædes interim in vrbe Lusitanis ad negotiandum idoneas commodaret. Emmanuel vicissim Zeifadinum in fidem ac patrocinium benigne susciperet, & vbi necesse foret, ab hostium incursibus omni ope tueretur. In hæc solenni ritu data fide acceptaque primum omnium locus exædificandæ arci deligitur, ex altera parte in mare, ex altera ad ipsam regiam pertingens, quo simul ad maritima subsidia libero esset aditu, vt ipsa propinquitate Regem regiosque in officio contineret. *quomodo facta.*

Cæterum quæ res Lusitanici imperij firmamentum fore videbatur, ea vel inprimis omnia labefactauit & perdidit. Aedificio enim inchoato, cum Albuquercius nemini parceret, & ipsemet etiam ad animandos cæteros operi manus interdum adhiberet, Lusitanorum paucitas omnibus patuit. Deinde cum arx, quanquam acriter instante Albuquercio, tardius tamen opinione & voluntate classiariorum exsurgeret, ipsi indignari aduersus Albuquercium cœperunt, libellumque singulorum Chirographo subscriptum ad eum detulerunt, discessum & profectionem ex eo loco modis omnibus vrgentes. Hac petitione cum nihil pro- *Lusitani arcem ad Armusiam extruere incipiunt.*

 ficerent.

ficerent, desidia, negligentiaque & improbitate certare adeò cęperunt, vt ad apertam denique seditionem res haud dubia animorum inclinatione spectare videretur. Hæc & alia vt Atar Eunuchus resciuit, dissensione Lusitanorum fretus, iugum excutere, ac bellum reparare sine mora constituit, grauiter seipsum accusans, quod hominibus illis adeò & numero paucis, & voluntate dissentientibus, regnum Regemque præceleri quasi desperatione prodidisset. Admonebatur tempestiuè de hac perfidia Albuquercius, itaque vt intestinæ prius fraudi, deinde & externæ obuiam iret, Nauarchos classiariosque conuocat, quanto in periculo ipsorum culpa res sit, docet, & ne detestabili animorũ obstinatione se omnes eant perditum hortatur. Erat interim nauis actuariæ carina ab Albuquercio in littore posita, in eã Eunuchus ignem primum inijcit, moxque in classem ex vrbe varij generis tela contorquet. Albuquercius igitur cum Regem regiosq; admonendo, vt fœderis & iurisiurandi memores pacta fidemque seruarent, nihil proficeret, admotis ad terram nauibus, vrbem continuis octo diebus pergit quatere, cumque omnia nõ modo ad cibum sed etiam ad potũ necessaria, importari in vrbem oportere non ignoraret. Nauarchis ad opportuna loca dispositis, ne quid cõmeatus ad vrbẽ deferretur prohibere modis omnibus instituit. Itaq; cũ cõmeatus ab vrbe vndiq; arcerẽtur, inopia primũ deinde fame sitiq; vrgeri ciuitas cœpit, quæ mala cũ diutius ferre natura non permitteret, concursus quotidiè in regiã fiebat detestantium bellum, sibi-

Armusiēses à Lusitanis iterum deficiunt.

Albuquercius à suis ad Armusiam deseruur.

ſibique & vxoribus & paruis liberis alimen-
a precibus iratis efflagitantium. Atar interea
umultum ſedare vix poterat, ingens enim re-
um deſperatio populum ceperat, iamq; in eo
es erat, vt Albuquercius vrbem rurſum in po-
eſtatem acciperet, & leges victis denuò impo-
ieret, cum nihil tale merentē, in ipſo articulo
ei ad exitum perducendæ, Nauarchi ferè om-
ies deſtituunt, paſſiſque velis in Indiam reuer
untur. Deſertus igitur à ſuis eo tempore Al-
ouquercius, ipſe quoq; ex littore illo ſoluere
& re infecta abire coactus eſt.

Poſt Albuquercij diſceſſum, & arcē ſcelere Nauarchorū amiſſam, ingens rerū perturbatio Armuſiæ cōſecuta eſt. Primū enim Atar Eunuchus grandi iā ętate deceſſit, deinde Zeifadinū ſuſceptis iā liberis regni potentē, Nardinus vrbis præfectus, mancipiorū quorundam opera, veneno ſuſtulerat, inq; eius locū præteritis filijs, Zeifadini fratrē, nomine Torū, ſuffecerat, eumq; multis ante officijs, ac tū recenti beneficio ſibi deuinctum fidis ſibi miniſtris & ſatellitibus cinxerat. Erant ex miniſtris illis tres germani fratres, Mudofar, Hales, & Hamedes, hi quod Nordinum arcto affinitatis gradu contingerent, præcipuum dignitatis & gratiæ locum obtinebant, ſed inter omnes eminebat Hamedes, vir & manu prōptus, & libidine dominādi, ſolertiaq; in rebus gerendis Atari Eunucho perſimilis. Is callidè conciliando ſibi militum animos, & grauiſſima quæque in ſe vnum trahendo munera, paulatim eo potentiæ viriumque peruenerat, vt iam regnum omne ſuo arbitratu ageret verſaretque, Torus

Armuſia varijs mutationibus expoſita.

vero

vero nuſquam eo inuito commouere ſeſe, ne-
dum maioris momenti quicquam aggredi au-
deret. Iam quod ad Emmanuelē Luſitaniæ Re-
gem attinebat, ei quidem annuum ſtipendium
ex præſcripta ab Albuquercio formula pende-
batur, veruntamē ea erat conditio rerũ, vt Ha-
medes, nullo frenatus præſidio, vbi vellet à Lu-
ſitano Regemque & regnum poſſet abducere,
& Emmanuel precariã quodammodo eius in-
ſulæ ditionem habere videretur.

Albuquercius Armuſianos vt arcē Luſitanis permittant, cogit.

Hiſce igitur rebus probe compertis, Albu-
quercius, Torum ſeruitio ſuorum eximere, &
in fide atque patrocinio Emanuelis Regis om-
nino ſtabilire decreuit. Inſtructa igitur claſſe
Armuziam aduenit, inſulam confeſtim na-
uigijs circumdat, ne quid ſubſidij vel comme-
atus eo ſubuehi poſſet, deinde miſſis vltro ci-
troque nuncijs, de nouis amicitiæ legibus a-
gi cæptum eſt. Summa autem poſtulatorũ Al-
buquercij erat, vt, præter tributum Emanueli
bona fide ſoluendum, arx ac diuerſorium Luſi-
tanis ad vrbem daretur, negotiandi cauſa. To-
rus non abnuebat, ſed ad omnia protinus deſ-
ſcendit, ad Hamedes continuandæ dominatio-
nis auidus, maximè obſtabat, itaque cum ad
ſaniora eum conſilia reuocandi nulla ſpes eſ-
ſet, Albuquercius immiſſis per occaſionē per-
cuſſoribus, eum è medio tolli præcepit, quo fa-
cto cætera omnia expedita fuerunt. In arcem
enim abſoluendam Albuquercius diligenter
incubuit, & ipſe quoque Torus materiam & a-
lia neceſſaria abundè ſubminiſtrauit. Deinde
tormenta omnia, quæ ad rebellandum animos
excitare poſſent Armuſianis adempta, Luſita-
niciquе

niciq́ue regni insignia & vexilla in turribus posita sunt.

Cæterum Persarum Rex Ismaël, non modo sibi de Armusiano tributo bellum cum Lusitanis suscipiendum non putauit, sed etiam admiratione captus rerum, quas à Lusitanis perexigua manu gestas, consentiens fama toto penè terrarum orbe vulgauerat, legatum iungendi fœderis ac societatis ad Albuquercium destinauit. Is vero in gratiam tanti Regis ingéti apparatu ab Albuquercio exceptus iterumq́ue dimissus est honorificentissimè. Albuquercius vero postquã ordinatis ad Armusiá rebus omnibus, Torum hortatus est, vt Emanuelis amicitiam cum fide coleret, certissimumq́ue in eius maiestate præsidium suis fortunis repositum existimaret, Goam iterum cũ nauibus profectus est. *Persarum Rex legatũ ad Lusitanos mittit.*

Anno post natum Christum 1521. cum Torus tributum annuum persoluere differret, Sequeria cum classe eo aduenit, causam dilatæ pensionis cogniturus. Eam vero reperiebat eiusmodi. Baharenum est insula & vrbs in sinu Persico, cum agro fertilis, tum vero margaritarum piscatu prænobilis. Hanc iure beneficiario possidebat quidam Mocrinus Arabs, Regũ Armusiæ tributarius. Hic non modo iugum apertè detrectare, sed prædatorijs etiam nauibus, regiones omnes infestas reddere cœperat, & commeantes Armusiam vndique negotiatores auertere, vnde paucis mensibus Armusianæ rei tantum damni illatum est, vt Regi ad tuendam vix personam suam, nedum ad vectigal et tributum Lusitano soluendũ nummi suppe- *Armusiæ Rex contra rebelles à Lusitanis defenditur.*

ſuppeterent. Has querimonias Torus ad Sequeriam deferens, vrgere acrius inſtitit, vt ſibi aduerſus rebelles auxiliũ ex fœdere præberetur. Statim igitur Antonius Correa bellicæ rei admodum peritus, cum ſeptem nauibus egregie munitis eò dimittitur, cui Torus nauigia ducẽta adiungit, Xarafo ex amicis præfecto, cũ tribus circiter Perſarum & Arabũ millibus. Correa autem in Bahareni conſpectum delata claſſe, habitoque conſilio duobus ſimul locis vrbẽ aggredi, & hinc Armuſianos, inde vero Luſitanos in terram exponere, ad hoſtẽ ancipiti prælio diſtinendum, ſtatuit. Pugnatum igitur eſt primo per horas aliquot fortuna varia, donec Mocrino acerrimè dimicanti, femur plumbea glande traijcitur, inde enim, cum multam ſanguinis copiam funderet, intra tertium diẽ mortuus eſt, barbari vero vt ſemimortuum Regem prælio exceſſiſſe vulgatum eſt, proiectis paſſim armis ſtatim diffugerunt. Sic igitur inſula illa Armuſiæ Regi iterum recuperata, & Præfectus Correa, inſigni parta victoria, compoſitiſque ad Baharenum rebus, Armuſiam reuerſus eſt, vbi Sequeria cum Torum externo malo ac metu leuaſſet, inteſtinis etiam ſuorum fraudibus eripere aggreſſus eſt. cum enim certis autoribus iam ante audiſſet regia vectigalia & rationes à miniſtris & quæſtoribus interuerti, præter Mahometana mancipia, Luſitanos quoque iudices & ſcripturæ magiſtros, magno Arabum dolore, in portu conſtituit, confirmatoque poſtmodum Regis animo, & aucto arcis præſidio ab Armuſia ſoluens, ad ſuos reuerſus eſt. Poſt eius autem diſceſſum, graues iterũ & peri-

periculosi in Armusia motus à Scribis & Quę- *Armusiæ*
toribus excitati sunt, qui Lusitanos custodes *rex à Lusita*
& præsides ad scripturam, (vt dixi) appositos *nis deficere*
ferre nolebant. Xarafus eo tempore plurimũ *conatur.*
Armusiæ poterat. Hoc igitur maximè patrono
ac fautore Mahometani, criminibus varijs Torum Regem in Lusitanos accendere cœperunt, eumque libertatis aliàs auidum eò perduxerunt, vt seruitutis iugum excutere, & regnum Armusianum in pristinam dignitatem omni ratione vindicare decerneret. Reliquerat Sequeria, cum paucis aliquot nauibus ad oram tutandam Emmanuelem Sosam. Hic, disseminato de Balochijs prædonibus loca maritima deuastantibus rumore, ad fugandos piratas illos ab vrbe discesserat. Inde igitur captata occasione, noctẽ Armusiani condixerunt, qua ad Lusitanos vbique delendos vno temporis momento consurgerent. Ea nox vbi aduenit, regiæ classi præpositus, duas in portu residuas Lusitanorum naues, agmine silenti circumuenit, & ignem in alteram coniecit, vnde cum splẽdor emicuisset, cõfestim ex turribus & ex omni vrbis parte, cũ ingẽti armorũ strepitu ad necẽ Lusitanorũ cõuentũ est, qui antequã quicquã prouiderẽt, intra domos partim oppressi, partim cursu protinus arcẽ petẽtes, aut flãmis hausti, aut insidijs armatorũ excepti, diuersoriaq; omnia direpta sunt. Dũ hęc ita peragerẽtur Sosa de Armusianorũ fraude certior factus, ad vrbẽ extẽplo reditũ parat, at Torus Rex domo se proripiens, milites suos conuocat, atque vt pro meritis quisque sibi aut præmium aut ignominiam paratam esse non dubitarent,

menses

mensas in littore collocat duas, in quarum al-tera fulgentes conspiciebantur aurei nummi, in altera muliebres mitellæ ac delicata vela-mina, quo notæ genere apud eos acerbius nul-lum esse consueuit. Equum deinde conscendit, fusteque arrepto promiscuam multitudinem in naues cogit, quarum centum & triginta in occursum Sosæ armauerat. Vt propius ergo ventum est, pugna vehementi exorta, scandere magno impetu nauigia Sosæ, Armusiani cæpe-runt, sed contis partim & ferro detrusi, partim etiam abscissis brachijs interempti sunt. Inte-rea tum ipse maris æstus accedens, tum etiam lenis ex alto flatus vela vtcunque percutiens, onerariam Sosæ nauem per medios Armusia-norum ordines paulatim ad arcem admoue-rat, vnde tormentis submoti Armusiani, tandē cū ingenti luctu & dedecore, se in portum vn-de prodierant, receperunt. Exterritus hac re maiorem in modum Rex, arcem à terra oppu-gnare constituit. Mox igitur continuis aliquot diebus arcis mœnia quatiebantur, Lusitanis multo plus in virtute quam in muro fossisque spei reponentibus, seque tam fortiter defen-dentibus, vt ab oppugnatione recedere Rex tā-dem cogeretur, qui postmodum conscientia admissi facinoris, & aduenietis Lusitanæ clas-sis metu circumactus, consilium formidine & desperatione plenissimum cepit. Queixome insula est, leucas tres ab Armusia distans, eò cū vniuersa ciuitate congestis raptim in naues quæ tolli poterant, ingenti popularium dolo-re commigrans, ædificijs, vrbis, quorum erant complura egregio opere & picturis ornata,

Armusia à Rege suo deseritur & incendio vastatur.

vltro

rito ignem subdidit. Hinc toto quatriduo per-
ragatum incendium, omnia propemodum ab-
sumsit. Lusitani rei nouitate stupentes, primo
flammarum periculum, deinde Armusianorũ
insidias timuerunt, postremo autem vt flammę
quieuerant, satis comperta vrbis solitudine,
ad reliquias fumantis Armusiæ diripiendas e-
gressi, pauculo excepto commeatu, omnia fer-
mè in cineres redacta inuenerunt.

Aderat iam tempus, quo destinatus ad Ar- *Armusia Lu-*
musiam ex Goa præfectus cum nauibus decem *sitanorum*
& firmo præsidio expectabatur, Xarafus igitur *auxilio ite-*
eius rei cogitatione perterritus, ne vulgata *rum restau-*
postmodum consilia rebellionis in suum reci- *ratur.*
derent caput, incautum Regem Torum, per sa-
tellites ad scelus omne paratos è medio sustu-
lit, eiusque loco è Zeifadini, cuius supra men-
tio facta est, liberis Mamudium, tredecim cir-
citer annos natum substituit. Præfectus tetro
spectaculo Armusiæ incensæ commotus, & co-
gnitis illis, quæ nouo Xarafi scelere ad Queix-
omem acciderant, diu fluctuauit animo, vtrum
commeatibus interceptis, (quod erat perfaci-
le) deprehensos omnium rerum inopia & fa-
me subigeret. Tandem ex ijs quę ab explorato-
ribus afferebantur, non sine causa veritus, ne si
afflictos vrgere acrius pergeret, malis coactus
Xarafus, cum regijs opibus, Regeque ipso ad
loca vlteriora secederet, leniter agere, & osten *Pax inter*
tanda veniæ spe, rebelles ad pacem & concor- *Armusianos*
diam allicere statuit. Neque vero difficilem *& Lusita-*
res hęc exitum habuit, Lusitanis quippe empo- *nos quibus*
rij quæstuosi, Armusianis vero patrij soli desi- *conditioni-*
derio laborantibus. Pax ergo in has fermè le- *bus facta.*

ges conuenit, vti Mamudius cum ſuis Armuſiam iterum rediret, debitum ad eam diem tributum, & ex ea die in ſingulos annos vicena Seraphinum millia Emanueli Luſitaniæ Regi perſolueret. Ciues ablata inter tumultum Luſitanis bona captiuoſque omnes cum fide redderent, Luſitani autem neque iuri inter oppidanos dicundo, neque adminiſtrandis vectigalibus, exigendiſve portorijs vlla ex parte ſeſe inpoſterum immiſcerent. Vtrique vero amicitiam & ſocietatem ſincerè & ex animo colerent. Hunc in modum compoſitis rebus, Armuſiani in patriam læti redierunt, inſtauratiſque ædificijs & reſtituto cõmercio propter eximiam loci opportunitatem Armuſia breui in veterem celebritatem reſtituta eſt.

Reges Armuſiani quomodo eligãtur.

Cæterum ex eo tempore Rex Inſulæ, extra vrbem hodie reſidet, Luſitanis vrbem tenentibus. In eligendis autem Regibus hunc ſeruant modum. Principio Rege aliquo defuncto, alius, regio ſanguine & ſtemmate prognatus, nõ tamen abſque Præfecti Luſitanici conſenſu, eligitur, idque adhibitis varijs ceremonijs. Poſtmodo electus fidem & obedientiam Regi Portugalliæ promittere cogitur, quo facto, exhibet ei Præfectus nomine Regis ſui ſceptrũ & diadema regium, eumque magna ſolennitate in arcem Regiam deducit. Reges hi vitam honeſtam & ſatis ſplendidam agunt, reditus enim copioſos habẽt, & nulla prorſus grauamina experiuntur, præterquã quod tributũ Regi Luſitaniæ perſoluant, quam ob cauſam Præfectus quidẽ Luſitanicus in ciuitate illa reſidẽs eos tueri & iuriſdictionẽ eorũ cõſeruare cogitur.

gitur. Vsu receptũ apud illos est, vt in Regẽ ele ctus, oẽs suos fratres & cõsanguineos excæcet, & quoad vixerint postmodo cæcos sustẽtet, vt securius & trãquillius regnũ suũ possidere possit, præcisa alijs regnandi facultate, cũ statuto apud eos cautũ sit, ne quis cæcus, Rex ipsorum esset. Hinc cũ subiectũ sibi regnũ hoc Lusitani reddidissent, viri fermè triginta, regia stirpe prognati in vrbe inuẽti sunt, qui oẽs candenti ferro excæcati, regio ibi sumptu alebãtur, quos Albuquercius quidẽ, ne quid eorũ causa tumultus in regno existeret, Goã amãdauit, dato Quęstoribus & Præfecto Lusitanico eo negotio, vt cũcta illis ad victũ cultũq; pertinentia liberaliter, Emanuelis Regis impensa præberi curarent.

Rex electus fratres & consanguineos omnes excæcare solet.

Est autem præfectura Armusiẽsis post Soffalam & Mosambicã, omniũ per totã Indiã ditissima, cuius reditus, excepto tributo regio, Pręfecto & ministris eius cedũt. habẽt. n. naues quas cum varijs mercibus ad vicina regna mittant, nec vlli licitum est, merces vel distrahere vel coëmere & naues suas onerare, priusquã Præfectus nauem suam in nauigationem expedierit, quod quidem nõ ex peculiari Regis indulto faciunt, sed potestatem illam, ipsimet sibi sumpserunt, Rege longius inde remoto, quàm vt incommodo huic remedium adhibere possit. Priuilegium autem Præfecto à Rege concessum est, vt præter ipsum, aut cui ipse potestatẽ illã dederit, equos in Indiam mittere, nemo possit, quod quidẽ magno Præfecti emolumẽto fieri vel inde colligere quis facile potest

Armusiensis præfectura admodũ diues.

quod paulo generosiores equi tanti in Indi
interdum vendantur, vt precium vnius equi a
mille Pardauos sæpe, quorum singuli nostra
tes monetæ Ioachimicum faciunt, ascenda
vnde opes quidem colligere Præfectus Armu
siensis maximas potest.

CAP. XXIII.

DE INFERIORI INDIA, MAXIME vero Cambaia & prouincijs eius.

Indiæ orientalis diuisio generalis.

DIximus supra secundo capite, Indiam o
rientalem in duas partes commodè diu
di posse, in Indiam nempe intra Gangem, & i
Indiam extra Gangem. Illa iterum duplex es
inferior & superior. Inferior, quæ longo a

Indiæ inferioris diuisio & regna præcipua.

modum tractu ad meridiem in oceanū peni
sulæ instar percurrit, inter duos fluuios Indu
& Chacerim, duosque ingentes maris sinu
Cambaiæ, qui Guzerat vocatur, & Bengal
clauditur. Hanc Gates mons, qui sane in cauc
so exoriens, longo 400. circiter leucarum it
nere, ad Comorini caput porrigitur, in du
quasi partes diuidit, quarum altera pars occ
dentalem oram obtinet, quæ quatuor insign
prouincias, Cambaiam, Decaniam, Canarian
& Malabarem, in quibus quidem singulis pr
stantes aliquot vrbes sunt, proprios regulos
gnoscentes, complectitur: altera vero pars i
xta orientalem oram sinus Bengalæ exposi
est tria præcipua regna, Narsingæ videlicet C
rixæ & Bengalæ cum particularibus aliqu
locis alijs, continens. In mediterraneis aute
lo

locis plura regna sunt. Nam reperiuntur qui referant in tota hac inferiore India, quadraginta septem regna cóntineri, quorum maiorem quidem partem, Mogores Tartari occupant. Horum enim Rex qui Magnus Magor appellatur, possidet nunc præcipua regna, Cambaiæ, Dellys, Citoris, Mandai, Bengalæ & alia, sedemque suam in Dellus habet, cuius tanta potentia est, vt ad bellum trecenta equitum millia, & quinquaginta millia Elephantum præter innumeram peditum copiam, mittere possit. Nullas tamen vires maritimas habet, licet duabus partibus ad mare eius regnum extendatur, nam in sinu quidem Cambaiæ à Lusitanis impeditur, qui vniuersum illum tractũ strenuè tuentur, in sinu vero Bengalæ portibus & tutis nauium stationibus plane destituitur.

Mogores Tartari Indiam inferiorem maxima parte possident.

Cambaiæ igitur regnum aliàs Guzarat dictum, iuxta oram maritimam ad quingentas ferè leucas extenditur, habetque ab ortu Maidoam, ab occidente Nauracos seu Gedrosios, à septentrione Sangæ & Dulcindæ regna, à meridie vero oceanum, regnique Decani fines. Est itaque regnum hoc amplissimum, vrbium & oppidorum, pagorumque refertissimum, habitatoribusque numerosissimum. Fluuijs autem multis irriguum est, quorum præcipuus Indus censetur, qui regionem ipsam mediam interluit. Is autem à Caucaso monte vulgo Naugrocot dicto, exoritur, & longo cursu octingentarum & amplius leucarum, in oceanum duobus magnis ostijs nauigabilibus erumpit. Ager re frumentaria, oryza, cera, saccharo ac thure,

Cambaiani regni fines & commoditas.

Indus fluuius vnde oriatur.

N 3 fructi-

fructibus item & aromatibus varijs abundat: gossypij vero & serici tantam profert copiam vt sępè quadrigenæ, aut quinquagenæ naues illis onerentur. Sunt præterea equi & Elephantes ibi magna copia, & ex montibus pretiosi lapides veluti onyx, adamas, chalcedonius, hyacinthus, amethystus, Chrysolithus & alij eruuntur. Est & Pharmacopolis sua ibi commoditas. Habetur enim opium, camphora, sanguis Draconis, Sandalum & alia. Peculiaris autem huic loco est color Indicus qui Anil & Indigo vocatur, & nullibi præterquam in hoc regno crescit. Herba roris marini ferè facie est, quæ vt aliæ, suo tempore seritur, plantatur, euellitur, siccatur, siccata humectatur iterum, tunditurq; & certo quodam artificio præparata denuo siccatur. Primo autem viridem colorē habet, deinde vero cæruleum, quo apud nos visitur, adsciscit, estque in tanto apud Indos & Lusitanos pretio, vt valore suo multis in locis caryophyllum excedat. Conficitur præterea ibidem tela omnis generis bombycina, quæ tam pulchrè texitur, vt fila non dignoscantur, & vel Belgarum lanificium longe superet. Sed & tapetes, varietate texturæ Scotorum linteaminibus non absimiles, cistulis splendidè integendis accommodati ibi parantur, itemque fasciæ extensæ per lectulorum Indicorum fulcra, quibus subtensis lectuli insternuntur, miro artificio in hoc regno conficiuntur, vnde fit vt frequens ibi sit negotiatio, Indis, Lusitanis, Persis, Arabibus & alijs magno eo numero cōfluentibus.

Indigo color pretiosissimus in Cambaia prouenies.

Rex

Rex Cambaiæ idola olim colebat, antequã Maurorum fidem recepiſſet, iam vero Mahometis traditiones obſeruat, idque tanto cum feruore, vt omnes diuerſum ſentientes immani odio perſequatur, vnde cum aliquando, cõprehenſa quadam naui Luſitanica, Chriſtiani aliquot ad eum captiui perducerentur, ille Didacum Meſquitam, ex eo numero apprimè generoſum ac ſtrenuum virum, à Chriſto ad Mahometem allicere blanda oratione conatus eſt, cum vero Didacus id fortiter negaret, in os hiantis tormenti eum inſeruit, cum grauibus minis, ni extemplo pareret, ignem ſe à tergo applicaturum, reliquos vero varijs tormentis excruciatos in aſperum denique ergaſtulum coniecit. Tanta autem eius prædicatur potentia ac opulentia, vt aliquando exercitum contra Mogores maximum parauerit, in quo centum & quinquaginta millia equitum numerabantur, peditatus vero ex quingentis millibus conſtabat, tormenta maiora ænea mille ferè ducebantur, inter quæ quatuor baſiliſci tantæ magnitudinis erant, vt centena boum iuga ſingulos protraherent, præterea ducentos ſecũ ducebat Elephantes & quingenta dolia auro argentoque ſignato plena ad ſtipendia militibus perſoluenda, ſubditi enim eius, mercaturæ ſuam ferè operam omnes impendunt, & bello inutiles ſunt, vnde externo milite Regem vti neceſſe eſt. Incolæ regni huius indigenæ, colore ſunt oliuaſtro & nudi incedunt, pudenda tenui linteolo obnubentes, caput integumento obuelant purpurei coloris, præſtantiores vero tunica plerunq; interiore vtũtur.

Regis Cambaiani ſuperſtitio & potentia.

Qui Mahometis legem non sequuntur, vt plurimum Pythagorici sunt, & carnes nullas in cibum assumunt, oryza solùm, lacteque & alijs inanimatis rebus sese sustentantes.

Cambaiani regni ciuitates & oppida præcipua. Celebriora ac præcipua huius regni loca maritima sunt Damanum, Bandora, Rainelum, Bazainum, & Dium, in insula non longè ab Indi ostijs iacente, oppidum munitissimum. In mediterraneis vero locis sunt Madaba; Cambaia, quæ toti regno nomen dedit, & maximè culta, omniumque Indiæ vrbi præstantissima est, vnde etiam Cayrum Indiæ vocatur: Campanella, sedes regia, in vertice montis sita, ac septemplici muro cincta, & aliæ. Verumenimvero oppida illa maritima à Lusitanis diuerso tempore oppugnata partim, partim etiam vastata & diruta fuerunt.

Damanum à Lusitanis superatum & euersum. Nam quod Damanum primum attinet, ad id Alphonsus Sosa, classem 35. nauium duxit. Carebat autem tum mœnibus oppidum, atque ob id ipsum oppidani cognito classis aduentu diffugerant, sed firmi operis arcem Turcæ quingenti fermè numero tuebantur, qui vrbis aditũ à portu, tumultuarijs munitionibus crebrisque tormentis obsepserant. Sosa igitur in conspectum hostium delatus, leui primum nauigio ad contemplandam loci naturam & opera circumuectus est, mox vitato portu, nocte intempesta in asperum littus non sine periculo repentè descendit, ac partim scalis ad muros appositis, partim dum pauidi quidam elabuntur, portis raptim occupatis in arcem irrupit. Intra mœnia postmodum cum Turcis, intercluso exitu acriter dimicatum est, ac paucis exce-

exceptis,ad vnum omnes interfecti sunt, quo facto arx triduo diruta, & solo, vt vix vestigiũ extaret,æquata est.

Eodem tempore Iacobus Sylueria Bandoram oppidum,opere magnifico & valido præsidio munitum, vi cepit & diruit,multos prę terea Cambaiæ oræ vicos euertit,clausisq; vndique maritimis commeatibus Diensi portorio & annonæ ingens detrimentum intulit. *Bandora expugnata & euersa.*

Anno 1532. Antonius Sylueria cùm ingenti classe ad Rainelum aduenit. Oppidum illud ędificijs è polito lapide & multiplici contignatione frequens,non modo propter soli vbertatem,sed etiam propter opulenta Sinatũ commercia,omnibus ea tempestate diuitijs affluebat,& egregiam bello iuuentutem suppeditabat,præcipuum vero robur in equitatu constabat. At Sylueria huc delatus, Surratum primo oppidum,metu ab incolis desertum incendit. Rainelani igitur tum agrestium fuga,tum fumantibus tectis admoniti, quod mœnibus carerent,ad amnis ripam atque omnes viarum aditus,excitatis raptim munitionibus maiora ei tormenta & stationes militum opposuerũt. Inde in Lusitanos cum ingenti clamore ac tubarum sonitu appropinquantes, horrifica vis telorum emissa,quæ tamen propter nauigiorũ humilitatem nemini nocuit. Prodierant simul ad prohibendos descensione Lusitanos, quadringenti plus minus equites. At Sylueria sclopetariorum cohorte præmissa, territos facili negotio intra oppidum repulit. Tum egressi in terram cæteri,ad ipsa tormenta succedunt, ac pede collato,ardentibus animis pugnam ine- *Rainelum Cambaiæ regni oppidũ igne deletũ.*

unt, factaque valida impressione intra munitiones irrumpunt. Non poterat amplius sustineri impetus, itaque pulsi è statione sua barbari fugam capessunt, Sylueria vero profligato hoste, custodijsq; contra subitos eorum incursus dispositis, diripiendi oppidi signum dat, in omnes partes extemplo discurritur, nitidissima supellex, & præter pecunias, eboris nobiliũque vasorum & varij generis pretiosæ mercis multum admodum egestum est. Hoc facto, cæteris opibus tectisque inijci flammas, & hostilia tormenta ænea, in medium fluminis alueũ proijci iussit, ignisque omnia vt ne vestigium quidem extaret amplius, absumpsit.

Bazainum à Lusitanis expugnatũ & subuersum.

Circa annum Christi 1534. Bazaini excidiũ apud se voluentes, Lusitani præmisso cũ expeditis nauigijs Emmanuele Albuquercio, ad portus introitum occupandum, ipsi cum vniuersa classe subsecuti sunt. Agebat tũ Bazaini, Melicus Tocan dynasta Diensis, magno equitũ peditumque numero ad famam classis Lusitanæ contracto. Munitionis autẽ ratio erat huiusmodi. arcem idoneo loco ædificatam habebant, præterea ad Euripi fauces, qua descensuros putabant Lusitanos, propugnaculum excitarant, inde perpetuam fossam immisso mari, itemq; aggerẽ cũ crebris turribus, magna tormentorum vi imposita ad oppidum vsq; perduxerant, vt arx quidem oppugnari, nisi eo munimento superato non posset. Lusitani autem duce trãsfuga, locorũ perito, paulo supra propugnaculũ illud copias exposuerũt, ad oppidũ recta contẽdentes, spiculis globisq; barbarorũ neglectis omnibus. Ad extremas autẽ muniti-

ones

ones cũ decẽ & amplius armatorum millibus Tocan se ostẽdit, verũ inuehẽtes se magno impetu Lusitanos, gladijsq; & hastis aduersa ora & pectora fodientes, diu ferre non poterat, itaque transmisso per pontem Euripo, ad proximos montes celeri fuga se recepit. Non erat maior in arce existentibus ad sustinendam oppugnationem animus, eminus enim conspicati & abeuntes suos, & aduentãtes Lusitanos, extemplo sese per auersam arcis portam omnes eiecerunt, traiectoq; pariter Euripo Tocanis vestigijs institerunt. Hac igitur ratione arx oppidumque minore quam timebatur certamine in Lusitanorũ potestatẽ peruenit, quo facto, quicquid erat fertile in agris, ferro igniq; corruptũ, vallum prorutum, & arx ipsa, quod ad eam tuendam copiæ non suppeterent, à fundamentis excisa est. Cæterum cum Lusitani minimè quiescerent, & vero Badurio Cambaię Regi, grauia eo ipso tempore ex alijs locis imminerent bella, ne dum bellis illis incumberet, Lusitani sibi interim à tergo instarent, oratorem ad Lusitanos pacem petitum ablegauit, scriptisque & obsignatis conditionibus, Ioanni Lusitaniæ Regi hoc ipsum oppidum Bazainum vicinasque insulas, & partem insuper continentis attribuit. Interfecto autem postmodum in pugna quadam Badurio, cũ Cãbaiæ proceres Mamudiũ puerũ, eius sorore genitũ, Regẽ fecissent, inquietus adolescẽs, ad recuperãdũ à Lusitanis Bazainũ vicinasq; insulas, præfectos cũ modico exercitu misit. Verũenimuero cum Rodericus Laurẽtius Tavora, Bazaini pfectus, prospero ferè sẽper euẽtu cũ illis

Bazainum Lusitaniæ Regi a Rege Cambaiæ attributum.

illis pugnaret, Guzarates ad extremum fessi bellicis incommodis, vltrò pacem à Laurentio petierunt.

Dium insula & ciuitas à Lusitanis quare expetatur.

Dium insula & ciuitas est, à Sindo fluuio 70. leucas distans, portum habet celeberrimũ & negotiantium frequentia admodum insignem, vnde fit vt quouis tempore nationes ibi peregrinas inuenias, qui omnium rerum abundantia locum hunc longè beatissimum faciant. Ad hanc vrbem, quod magnas haberet opportunitates, & furtiuis Aegyptiorum Saracenorumque nauigationibus tutum præberet receptum, Lusitano præsidio locum aliquem obtineri ad arcendos hostes magnopere Lusitaniæ Rex Emmanuel expetebat, itaque Præfecto suo, Didaco Lupio Sequeriæ mandarat in primis, vt Cambaiani Regis, & Diensis dynastæ voluntate, si fieri posset, sin minus, vi atque armis aream aliquam pro arce ad Dium ædificanda, occuparet. Imperabat eo tempore huic

Iazij dynastæ Diensis fortuna.

insulæ Iazius quidam, natione Sarmata, quem olim finitimi Turcæ, prædam è Christianorũ agris agentes, à nutricis vbere auulsum, vna cũ alijs infantibus puerisque in seruitutem abduxerant. Mahometanis deinde sacris initiatus, vt erat lacertoso corpore ac viuido inprimis ingenio, ad summã sagittandi sciẽtiam quotidiana exercitatione peruenerat, ac per man⁹, vt fit, alijs alijsque deuenditus Dominis, in regnum denique Cambaiæ delatus, Regique pro amicitia à mercatoribus dono datus fuerat. Apud hunc cum sagittariæ artis egregium specimen præbuisset, non vulgarem gratiæ locũ breui tempore nactus est, ita vt libertate donatus.

natus in prætorianorum ordines cum largo stipendio primum adſcriberetur, & tandem vicum hunc maritimum & insulam Dium, iure beneficiario acciperet, quam ipſe poſtmodum, veſtigijs tantum dirutæ quondam vrbis nobilem, tectis vero & incolis valde infrequẽtem, tum loci opportunitate, dum vigilantia ſolertiaque pelliciendis vndique mercatoribus, ad inſignem celebritatẽ perduxerat, mœnibuſque circumdatam mirum in modum firmarat.

Lusitani arcem ad Diũ extruere frustra expetunt.

Iam cum Sequeria locum arci exſtruendæ commodum ſibi aſſignari peteret, Cambaianus quidem Rex haud multum ab ea ſocietatis conditione abhorrebat, Iazius vero ſumma vi cum apud Regem, tum apud alios ſatrapas nitebatur, ne Luſitanis in eiuſmodi poſſeſſionem pateret introitus, ſimulque quantum ex tuto & occulto poterat, damni præternauigantibus inferebat, miro inter hæc artificio eximiam quandam erga Luſitanos obſeruantiam & beneuolentiam ſimulans. Sequeria igitur cum ab Armuſia rediens ad inſulam hanc applicuiſſet, bona cum pace in ſpeciem acceptus eſt, nec modo commeatus in claſſem benignè præbiti, verum etiam ipſe & nauarchi donis egregiè culti ſunt. Cæterum de poteſtate ædificandi appellatus Iazius, ſui arbitrij non eſſe reſpondit, legatos neceſſariò in regiam mittendos affirmans, quo facto, ſperare ſe omnino, facile id à Rege impetratum iri. Blandis ille quidem promiſſis & ſingulari comitate rem extrahebat, at Luſitani fraudem ſentientes, vt verbis effici nihil poſſe viderunt, ad vim atque

arma

arma animum adiecerunt. Verumenimuero *ista* fuit Iazij in agendo lenitas, tantaq; in ostentandis viribus & omnium rerum apparatu solertia, vt Sequeria rem istam in discrimen nō adducendam ratus, sine mora inde tum recessferit, alio tempore cum maioribus copijs reuersurus.

Betele insula à Lusitanis expugnata.

Ab illo tempore Lusitani expeditionem Diensem semper coquentes, homines tandem aliquos magnis præmijs inuitatos, mercatorū specie Dium præmiserūt, qui cuncta probe cognoscerent, ad pacem quauis conditione cum Lusitanis faciendam Dienses impellerent, & appropinquantibus tandem Lusitanis clam ex vrbe omnia renunciarent. Deinde Nonnius Acunia, satis prouisis omnibus quæ ad rem pertinebant, ad Damanum oræ Cambaicæ oppidum cum classe, & inde ad Betelem processit: Insula hæc est exigua, angusto admodum freto à continenti disiuncta, difficili accessu, vndiquaque ferè præruptis haud modicæ altitudinis rupibus circumdata. Miserat paulo ante ad hunc locum, qui octo non amplius leucarum traiectu, peropportunè in Dium imminet, Cābaiæ Rex, quendam è suis præfectis, cum duobus millibus armatorum, addito mandato, vt circumdato muro inexpugnabilem insulam redderet. Verum milites isti, repentino classis, antequam munitiones perfectæ essent, aduentu perterriti, de insula & arce honestis conditionibus tradenda consenserunt; & Præfectus quidem ipse, quo plus autoritatis legationi inesset, accepta fide ab arce egressus, petijt, vti sibi cæterisque insula excedere, suaque secum expor-

exportare liceret. At Nonnius, ipsi quidem id petenti dare se dixit, cum reliquis vero, nisi omnia relinquerent, vllam pacis conditionem esse negauit. Hoc tam triste responsum in arcem relatum, mistam desperatione iram in militum animis accendit. Quæstor igitur regius conferta ex obuijs trabibus rate, pecuniam regiam noctis beneficio in continentem auexit, cæteri fero & infando consilio, vxores & liberos, quæque habebant charissima in vnum congesta cumulum, ea ipsa nocte succendunt, & ad mortem fortiter oppetendam conjurant, Lusitanos statim vario telorum genere superne lacessentes, qui non expectato (vti decreuerant) solis ortu à quatuor simul partibus arcem expugnarunt, præfecto eius militibusque ferè omnibus trucidatis.

Mora hæc quam ad Betelem Nonnius trahebat, saluti Diensibus erat, insperato enim duorum millium armatorũ subsidio accepto, mox cum pretiosioribus rebus puerorum atq; mulierum turbam ciuitate Dynasta emisit, reliquos vero oppidanos recensuit, vbi inuenti qui arma ferre possent, præter nouos auxiliares, vndecim ferè millia. Tum stationes ad portus, in muris vero tormenta vigiliæq; disposite, & sub præcipuas vrbis plateas acti atq; sulphureo puluere completi cuniculi, quibus si in vrbem irrupissent Lusitani, in extremã eorũ perniciem ignis applicaretur. Nõ poterant qui in vrbe exploratores erant, vel ipsi ad Nõnium excurrere, vel nuncium aut literas mittere, quippe custodibus ad exitus

Dium à Lusitanis frustra oppugnatum.

viarum

viarum omnes appofitis. Ignarus igitur omnium quæ in vrbe fiebant, ad incertum euentum à Betele Dium ire conftituit, ratus haud dubiè ad confpectum tantæ claffis, motum aliquem in vrbe futurum. Vbi eo peruentum, vixdum in mari iecerat anchoras, Nonius paratus per colloquia tentare incolarum animos, cum ex omnibus repente propugnaculis vis ingens pilarum in claffem emiffa eft. Magna inde in Lufitanorum animis confternatio facta, omnifq; fpes non voluntariæ deditionis modo, fed etiã pacis abfciffa eft. Claffe igitur extra ictum fubducta, cum fpeculatorijs nauigijs emiffi funt aliqui, qui è proximo quoad liceret luftrata oculis vrbe, certi aliquid referrent. Hi abrafo ad iacula vitanda littore, fenfim progreffi, ingentem & in muris hominum frequentiam, & in portu nauium multitudinem, omniaque telis & tormentis, micantibufque cum ingenti fono flammis horrentia viderunt. Cognitis igitur hifce rebus, Nonnius cum in vnam rem naualem intentus, terreftris pugnæ machinas & inftrumenta fecum non haberet, ne ad procellas ac tempeftates expofitam in mari claffem teneret, fimulque milites maximo cum detrimento denfiffimis hoftium globis obijceret, fublatis anchoris frendens gemenfque irrito conatu ad Betelem redijt.

Lufitani ad Dium arcem extruunt.

Diximus fupra Badurium, Cambaiæ Regem cum graui fibi ex alijs partibus bella imminere videret, facta cum Lufitanis pace Bazainum & vicinas infulas ipfis attribuiffe. Eadem ratione cum ad Docerem vrbem femel, iterumq; ad Mandoum ab hoftibus profligatus caftrifque

que exutus esset, & vero, ne serum afflictis
ebus suis, à Solimanno Turcarum Impera-
ore, ad quem oratores hoc nomine miserat,
emedium adhiberetur, metueret, fracta demũ
uperbia sua, Martinum Alphonsum Sosam, &
Nonnium Acuniam per legatos & literas ad
e inuitauit, iisque, modo partem capesserent
elli, potestatem arcis ad Dium ædificandæ,
quod frustra aliquoties omni arte quęsierant)
ltrò detulit. Hisce nuncijs allatis, à neutro in
am præclara occasione cessatum est, sed instrũ
ta statim classe Diũ vterque contenderũt. Ibi
ouis vtrinque fœderis & amicitiæ legibus in
ublicas tabulas relatis, designati sunt com-
nuni consensu fines arcis in extremo insulæ
romontorio, qui locus in ipsum portus intro
um imminet, vt claustra maris haud dubiè
usitani tenerent. Dimensa igitur ad arcem a-
ea, confestim ad structuram manus admotæ
unt, non fabris tantum & ministris nauticis,
ed ipsis etiam militibus & præfectis enixè rē
diuuantibus. Iactis fundamentis, ab aperto
nari ad interiorem tumulum è regione oppi-
i, murus ductus est, pedum septendecim cras-
tudine, altitudine vero viginti. In eo tumulo
otunda ante omnia turris erecta est, Tho-
næa, quod eius Apostoli festo initium sumpse-
at, appellata. Inde rursus ad alterum insulæ
narginem continuata mœnia sunt, & qua ru-
es abscissę portum attingunt, turris altera ex-
ructa est, cui à Diuo Iacobo Lusitanorum prę-
de, nomen inditum. Muris fossa circumdatâ
uoad cautes & præcipitia tulerunt. Inter du-
s autem turres, medio fermè loco, portã cum

lorica in vrbem aperuerunt, intra mœnia fa cellum, & præfecto præsidij, militibusq; tect militari modo excitarunt. Ad hunc modum arx in præsentia ab vrbe duntaxat intersept est, laterum munitione, quod ea mari alluebã tur, in aliud tempus reiecta.

Cambaiæ Rex arcem Diensem Lusitanis eripere frustra conatur.

Cæterum licet à Mamudio, qui (vt supra di ctum) defuncto Badurio in Cambaiani regn administratione successit, haud raro oppugna ta postmodum fuerit, tamen cum ad prædict ædificationem, quæ facta est anno 1535. ingen tes postmodum munitiones accesserint, con tra omnes eius machinationes salua perstitit Lusitanis eam non solum strenuè defendenti bus, sed inexpugnabilem etiam quasi redden tibus, & vrbem denique ipsam cum tota insu la subijcientibus. Hinc igitur propugnaculo omnium quotquot Lusitani per totam Indiam possident, fortissimo gaudet, nam & scopulo eleuato impositum & duplici circumquaque vallo cinctum est, vt insuperabile & inui ctum habeatur. Sub ingressum eius tormen tum constitutum cernitur, tantæ capacitatis, vt sedere in eo quis erectus possit. Canalis siue transitus nauium inter propugnaculum & cõ tinentem est, vt ita nauis transire absque Lusi tanorum permissu nulla possit, cum præsertim tormentis suis ex propugnaculo ad continen tem vsque pertingere facillimè possint. In lit tore maris portus est gradibus aliquot, 50. pas sus longis ornatus, quorum beneficio merces eleuantur & demittuntur. Collocatæ autem sunt in portu illo duæ columnæ, quarum quæ

Diensis ciuitatis & portus descriptio.

in dextro

in dextro latere cernitur, insignia Regis Portugalliæ, altera vero in sinistro, tres sagittas in formam scintillantis stellæ dispositas exhibent, de vectigali Lusitaniæ Regi soluendo monentes.

Ciuitas ipsa satis pulchra est, multis tabernis mercatoris, pro omnis generis mercibus, & aliquot templis elegantibus conspicua, à Lusitanis muro vndique cincta firmissimo, qui ab vtraque portus extremitate terminatur. Reperiuntur autem inter incolas eius ciuitatis mulieres quædam Aethiopicæ, superstitionibus ethnicis etiamnum deditæ. Hæ dentibus atro colore inficiendis admodum student, quo enim nigrioribus cernuntur dentibus, eo amabiliores & viris suis chariores habentur, vnde etiam vt dentes obuiantium oculis eo meliuspateant, diductis semper labijs incedunt.

Amabilitas ex dentium nigredine.

Gentiles isti populi, defunctorum suorum corpora igne cremare, cineresque inde collectos in quatuor elementa distribuere solét, ea ratione, quid cum homo ex quatuor elemẽtis cõstet, æquũ sit, vt eo defũcto, quodlibet elementũ quod suũ est recipiat. per vniuersum autem Cambaiæ regnum moris est, vt vxores, maritis suis defunctis, preciosissimas quasque vestes induant, gemmisque & margaritis sese nimirum in modum exornent. Quando igitur corpora defunctorum rogo imposita iam cremantur, ipsæ ad ignem accedunt, vestitum ornatumque exuunt, atque inter adstantes amicas variè distribuunt, postmodo canentes &

Defunctorũ cineres in 4. elementa distribuuntur.

Vxores viuæ cum defunctis maritis suis cremantur.

tripudiantes in rogum se conijciunt; vt vnà cum corporibus maritorum suorum comburantur, tam sanctè hoc ipsum obseruantes, vt si qua mulier id facere negligat, pro impudica & in virum suum perfida vulgo habeatur.

CAPVT XXIV.

DE DECANI REGNO, VRBIVMQVE IN eo præstantissimarum Ciauli & Goæ ad Lusitanos translatione.

Decani regnum in duos principatus diuisum.

DEcanum potentissimum regnum est ad 250. leucas iuxta oram maritimam excurrens, iacetque inter fluuium Aligam, & alium, cui Bate nomen est. Proprium olim agnouit Regem Mahometis sectæ addictum, verum is dum delicijs nimis indulgeret, à Præfectis regni in custodiam inclusus, & à duobus militum ductoribus regno plane exutus perijt, vnde in duos principatus regnum diuisum est. Alter igitur horum principum Nizamalucus vocatur, qui in pulcherrima & amœnissima vrbe Danager moratur, solusque in vniuersa India Persarum sectam profitetur. Huic cõfines sunt Canoræ & Narsingæ regiones. Alter huius regni princeps Idalcan est, qui in vrbe Visapore sedem suam tenet, & ad Cambaiæ atque Orixę regna terminos suos extendit. Præcipua regni totius vrbs Decan est, quæ toti regioni nomẽ dedit. Ab hac vrbe sex leucarũ itinere, mõs quidã abest, muro & præsidio firmissimo munitus, ex quo adamas gẽma preciosissima eruitur. Huius ciuitatis incolæ interula ex

Adamas ex monte probe munito eruitur.

serico

ſerico elegantiore induti incedunt. Sunt præterea in hoc regno etiam Ciaulum & Goa duæ præſtantiſſimæ ciuitates, quarum illa quidem ab Nizamaluci, hæc vero ad Idalcanis ditionē pertinent, hodie vero à Luſitanis vtraque tenetur.

Nizamalucus Decani princeps Luſitanis tributarius efficitur.

Iam quod ad Nizamalucum attinet, licet is ob diuerſitatem religionis, Chriſtianos odiſſet, quæſtus tamen & commercij cauſa, maritimorũ oppidorũ præſidibus mãdauerat, vt cũ aduenis Luſitanis amicè ac liberaliter agerēt, ſed tributum tamen & vectigal annuum ipſis ſoluere conſtantiſſimè denegauit, donec inſignis ad Dium pugnæ & victoriæ Luſitanicæ fama perterritus, ad perſoluendum Regi Emanueli tributum annuum nullo negotio perductus eſt anno 1508.

Ciauli ciuitatis celeberrimæ deſcriptio.

Pertinet ad Nizamaluci ditionem Ciaulũ ciuitas, quæ in patenti campo ſita, pannorum ſericorum, variorum aromatum, aliarumque mercium emporium celebre admodum varijs nationibus exhibet, & portum firmiſſimo muro concluſum habet, vt naues ex China, Malacca & alijs locis frequenter eò confluentes, ſtationem tutiſſimam obtineant. Medio inter Dium & hanc vrbem loco templum quoddam vetuſtiſſimum ſolido ſaxo inciſum cernitur, ſupra quod arbores Tamarindi magna copia creſcunt, infra illud autem fluuius eſt, cuius profunditatem explorare hactenus nemo potuit, ipſum autem templum, multis imaginibus exornatum, veſpertilionum iam domus & habitatio eſt, diciturque ab Alexandro Magno

Templum ab Alexandro Magno extructum.

olim in testimonium, quod ad loca ista ipsemet peruenerit extructum fuisse.

Lusitani arcem ad Ciaulum extruunt. Circa annum 1520. Præfectus Lusitanorum Didacus Sequeria, potestatem arcis ad Ciaulum extruendæ, à Nizamaluco petijt. Is cum in societate Lusitanorum diu hactenus fuisset, tributum etiam Emanueli Lusitanorum Regi soluisset, & verò iam aduersus Idalcanem, alterum Decani principem bellum gerens, equis præcipuè militaribus indigeret, quos India quidem non fert, sed ab Armusia venales ad vnum saltem Goanum emporium Albuquercius paulo ante traduci præceperat, ea inprimis lege annuit, vt trecentos quot annis equos Ciaulum importari liceret, atque vt ab institoribus quantum in Goano portu, Lusitani procuratores exigerent. Conscriptis igitur conditionibus, fabri in terram à Sequeria expositi sunt, atque ad ipsas fluminis fauces dimenso ædificio confestim opus inchoatum est. *Iazius arcis ad Ciaulum ædificationē impedire conatur.* Ea re vulgata, Iazius Diensis dynasta, præfectum quendam cum quinquaginta biremibus ad opus impediendum misit, cum ea classe à Lusitanis vario euentu certatum est, labore nihilominus dies noctesque continuato, donec ad iustam altitudinem muri & propugnacula excrescerent. Cum igitur ad disturbandum opus & Lusitanos inde pellendos longè maiore apparatu opus esset, classis illa Mahumetana, multis in periculosa statione acceptis incommodis, irrito tandem conatu discessit, & Sequeria ad custodiam loci, præsidium firmissimum constituit, relicto ibi Præfecto, Francisco Pereria,

reria, qui postmodum cum Anno 1532. Nizamalucus opem contra Idalcanem, prædam in finibus suis subinde agentem, ex fœdere efflagitaret, paucis equitibus pedibusque stipatus, inconsultè in bellum profectus, plerisque suorum amissis in arcem vix euasit, & pœnas leuitatis suæ, præfectura paulo post deiectus, satis graues dedit.

Idalcanis, alterius Decani principis, parens Sabaius fuit, is odio Lusitanorum flagrãs, oblata occasione ex Anchediua eos insula pellere constituit, misso ad expeditionem istam Lusitano quodam Antonio Fernando, qui abiurata per summum nefas Christiana religione, Abdalæ sibi nomen assumpserat. Is ad Anchediuam applicans, ædificatam ibi nuper à Lusitanis arcem omni conatu oppugnare instituit. Præerat arcis præsidio Emmanuel quidam Passanius, spectata fide & virtute vir, eum in subita re, quanquam ab alijs rebus imparatum, non defecit animus, sed dierum aliquot oppugnationem præclare sustinuit, donec Abdala Lusitanicæ classis aduenientis fama perterritus, ex Anchediua sese iterum proripuit. Videntes autem Lusitani, arcem hanc validiori præsidio propter hostium propinquitatem indigere, ne Lusitanicæ res in tanta paucitate distraherentur, ipsimet eam diruerunt. Indeque cum annus ageretur M. D. IX. ad Dabulum nobile Sabaij emporium expugnandũ vires animumque conuerterunt. Est illud oppidum eodem fermè quo Ciaulum situ, flumini amplissimo impositum, duas fermè leucas à mari

Sabaius Idalcanis pater in Lusitanos odio flagrat.

Dabulum Decani oppidum à Lusitanis expugnatum.

à mari recedit & assiduo concursu negotiatorum, cumulatisque longa pace diuitijs, admodum insigne erat. Sabaius quidem castello ad portus aditum extructo, oppidum aggere insuper & vallo munierat, præsidioque firmauerat militum varij generis sex fere millium. At vero Lusitani in illud vi magna irrumpentes, obuios quosque trucidarunt, deinde ardentes tectis faces supposuerunt. Tum prædæ magna pars ad mare auecta, multo plus tamen voracissimus ignis absumpsit, & mortales plurimi, cum se metu mortis varias in latebras abdidissent, aut ruina oppressi, aut ignibus & fumo extincti sunt.

Sabaius Idalcanis pater moritur.

Ab euerso hoc oppido, Sabaius implacabili prorsus in Lusitanos concepta ira, naues ædificare, & magnis pręmijs veteranos vndiq; milites contrahere cœpit, ingenti machinarum omnis generis comparato numero. At vero cũ bellum iam iam inferre Christianis vellet, in ipso aggrediẽdę rei conatu lethali morbo cõsumptus perijt.

Goæ ciuitatis in India præcipua descriptio.

Pertinet ad huius Principis ditionem Goa, vrbs in Ticuarino insula (quæ in circumferentia sua 30. leucas continet, & pagis aliquot hortisque & arboribus pulcherrimis ornata cernitur,) sita, ob soli vbertatem, regij portus amplitudinem, & ædificiorum incolarumque frequentiam, inter primas & præcipuas totius Indiæ merito habenda. Hanc autem vrbem sequenti modo sibi subiectam Lusitani fecerũt.

Goa insula & ciuitas qua ratione à Lusitanis occupata.

Mortuo Sabaio, ad Lusitanos, maximè vero Albuquercium relatum est, ciuitatem, magna ex parte dilapso exercitu, intestinis discordijs laborare,

borare,& proinde facile iam fore vrbem illā aut metu aut armis in poteſtatem accipere. Erat qui hæc referebat Timoia quidam Onoris Rex,miro quodam de Emanuele Luſitanorum Rege benemerendi deſiderio ardens. Quocirca cum minimè ſpernenda res videretur, Timoia iſte ſub ſpecie Armuſiani belli, ad conſcribendos in vicinia milites dimiſſus eſt, cūque inſigni peditatu & aliquot nauigijs inſtructus ad Albuquercium rediret,ipſe mutata repente nauigatione,Goam petijt. Ad portum autem perueniens,nauigia aliquot caſtella duo ex vtraque parte aditus poſita oppugnatum præmiſit,quorum alterum in ipſa inſula Panginum,alterum in continenti Bardeſium appellabant. His felici euentu expugnatis, miſit, qui oppidanis ſignificarent, ſi liberè vrbem tradere, & Chriſtianam clementiam quam vim experiri mallent, ſe & legibus ipſorum paſſurum eos viuere,& tertiam partem tributi,quod Sabaio pēdere ſoliti ſint, remiſſurum. Goani non modo expugnatis propugnaculis territi,ſed etiam benignitate promiſſorum illecti,pulſis aduerſæ factionis hominibus, Albuquercium & Luſitanos ingenti cum lætitia intra portas admiſerunt, eique deditionis inſigne,claues oppidi & arcis obtulerunt. Albuquercius igitur ſumma omnium ordinum frequentia vrbem ingreſſus,promiſſi ſui fidem ciuibus egregiè præſtitit, vrbem & arcem diligenter inſpexit, grauique ante omnia edicto milites à præda iniurijſque continuit, propter eximiam enim agri bonitatem, locique opportunitatem,ad continendas in officio cun-

cunctas illas nationes, caput & sedem Indic
imperij eam iam antea destinauerat.

Interea Idalcan, qui vixdum defuncto pa-
tre, in solium locatus, varijs bellis vehemen-
ter districtus tenebatur, vt nuncium de amissa
Goa accupit, pacem statim quibuscunque con-
ditionibus cum interno pariter & externo ho-
ste componit, deinde auctis maiorem in mo-
dum copijs ad Goam statim contendit. Ducem
habebat in castris, eximia rei peritia prædi-
tum, Camalcanem nomine. Hunc ad tentan-
dum æstuarij transitum, quo insula cingitur,
cum expeditis octo millibus peditum, equiti-
bus mille & quingentis præmisit, ipse cum cæ-
tero exercitu, equitum nimirum quinque &
peditum plus quadraginta millibus, aliquan-
to tardius propter machinas & impedimenta
subsecutus. Camalcanis aduentu magnus per
totam insulam animorum motus factus est. E-
rant in Goa duo incolarum genera, inquilini
alteri, è secta Mahumetana, alteri indigenæ
Deorum inanium cultores, illi ab insito in
Christianos odio, superstitionis suæ homi-
nem, Sabaij filium, Regem expetebant, hi me-
tu ne deditæ sine sanguine vrbis pœnas post-
modum luerent, eius flagitij turpitudinem &
culpam redimere insigni aliquo promerito
nitebantur. Ergo inter sese clam officijs in Ca-
malcanem certare, Albuquercij consilia, quo-
ad possent, ei per occultos internuncios pate-
facere, & nulli rei deesse cœperunt, quæ ad I-
dalcanis aut placandam iram aut gratiam in-
eundam facere videbatur. Camalcan cũ noctis
& variarum tempestatum beneficio flumẽ tra-
iecisset,

Lusitani Goa rursus excedere coguntur.

eciſſet, ſigna ſtatim in inſula ſtatuit, quibus vi
s, incolæ mutata repente fide, ad hoſtem ſeſe
diunxerunt, Luſitani vero à ſuis deſerti vrbē
atim repetere coacti ſunt, in arcem vix con-
giēdi ſpaciū inuenientes. Aderāt ſtatim qui
lbuquercio pacis conditiones offerētes ſua-
bant, vt appropinquante iam hyeme ante I-
lcanis aduentum, vrbe excedere quam belli
rtunam temerario auſu periclitari mallet.
gebant Albuquercium multæ difficultates,
hilominus Idalcanem expectare & oppug-
tionem quoad poſſet ſuſtinere, quod ſi vero
dere neceſſe eſſet, in ipſo portu vel inuitis
ſtibus hyemare conſtituit. Interea cum vni-
rſo exercitu bellicoque apparatu Idalcan
fuit, omnemque latè regionem tabernacu-
occupauit. Luſitani igitur reſiſtere tantis
ibus perpetuo non valentes, vrbe exceſſe-
nt, remotiorem paulo ab vrbe locum ad hy-
nandum eligentes.

Valido iam præſidio Idalcanis vtrumque
quibus ſupra dixi, caſtellum tenebatur, ſed
ta barbarorum erat negligentia, vt non vi-
iarum ordo, non ſtationum locus aut nume
s teneretur. Ea ſocordia ſatis comperta Al-
querc ius trecentos ex claſſe ſua viros elegit
cum egregijs ducibus noctu ad vtrumq; ca-
llum dimiſit. Hi ſilenti agmine profecti, cū
neglecta & ſoluta, cuſtodeſque ante vallū
rmes ac ſopitos inuenerunt. Illis igitur
mento diſſipatis, intra vallū & portas præ-
m illatum eſt, vbi cum non ſuſtineri amplì-
vis Luſitana poſſet, in fugam auerſi barba-
, atque ita duo caſtella illa eadem nocte
à Luſi-

Luſitani Goam plane deſerere coguntur.

à Lusitanis iterum expugnata, machinæque
tormenta inde ad naues abducta sunt. Cum a
tem inter maximas difficultates hybern
ferè tempus exactum esset, tandem magno L
sitanorum gaudio ver appetebat, vbi extre
rerum omnium inopia eos ad profection
adegit. Classis igitur cum in altum euasisset
gri, quorum haud exiguus erat numerus
Anchediuam insulam deportati sunt, vt
desiderato cibo potuque, & insuper amœni
te loci, cælique clementia reficerentur.

Goa ab Albuquercio secundo expugnata.

Interea Narsingæ Rex comparato inge
exercitu præcipuam Idalcanis vrbem Tara
lum aggreditur. Ad eam tuendam Idalcan s
mora profectus, armatorum nouẽ millia G
reliquit, nouis munitionibus circa vrbem p
ductis. Cęterum Albuquercio de Goa repet
da assiduè cogitanti, noua ex Lusitania cla
decem nauium cum multis eximijs militi
in tempore superuenit. His igitur auctus co
magno & erecto animo, triginta quatuor
structus nauibus ad Onorem redijt, vbi cog
to rerum Goanarum statu, Timoiam denuo
conducendos mercede milites proficisci
bet, ipse vero cum ijs quas habebat copijs r
aggredi omnino statuit. Ingens interea ter
oppidanos inuaserat, itaque duo primum
stella, sub ipsum statim classis introitum, à
stodibus deserta sunt. Inde Albuquercius,
scensione facta, multis simul locis oppid
oppugnat, neque ita magno certamine supe
tis munitionibus, cùm intra mœnia sese M
hometani reciperent, permisti fugientibus
sitani pariter irruunt, & omnibus vijs arma
sin

nul & inermes cædunt. Atrox maximè prœ-
m ad arcem fuit, dum fideles aliquot ex I-
lcanis familia, regi sædes pertinaci pugna
erentur, sed ijs demum trucidatis, in fugam
teri omnes effusi, & per agros tota insula
riè dispersi sunt.

Albuquercius igitur incredibili felicitate, *Goa ciuitas à Lusitanis reparata.*
st sex tantum horarum pugnam, vrbe Goa i-
rum potitus, ad firmandum ibi Emanuelis
sitaniæ Regis nomine imperium, toto pectọ
incubuit, ac primum defectionis autoribus,
ilio & bonorum proscriptione damnatis,
rfidæ ciuitati ex ipsamet Idalcanis formula
ctigal indixit, deinde ad sobolem in vsum
ilitiæ propagandam, sacro baptismate ex-
tas puellas Indicas cum Lusitanis in matri-
onium collocauit fouitque omni genere
aritatis, tum aduersus belli pericula refecti
leriter muri turresque, & arx ipsa nouis pro-
gnaculis aucta est, vt inde in Lusitanorum
testate semper permanserit.

CAP. XXV.

DE CONSTITVTIONE, INCOLIS & commoditatibus Goæ varijs.

Cum Goa metropolis sit vniuersæ Inidæ, *Goa ciuitas vniuersæ Indiæ metropolis est.*
imperiumque in reliquos Orientis pro-
ncias habeat, præfecto nempe regio quem
oregem vocant, & Archiepiscopo in ea ha-
tantibus, operæ precium fuerit, de constitu-
one incolisq; & alijs commoditatibus eius
ucula hic referre. Est igitur ciuitas hæc ædi-
ficiorum

ficiorum magnificentia conſpicua, habetq; plateas Luſitanico apparatu pulcherrimè e ornatas. Patet vero dies noctéſque nullis om nino mœnibus cincta, ſed inſula ipſa in qua ſ ta eſt cõtinuo muro circumdata eſt. Ad latus o rientale tres vel quatuor portas habet, excub torib⁹ ſuis munitas, ne quis alueũ fluminis tra ijcere inuitis Luſitanis poſſit; continentem e nim eo Goa, vt edulia & alia neceſſaria con quirant petituri, neceſſariò haſce portas per tranſeunt, tranſitus autem nemini patet ni teſſera quadam in brachio conſignatus fue rit.

Status Ecclesiaſticus & politicus in Goa qualis.

Quod ad conſtitutiones & ſtatuta tam Ec cleſiaſtica quam politica attinet, eadem per o mnia ſunt cum illis quæ in Luſitania cernun tur. Viuunt autem in ciuitate promiſcue cum Luſitanis quæcũque nationes aliæ, vtpote In di, Aethiopes, Iudæi, Armenij & alij, pari li bertate & religionis & negotiationis vtentes, nec enim quiſquam contra conſcientiam co gitur, exceptis ceremonijs gentilibus in cre mando funere cum virorum inferijs, vſitatis. Pontifex enim Romanus interdicto cauit, ne vel palàm in vrbe vel in inſula exercere eiuſ- modi ineptias liceat, aſt in continente & in priuatis ædibus nihil non licet, nimirum ne qui recens ad Chriſtianam fidem acceſſerunt, offendantur. In politicis autem ſtatutis, nego- tiationibus ſecularibus & morum conuerſati- one, per omnia cum Luſitanis, ſub quorum im- perio viuunt, conueniunt.

Luſitani

Lusitani matrimonia contrahunt cum mulieribus ex Indorum origine, inde nati liberi Mestici, reliqui vero qui vtroque parente Lusitano nascuntur, Castisi vocantur. Sunt autem Mestici vt plurimum subgilui, reliqui vero Lusitanis fermè similes apparent, nisi quod ad giluum colorem magis inclinent. Si quando matrimonium contrahere aut nuptias solenniter celebrare aliquis expetit, conueniunt eius cōsanguinei & amici in equis omnes splendide amicti, & per membra ad templum feruntur, sequente vnumquenque famulo, qui vmbellam siue latum pileum, contra solis radios ei obtendat. Sponsus inter duos Paranymphos medius equitat, hunc sponsa sequitur inter pronubas duas, gestatur vero in lectica, & in templum delata, more Romano per sacerdotem consecratur, & eodem postmodum, vbi copulatio facta est, processu domum reducuntur. Inter reducendum vbi ædes festiuas contigerint, adsunt in fenestris consanguineæ & vicinæ mulieres, aqua rosacea, aliisque fragrantissimis destillationibus, nouos maritos aspergentes. Honoratiores si qui adsint, mancipia & seruos suos secum habent, tubis atque tympanis canētes. Deducti autem domum sponsus & sponsa, amicis multa cum reuerentia pro præstito sibi officio gratias agunt, & in ædes se recipientes in loco quodam eleuato ad fenestrā consident, ludos equitantium amicorum spectaturi, qui equos quidem in gyrum ordine flectentes, spectacula nouis maritis iucunda admodum exhibent, decursatione illa tertium repetita & tubis simul cōtinuo personantibus.

Matrimonia & ritus nuptiarum in Goa.

Post-

Postmodo salutatis ad fenestram sponsis, domum quisque suam repetunt, Paranymphi vero ad sponsos ascendentes, vota ipsis faciunt & fausta quælibet comprecantur. Hinc offerunt sponsis confectiones panesque martios, quibus gustatis haustulum aquæ addunt, & tandē peractis quibusdam ceremonijs solennibus, discedunt, remanētibus tribus vel quatuor proximioribus, quibus prandium modicum, sed valde opiparum apponitur.

Puerperia qua solenni tate in Goa peragantur.

Puerperia pari solennitate peraguntur, præmissis enim amicis aliquot, susceptor postremus equo solus inuehitur, sequentibus eū duobus famulis, quorum alter portat patinam argenteam inauratam, plenam panibus albis friabilibus, in medio patinæ stat candela cerea deaurata, nummis quibusdam aureis argēteisque appensis circumquaque ornata, sacerdoti infantem baptizanti offerenda. Alter Salinum argenteum deauratum vna manu, manu vero altera gutturnium argenteum sustinet. Vtrique autem pendent ex collo mantilia multa arte elaborata. Pueros sequūtur lecticæ duæ inquarum altera susceptrix, in altera vero obstetrix cum infante vehuntur. Peracto baptismate infans eodem processu domum reducitur, vbi similiter equites in orbem feruntur & ludos susceptori varios exhibent, quibus finitis domum quisque suam repetunt, puerperæ fausta quæque precantes.

Lusitanorū in Goa fastus & uictor.

Equidem Lusitani in Goa splendidè admodum viuunt, multos enim seruos & ancillas, siue mancipia alunt, & in re familiari eorum multa mundities est, si præsertim lintea

spectes,

spectes, quibus quotidiè recentibus vtuntur. Nulla est autem inter nobiles & ciues alios differentia, si incessum, mores & vitam eorum spectes, incedunt enim per publicum gradu lento & elato, ingentique turgentes fastu, famulum post se habent, qui vmbellam vel latum pileum supra caput eorum pro solis æstu pluuiarumq; iniuria arcenda gestat. Si pluuiæ fuerint, adiunctum sibi famulum habent, pallium gestantem, quo se aduersus tempestates tueantur. Templum vero frequentantes, famulus sequitur qui puluinar ex holoserico, quod in templo orantes substernāt, gestat, omni autem ab obuiantibus honore afficiuntur, quibus pari reuerentia respondent, salutantem enim non resalutare turpe putant, & dedecus homini maius accidere non posse existimant.

Vxores Lusitanorum raro in publico cōparent, domi enim sedent nec nisi vel sacrum audituræ vel se inuicem salutaturæ egrediuntur, & tum quidem obuelatæ in lecticis feruntur, vt à nemine conspiciantur. Ad sacrum autē mutuos congressus accinctæ, induuntur margaritis & vestibus preciosissimis ex serico vndulato vel villoso, nec enim vilior ibi tela est quam sericum simplex. Domi autem tela lintea vtuntur ad vmbilicum vsque protensa, quę tam subtilis & pura est, vt cutis subterluceat, ab vmbilico ad genua vsque aliam telam, pictam quidem & ter quater ve complicatam gestant, reliquæ corporis partes nudæ relinquūtur, cruribus enim pedibusque domi nudis incedunt. Viri adeo suspiciosi sunt in vxores suas, vt nullum in ædes quas cum vxoribus inha-

Vxorum in Goa vestitus & mores.

bitant, admittant, tametsi vel coniunctissimi inuicem fuerint. Quod si fores quis pulsans herum quærit, tum mulierculæ & filiæ domesticæ omnes se proripiunt, solo remanente hero qui responsum pulsanti dat. Neminem virilis sexus qui annum 15. attigerit, secum in ædibus viuere sinunt, ita vt etiam filijfamilias, peculiares inhabitare ædes cogantur. Incredibili enim dictu est, quam lasciuæ & luxuriosæ mulieres istæ sint, & hinc mille artes norunt, quibus viros suos fallant, & libidinem suam cum alijs expleant. Habent inter alia & herbam quandam, quam ipsi Dutroam, Hispani Burlatoram, alij Datulam vocant, eius seminis succum expressum viris propinant, quo sumpto vir insano similis redditur, nec quicquam intelligit, sed perpetuo ridet, & velut exanimis somno tandem profundo immergitur, quo facto vxor Veneri liberè indulget etiam viro præsente, sed rerum omnium tamen ignaro, qui postmodo aqua frigida pedibus perfusus, ad sanam iterum mentem redit, nihil eorum quæ facta fuerunt intelligens. Frequens est illis, maritos veneno tollere, norunt enim venenum, quod hominem nō enecat priusquam hora destinata adsit, & propterea præparant illud in annum, biennium, triennium, menses & dies, &c. Similiter vero & vxores a maritis suis in adulterio deprehensę frequenter è medio tollūtur & interficiuntur. Mundiciei sunt studiosissimæ, præterquam enim quod quotidiè recentibus induantur linteis, lotiones etiam toto corpore crebras adhibent. Laboribus raro aut nunquā exercentur, integrū autē diē so-

lij

lijs Betele masticādis traducūt, addito calce & fructu quodā Arecca, cuius succum deglutientes, reliquū ex ore excernūt. Totos igitur dies in fenestris sedent post prætensas telas, & Betele suū masticantes à nemine quidē videntur, ipsæ vero prætereuntes omnes obseruant, & si forte ab aliquo videri velint, in signum amicę voluntatis velū remouent: nā præter Venerem nihil aliud somniāt aut meditātur. Virisq; inscijs varia sæpe medicamenta propināt, quibus in nocturna prælia fortiores eos reddant.

Habitatur vrbs Goa multis & varijs nationibus. Sunt enim ibi Nigritæ Alcoranum sequentes, sunt Iudæi, sunt Arabes, Armenij, Persæ, Guzarates & alij, plerique autem Ethnici sunt Brachmannorum constitutionem & doctrinam sequentes, qui ex Pythagoræ schola originem sumpsisse se gloriantur, vnde etiam certos ieiuniorum dies per annum habent, & animas post mortem in alia corpora migrare, siue bruta illa sint, siue humana, prout quisque vel benè vel malè in vita sua egerit, ex Pythagorę doctrina profitentur, ab omnibus quę vita & sanguine prædita fuerunt, abstinentes. Maxima pars solem & lunam, quidam etiam idola Pagodes ipsis dicta, forma tam detestabili, vt fœdior nulla per somnum apparere posit, adorant, consuluntq; ea tanquam oracula, responsum ab ipsis expetentes, quod etiam aliquando per operationem cacodæmonis accipiunt, vt in idololatria eo magis cōfirmētur. More apud ipsos receptū est, vt quod mane domo egressi obuiū habent, toto isto die venerētur, etiāsi vel sus vel aliud quid idipsum fuerit.

Ethnicorum in Goa superstitiones variæ.

Nouam lunam conſpicientes, in terrã procidunt, & ſumma cum reuerentia venerantur. Sunt apud ipſos religioſi quidam Carthuſianis atque Eremitis noſtris non abſimiles, hi ob ſanctitatem plurimum coluntur, viuunt enim vitam auſteram & ſeueram, aſtricti ordinis ſui regulis, & plebi pro libitu, deliria quæque & ſomnia ſua perſuadere poſſunt. Sunt præterea etiam venefici ibi magna copia, quorum aliqui vt homines faſcinent, ſerpentes viuos circumferunt, qui faſcinati capſulis ſeſe quieti continent, mox pro arbitrio præſtigiatorum prolati in medium, ad harmonicos numeros ſaltando ſe componere norunt. Caſas humiles ſtramine tectas incolunt. Legem ſuam rigidiſſime obſeruantes, domo enim nunquam egrediuntur, niſi fuſis prius de more precibus, vbique autem Pagodes ſeu idola ſua forma admodum deteſtabili poſita habent, additæque ſunt illis domunculę, in quibus prætereũtes pedes abluant, quo facto ad idolum accedentes, illud oblatis quibuſdam muneribus ſupplices venerantur.

Homines inferioris conditionis ad ſuperiorem emergere nõ poſſunt.

Lege apud ipſos cautum eſt, ne quis eam artem quam didicit, deſerat, mutatoque vitæ genere aliam tractet. neceſſe enim eſt, vt quiſque illud vitæ genus retineat, in quo natus à parentibus eſt, & artem illam exerceat, quam hereditario quaſi iure à parentibus ſuis accepit. Hinc matrimonia etiam non niſi intereiuſdẽ tribus & artis homines cõtrahuntur. nam per hanc legem quaſi in certas tribus & familias diſcernuntur: ita vt alij ſint ex familia aurifabrorum, alij ex familia tonſorum, Chirurgo-

rum

rum, mercatorum, piscatorũ &c. Quod si quis igitur inferioris conditionis sit, ad maiorem ascendere, & ex difficultatibus suis emergere nunquam potest. Quod ipsum quidem non in Goa tantum, sed & alibi passim per Indiam obseruatur.

Templa quædam & cœnobia in Goa à quibus extructa.

Sunt in vrbe Goa templa aliquot pulcherrime pro Lusitanis & Christianis alijs extructa. Albuquercius enim cum ab Adeno frustra (vt supra dictum) tentato, reuersus, Luianumque inuectus sinum, cum extremo salutis discrimine in Syrtes impactus esset, & vero ex periculo illo incolumis euasisset, ad perpetuam diuini istius beneficij memoriam templum in vrbe Goa, Beatæ Mariæ Virginis, Vada Luiana nomine extruxit. Alterum templum Diuo Francisco sacrum à Didaco Lupio Sequeria dum præturam ibi obtineret, vna cum Cœnobio Franciscanorum extructum est, circiter annũ 1518 Tertium templum sancto Dei Apostolo Thomæ inscriptum à Constantino Brigantio prorege, circa annum 1526. extructum est, quo tempore etiam prædicti Apostoli ossa in Coromandelio littore inuenta est, ad vrbem Goam translata perhibentur. Anno 1548. cum ad Garziam Saiam Proregis dignitas delata esset, Prædicatores duodecim ex Dominicana familia in Goam peruenerunt, in quorum statim gratiam templum & cœnobium ibi extructum est.

Proregis Lusitanici in Goa imperiũ fastus & redditus annui.

Proregis in India officium quouis triennio mutatur, raro enim accidit, & non nisi Lusitaniæ Regi peculiariter consentiente, vt aliqui diutius dignitate ista perfruantur. Residet au-

tem in hac ipſa ciuitate Goa, vbi ſummum eſt iudicium per totam eam oram, & vbi claſſis quotannis ad expeditionem armatur. Sunt ibi conſiliarij & iudices non ſecus vt in Luſitania, Prorex enim iudicium plenaria poteſtate, ex Luſitanici Regis autoritate ibi exercet. Si tamen cauſæ graues fuerint, & actio quædam ciuilis decernenda ſit, ea per modum appellationis in Luſitaniam transferri poteſt. In criminalibus nulli conceditur appellatio, niſi titulo nobilitatis gaudeat: in perſonas enim nobiles, Prorex ille ſententiam pronunciare non poteſt, abſque ſpeciali Regis mandato, in Luſitaniam tamen captos mittere & Regi offerre poteſt, vt pœnas meritis ſuis dignas accipiãt. Cæterum prorex ipſemet magnificè viuit, & autoritatẽ ſuam ſplẽdidè tuetur, in publico. n. raro cõſpicitur, & forte per viam publicam equitans, non aulicos tantum nobiles, ſed etiam ciues primarios in comitatu habet, ſtipãtque eum ſatellites itemque tubicines & tympaniſtæ magno numero. In templo ſellam habet in ſummo choro, inſtratam holoſerio, clauiſque aureis bracteatam, ſub pedibus tapetes ſunt & duo puluinaria ex ſerico villoſo, præpoſitumque eſt illi ſcabellum altius, ſeu pulpitum cum ſimili puluinari, vt brachijs ei innitatur. A latere nobiles aulici aſſident, ſed extra chorum tamen, ipſe autem Sacellanum ſuum perpetuo ſibi aſſidentem, & pro ſe orantem habet, Archiepiſcopo ad ſiniſtram eius in peculiari ſella, ſi forte ambo in templo præſentes adſint, conſidente. Miniſtri tanta cum reue-

reuerentia adstant, ac si Rex ipsemet adesset, & finito officio Ecclesiastico cum insigni tubarum atque tympanorum concentu ad palatium reuertitur. Reditus Proregis sunt amplissimi, omnia enim Rex in ipsorum potestatem pleno iure tradidit, licitumque ipsis est in omnibus dispensare, dare & accipere quid & quantum velint in ijs videlicet prouincijs, quæ Regem Portugalliæ Dominum suum agnoscunt. Hinc tantum sibi thesaurum Proreges conquirunt, vt vix credibile dictu sit, sed & præter reditus annuos, certum adhuc salarium habent, itemq; donaria & munera ex omnibus passim locis penè infinita. Fit enim more passim vsitato, vt quotiescunque nouus in prouinciam Prorex aduenit, vicini & confœderati Reges, legatos suos cum muneribus preciosissimis, in gratulationem & fœderis confirmationem ad eum mittant. Præterea cum tempus iam instat, quo prouinciã deponi necesse est, solent plerunq; arces & castella passim visitare & earum administrationem inspicere, vbi multis simul honorarijs ditantur. Tãdem depositurі iam prouinciam, palatium adeò vacuum reddunt, vt non modo obolus in thesauro nullus supersit, sed successor etiam nouus de noua supellectile sibi prospicere cogatur, vt inde de opibus, quibus in Lusitaniã reuertentes instructi sint, coniecturam quis facere facile possit. In loco vbi iudicia fieri solent, Proreges ordine ad parietem depicti visuntur, quotquot hactenꝰ in India cũ imperio fuerũt, in exteriori autẽ pergula naues omnes

quæ iam inde ab initio à Lusitanis in Indiam missæ sunt conspiciuntur, additis passim nauarchorum & gubernatorum nominibus, illisque simul etiam annotatis, quæ in itinere vel perierunt, vel ventorum & procellarum turbine disiectæ ad suos nunquam redierunt.

CAP. XXVI.

DE CANARAE SIVE CONCANI REGNO, eiusque primarijs oppidis, Baticala Mangalore & Onore.

Canaræ regnum cui subiectum.

CAnara regio, aliàs Côcan dicta, pars quodammodo est regni Decani, ab Idalcane quondam maxima parte possessa, iam vero ad Narsingæ Regem, de quo paulo post dicemus, pertinens. Circiter annum 1515. in Lusitanorum potestatem tali occasione peruenerat. Inter Idalcanem & Crisnararum Narsingæ Regem atrox admodum & funestum bellum tum exarserat. Idalcan enim profugos è Narsingæ regno, clam admittebat, occultisque latrocinijs operam dabat, Crisuaraus vicissim, Raciolum vrbem Decani regni munitissimam, sibi maioribusque suis ademptam, Idalcanis accessisse regno ægrè ferens, eam recuperandi auiditate maxima laborabat. Miserat hic quendã Cidera nomine cum magno auri pondere Goam, ad equos Arabicos in vsum belli coëmendos, hunc Decanios ingressum limites, Idalcan benignis admodum promissis ad se per literas inuitarat, comiterque acceptum, spe honoratæ præfecturæ Dabulum amandarat, ibiq; pecunia

Raciolum à Narsingæ Rege expugnatum.

pecunia spoliatum è medio tolli curauerat. Crisnaraus igitur factum hoc vlturus, magnis equitum peditumque contractis copijs, Raciolum statim obsidione grauissima cinxit. Ad eam soluendam obsidionem Idalcã profectus, commisso prælio, magna parte suorum amissa, cum paucis elapsus est, atque ita Crisnaraus victor, non castris modo Idalcanis est potitus, sed Raciolum etiam vrbem valido instructam præsidio in ditionem suam accepit.

Ad huius cladis famam cum alij ab Idalcane defecere, tum Gini maximè, Concani olim gens prænobilis, quibus Mahometani regionẽ suam eripuerant, ad eam recuperãdam in subiectos Idalcanis agros irruerunt. Cæterum regionis istius præfectus, magna pecuniæ summa ex vectigalibus portorijsque collecta, id vnum agebat, quo pacto inter eos tumultus, Domini sui rem, ad suum peculium transferret. Omnia autem circumspectanti commodissima ad fugam Goa Lusitanorum vrbs visa est, id quo tutius faceret, Lusitanum sibi proregem ante cõciliandum ratus, ad specimen probitatis ac fidei petijt, ab eo per nuntios primum vt Idalcani contra Ginos tumultuantes opẽ pro amicitia ferret, deinde si id facere grauaretur, vt ipse potius in eam oram, Emmanuelis Regis sui nomine inuaderet, quam in perduellium potestatem venire eam pateretur. Hoc nuncio accepto, Prorex rem ad consilium detulit, ac tali tempore nemini dubium erat, quid ius, quid æquitas, quid amicitia postularet, verum apud homines lucra pensitantes, vtilitas præualuit, atque ita Prorex cum octingentis fer-

Concani regnum ad Lusitanos quomodo peruenerit.

mè peditibûs, equitibus vero ducentis & quin quaginta, Euripo traiecto, Concani regionem sine vllo certamine occupauit, Roderico Iusarte cum modico præsidio ei regioni præfecto.

Lusitani regno Concani iterum eijciuntur.

Ditauerat quidem tū Prorex ille rē Lusitanam haud contemnenda vectigalium accessione, dummodo crimen abfuisset, verum cum minus honestè quæsita esset possessio, diuturna ipsis esse non potuit. post annos igitur non vsque adeò multos, Idalcan otium à Narsingano bello nactus, recuperando Concano animū adiecit. Exiguis admodum copijs ea loca tum Lusitani tenebant, cæteris ad Persicum & Arabicum sinum paulo ante profectis. Eius rei nō ignarus Idalcan, misso præfecto cum quadringentis & quinque peditum millibus, Lusitanos custodes, haud tamen sine cruore & certamine munitionibus eiecit, portusque & agros illos omnes iterum recepit.

Baticala Canaræ oppidū Lusitanis tributarium factum.

Oppida huius regni littoralia præcipua sunt Baticalia & Mangalor, quæ à Lusitanis quōdam expugnata fuerūt. Ad Baticalam quidem quod attinet, oppidum illud viginti quinque vel amplius leucas vltra Goam situm, Anno 1509. Lusitanis nullo negotio tributarium factum est. Progressu autem temporis cum Didacus Sequeria ad Proregis in Goa dignitatem ascendisset, dispositis circa omnes arces præsidijs, Baticulæ Regem, iugum detrectantem, pactumque non ita pridem Emmanueli stipendium persoluere recusantem, misso ad eius portus fauces obsidendas, cum nauibus ali-

quot,

quot, Alphonso Menesio, ad fidem officiumque aut minis aut malo redigi curauit. Cæterū cum rege isto defuncto, imperium penes reginam esset, ea non modo vectigal Lusitanis pendere abnuebat, sed etiam piratis & hostibus Christiani nominis tutum in portu suo receptum dabat, itaque cum Martinus Adolphus Sosa in Proregem electus esset, ad Reginæ istius ferociam edomandam arma conuertit. Profectus autem cum quadraginta nauibus, cum in portus istius aditu consisteret, ad Reginam, qui debitas pensiones & piratica nauigia exigerent emisit. Illa metu repentino perculsa missis quatuor nauibus, varias ad frustrandum Proregem excusationes attulit, cumque descensione facta aciem Prorex instruxisset, Mahometani primo ex palmetis varij generis tela in Lusitanos coniecerunt, mox deinde citato ad vrbem gradu recedentes, in liberorum coniugumque conspectu prælium instaurarūt. Anceps ibi aliquandiu dimicatio fuit, sed inferentibus sese acrius Lusitanis, fusi per agros fugatique omnes sunt, oppidumque nullo defensore captum & incensum est. Hoc facto Prorex, succedentibus in orbem centurijs, Baticalanos fines, non intermissa dierum aliquot clade, vastauit, ac metu malisque demum Reginam in consiliarios, ad piraticas tradendas naues, pernumeranda stipendia, & pacem renouandam adegit.

Alterū oppidū Mangalor, celebre admodū & opulentū nationibus varijs emporiū pbuit.

Habu-

Mangalor emporium C[illegible] are [illegible]e bre à Lusitanis expugnatum.

Habebat autem locum illum in potestate Dynasta quidam prædiues. Is sub vmbra Lusitanæ amicitiæ iam dudum latens, occultum cum Zamorino, Calecuti Rege percusserat fœdus, ac mutua collusione, Calecutanas merces, suo nomine in Arabiam transmittere consueuerat. Ea fraude comperta, Didacus Sylueria, Anno 1532. nouis ex Goa copijs auctus, oppidũ arcemque vi atque armis aggressus est, moxq; post pugnam nonnullam adeptus victoriam diripuit, præter sexaginta igitur maiora tormenta, æris Cyprij, Coralij, argenti viui, purpuræ & bombycinæ vestis, itemque tormentarij pulueris & varij generis commeatuũ, quantum nauigia pati poterant, auectum est, opes vero reliquæ vna cum ipsis tectis murisq; igne absumptæ sunt. Naues enim tredecim crematę nihil in agris frugiferum, nulla felix arbor in hortis relicta, homines plurimi capti partim, partim vero occisi sunt, & Dynasta ipsemet, desperatis rebus omnibus, cum inter tumultum elaberetur, plumbea glande traiectus occubuit.

Onor oppidũ ad quem per tinear.

Onor oppidum non longe à Goa distans, Ducem olim habuit Timoiam, egregium virtute nauali virum, qui, cum Mahometanis Goę inquilinis ob auocatam illuc à suo oppido & Baticula mercaturam, admodum infensus esset, Lusitanis vt supra dixi expugnandæ Goæ autor extitit. Post eius obitũ Lusitani oppidum illud in suã potestatẽ receperunt. Abũdat autẽ pipere adeò, vt singulis annis 8000. & amplius centenarios inde auehere Lusitani possint,

eftque

estque hoc piper longè præstantissimum, bonitate enim & ponderositate sua reliquum omne quod per totam Indiam Malabarorumq; fines colligitur, superat. Redimitur autem piper illud à Regina Baticalæ, precio sex mensibus antequam piper illud colligatur, soluto. nisi enim Curator Lusitanus tempestive adsit, & solutionem antequam maturitatem piper assequatur præstet, eò carere postmodum cogitur.

CAPVT XXVII.

DE MALABARICI REGNI COMMOditatibus, & subditorum eius ordinibus varijs.

Qvartum occidentalis oræ in inferiori India regnum Malabarorum est, quod à Comorino siue Cori promontorio incipiens ad fluuium oppidumque Cangeracon producitur, quod sane spaciũ iuxta maritimam oram leucas propemodũ trecentas complectitur, latitudinem à Gadibus ad Oceanum, quinquaginta milliarium obtinens. Est autem hæc regio magis culta ac frequens cæteris Indiæ regionibus, gaudet enim aëre saluberrimo & frigidiusculo, agro feraci admodum plurimisque æstuarijs ac fluminibus conciso, qui licet frumentariæ rei ineptus sit, nihilominus tamen hordeo, oryza, ac varijs fructibus, imprimis vero zingibere, myrobalanis, Cardamomo, tamarindis, cinnamo, cassia, pipere & alijs aromatibus abundat. Flumina ibi multa sunt, in *Malabaricæ regionis descriptio.*

quibus

quibus prægrandes lacertæ Crocodili forma reperiuntur, carne satis grata, quę in cibum etiam ab incolis assumitur. Habent præterea in præcipuo mensarum honore vespertilionum quoddam genus, dentibus & rostro vulpem, magnitudine vero miluium referens. Terra alioquin amœnissima est, & perpetuo virens arboribus fertilissimis cõsita, quæ nautis nostris malos suppeditare possunt tanta proceritate, vt elegantiores per totam Norvegiam vix inuenias.

Malabaricū regnum à quo & quãdo inuentū. Regnum hoc primus omnium Vascus Gamma aperuit, anno 1497. quemadmodum suo loco dictũ est. Delatus autẽ est ad loca ista circa Maij exitum, perincommodo sane tempore, nã in regionibus illis, cum alia multa, tum illud in primis omnium Physicorum ingenia superat, quod in eadem cœli plaga, pari solis accessu atque recessu, & ijsdem anni mensibus, ab ortu trans Gatis iuga, quæ recto ad Cori vel Comorini promontorium excursu, totam Malabaris longitudinem intersecant, æstas ac siccitas, ab occasu vero cis Gatem, hyems & assiduæ pluuiæ sunt, vt in tanta locorum propinquitate, quod ad rationem tempestatum attinet, ijdem penè populi sibi mutuo antipodes esse videantur. Eo igitur tempore quo Gamma ad hanc oram appulit, in ea Malabaris parte, hyemis erat initium, cum altera quæ ad ortum est, maximis iam tum caloribus æstuaret. Itaque licet periculosam admodum in mari stationem esse intelligeret, subeundum tamen portum, nisi ex Malabarici Regis autoritate & per-

permiſſu nequaquam exiſtimauit.

Habebatur Rex ille eo quidem tempore in primis clarus & potens, vocabaturque ſermone patrio Zamorinus, quod vocabulum Imperatorem & quaſi Deum aliquem terreſtrem ſonat, cuius nominis ratio vt eo rectius intelligatur: ſciendum eſt, terram eam omnem, vnum ſolummodo Regem olim habuiſſe, cui nomen fuit Sarama Perial. Sub eo Arabes, ſuperſtitionibus Mahometicis dediti, ad fines hos cum aromatibus varijs primum acceſſerunt, Regemque ipſum & plurimos ex ſubditis, circũuenientes, ad Mahometis ſuperſtitionem abduxerunt. Rex igitur iſte ſectam illam quam nuper amplexus erat, tanta cum deuotione colebat, vt Plane ſecum conſtitueret relicto regno Mecam vbi Mahometis ſepulchrum eſt, deuotionis ergo ſe conferre, vitæque ſuæ quod ſupereſſet, religioſè ibi finire. Cum autem ſine prole eſſet, nec vxorem vnquam habuiſſet, regnum inter præfectos ſuos variè, huic Cocinum, alteri Cananorem, & ſic conſequenter attribuens, diſtribuit regnaque ditiones illas ſingulas ſingula eſſe iuſſit. Cæterum Calecutum ditionem præ reliquis celebrem, cuidam ſibi chariſſimo & fideliſſimo attribuit miniſtro, nomenque & titulum Zamorini ei impoſuit, vt quaſi Imperator in reliquos omnes imperium obtineret, reliquiq; inferiores ei tanquam ſuperiori parerent. Hinc igitur eſt quod Calecutanus Rex titulum Zamorini vſurpat, imperiumque in reliquos Malabarorũ Reges ſibi vendicat.

Malabariæ Rex cur Zamorinus h. e. Imperator dicatur.

Rex

Ordines in regno Malabarico quatuor.

Rex iste quatuor ordinum homines in suo regno habet, Dynastas nempe & satrapas, quos vulgo Caimales vocant: sacrorum antistites & procuratores, qui vetustissimæ originis Brachmanni sunt; Rei bellicæ studiosos à nobilitate duntaxat, qui Naires dicuntur, & tandem opifices atque agricolas qui quartum locum obtinent, reliquum enim vulgus institorũ est, maxima ex parte Arabum, Persarumque & Aegyptiorum ex hæresi Mahometana & Iudaica, qui preciosis mercibus admirabili solertia & peritia permutandis ad amplas opes & pecunias perueniunt. Præcipuo autem in honore apud omnes sunt Brachmanni, pateque ea secta latissimè, quorum scitis omnia publica & priuata sacra subiecta sunt, vt ceremonias & iusta funebria suo arbitratu præscribant, magnoque suo quæstu prodigia, sortes, auguria & omnia interpretentur. Parabrammam, nescio quem Deorum antiquissimũ colunt, & ex eo filios tres, quorum in gratiam terna fila gerunt è collo suspensa. Multis prætereа non hominibus modo, sed brutis etiam animantibus cœlestes honores habent, maximè verò bobus, quod hominum vita functorũ animas in eam migrare beluam opinantur.

Brachmanni sacrorum antistites.

Multos habent suarum superstitionum libros magno labore & studio conscriptos, quos in vulgus quidem prodire minimè patiuntur, nisi ex illis pro arbitratu suo depromunt, quæ ad decipiendum populum in concionibus & priuatis colloquijs, magna verborum pompa edisserant.

Naires

Naires penes quos totius rei militaris cura est, vt septimum circiter ætatis annum attigerunt teneri corpusculi neruis diu multumque distentis, adhibita frequenti vnctione, ad agilitatem penè incredibilem perducuntur, ita vt velut exosses, artus omnem in partem arbitratu suo torquere & flectere, saltus retrorsum æquè ac in aduersum longissimos edere, & in lucta varios nexus pariter implicare atque explicare condiscant. Armis verò à pueritia ad vltimam vsque ætatem summa cura exercentur, quæ fuerunt olim hasta, sagittæ, gladius & clypeus; iam vero post inuectas illuc recentiores hasce humani ingenij fraudes machinasque, totam conflandi, temperandi, librandi rationem ita perdidicerunt, vt omnibus maioribus, minoribusque tormentis scienter admodum vtantur, iamq; Indici sclopi & sulphureus puluis longo interuallo Lusitanicis antecellant. Nudi omnino, velata tantum pube, prælium ineunt, neque loricarum aut galearum onera patiuntur, hinc magna ipsis dimicandi velocitas existit, offerunt sese statim, moxque iterum euanescunt, cum procul abesse credideris, mox à tergo se ostendũt, pari celeritate & sequentes & recedentes. Si Cominus decertandum sit, bracteolis plurimis ad gladij manubrium annexis, quorum tinnitu numeroso ad pugnam incitentur, celeri se vel procursu in hostem inferunt, vel recursu, cum opus est, repente subducunt; vel etiam sub scuto ita se totos cõdunt, vt locus ad plagam nullus omnino pateat.

Naires bellicæ rei in Malabarico regno administratores.

Longe autem miserrima est agricolarum

Agricolæ & opifices in Malabaria miserrimi.

& opificum conditio, siquidem præter quotidianas operas, quibus ægrè sese familiasque sustentant, quod initio quisque sortitus est vitæ genus, in eò ad mortem vsque persistere cogitur, nec vel ad altiores gradus vnquam euadendi, vel ad alias artes quæstusve se transferendi, spes ei vlla relinquitur. Vnde adeo cõtempti & abiecti sunt, ex superiorum ordinum homines, ne rectis quidem oculis audeant intueri, quod si in turba, vt fit, ad aliquem forte Nairem propius accesserint, malè mulctantur, idque ne accidat per antecedẽtes famulos submouentur.

Malabares omnes incerto patre nascuntur.

Interea alia autem dedecora, promiscua etiam inter singulos ordines coniugia sunt, vagique ferarum more concubitus. Incerto enim omnes patre nascuntur, & ad sororum filios, vt minimè dubiæ cognationis, hæreditas peruenit. Aedificia, templis Deorum, & Regijs ædibus exceptis, lignea & modicè ab humo eleuata, palmarum folijs conteguntur, nec vlli omnino præter Dynastas, sumptuosius habitare concessum. Suburbana ædificia visuntur plurima, cum hortis apprimè cultis, quæ fermè incolunt optimates, ne vrbanæ plebis consuetudine polluantur.

Malabarorũ vrbes & regna præcipua.

Cæterum in regione hac vrbes plurimæ, atque inter illas emporia opulentissima, & cum ob optimos quos habent portus eosque tutos valde & capaces, tum etiam ob Indicarum mercium ac opum affluentiam frequentissima reperiuntur, quorum singulis singuli Reges imperant, idque ex ordinatione Regis

Saramæ

Siramæ qui regno inter præfectos suos distributo Mecam deuotionis ergo sese contulit, vt supra dictum est. Numerantur igitur vulgo Calecutum, Cocinũ, Cananor, Cranganor, Couletum & Colanum, quorum Calecutum quidem præcipuum fuit, Zamorino siue Imperatore Malabarico summò, sedem suam ibi habente & imperium in omnes reges reliquos exercente, vt ex sequentibus iam patebit.

CAPVT XXVIII.

DE CALECVTO, MALABARICI REGNI Metropoli & emporio quondam celeberrimo.

CAlecutanum regnum olim ob emporium & sedem imperatoriam, per vniuersam Indiam finesque Malabarorum, clarum præstantissimum & longe celeberrimum fuit. Excurrit in ora maritima ad leucas 25. Regia eius vrbs & metropolis Calecutum vocatur, quæ iuxta mare ad tres leucas in longitudinem se extendit, nullis muris, sed sex vel amplius mil le ædibus longiore spatio inter se discretis circumdatur. Domus omnes viles sunt & humiles, propter aquarum enim scaturigines, fundamenta profundius iaci nequeunt. Suburbanus vrbis ager piper mittit, itemq; zingiber, tamarindum, myrabalanos, cassiam fistulam & fructus suauissimos nobis incognitos. Sunt etiam palmæ ibi innumeræ, quæ vtilissimos fructus proferũt. Incolæ panis vsũ ignorãt, carnes vero pleriq; ex lege nõ comedũt nec vinũ bi- *Calecutani regni descriptio.*

bunt, oryza interim, hordeo, butyro, lacte, pi-
scibus, saccharo & fructibus alijs vtentes. In
terra procumbentes comedunt & cochlearijs
loco arborum folijs vtuntur. Plerique inani-
um Deorum cultores, ethnici non pauci vero
etiam Mahometani sunt, qui tunica interiore,
ad vmbilicum vsque amiciuntur, reliqui vero
nudi incedunt, pube solummodo velata. Cæte-
rum caput nobiles tantum tegunt, qui etiam e-
uaginatũ gladiũ cũ clypeo manibus gestare so-
lent. Castitatem negligunt, mulieres & prosti-
tuentes promiscue, & inter se nonnunquam
amicitiæ causa permutantes. Rex ipsemet Bra-
chmannis Sacerdotibus sponsam suam prius
deflorãdam tradit, qua quidem causa est, quod
liberi parentibus suis in regionem succedunt,
sed tantum ex sororibus nepotes, quos è re-
gia stirpe prognatos esse sciunt. Serpentes ibi
plurimi reperiuntur, quos Rex superstitiosè
admodum obseruat, ita vt necare aliquem sub
capitis poena nemini liceat.

Calecutani Regis sponsa à sacerdotibus, ita volente Rege defloratur.

Qua ratione autem hoc Calecutanum reg-
num à Vasco Gamma, Anno 1497. primo inuen-
tum, & quomodo is à Rege eius acceptus fue-
rit, supra capite tertio dictum est. Postquam i-
gitur is ad Emanuelem Lusitaniæ Regem re-
uersus, Patefactæ iam Indiæ rationem exposu-
isset, ipse nauibus tredecim omni commeatu
firmatis, Petrum Aluarem Capralem, virum
genere & virtute clarum præfecit, data ei in-
structione, vt Christianam fidem & religionẽ
in illis locis seraret, & Calecutanum Regem,
quanta maxima lenitate ac diligentia posset,
ad firmam pacem & stabile foedus alliceret. Si

Calecutanũ regnum à quo primo detectum.

vero

verò durum & illiberalem se præbere pergeret, tum verò illatas Vasco Gammæ iniurias modis omnibus vindicaret. Cum igitur ad Calecutũ Capralis applicasset, Zamorinus haud mediocrem lætitiam præ se tulit, ac petenti Caprali, haud grauatim se in colloquium dedit. In eo colloquio cum pax & amicitia certis legibus conuenisset, ædes in vrbe Lusitanis ad diuersandum ac negotiandum benignæ attributæ sunt. Iam igitur Lusitani mercimonijs dare operam cœperunt, cum ab Aegyptijs & Saracenis institoribus, qui ereptam sibi quæstus materiam dolebant, vrbana plebs varijs criminationibus in nouos aduenas incitata est, vt subito arreptis armis, Lusitanorum diuersorium aggrederetur. Lusitani improuiso malo perterriti, è fenestris tectisque fortiter primos barbarorum impetus repulerunt, sed perfosso demum dirutoque pariete, cum vim ac numerum vltra sustinere non possent, ex septuaginta qui in ædibus illis fuerant, vix viginti reliquis partim captis partim interfectis ad classem euaserunt. Capralis igitur tam atroci & nefario scelere commotus, vt nihil neque excusationis neque purgationis afferri vidit, proculdubio affinem eius culpæ Zamorinum interpretatus, decem Calecutensium naues, in ipso portu, mercibus & annona refertas incendit, deinde obuersis in vrbem maioribus tormentis, ædificia complura disiecit, tandemque suorum cædem egregiè vltus ex portu illo discessit. *Calecutenses Lusitanorum ædificium oppugnant.*

Zamorinus vt suorum cladem vlcisceretur, anno 1505. Laurentium Almeidam, Mala- *Zamorinus classe sua*

 barica

Lusitani frustra petit.

barica littora dispersis aliquot nauibus tenen-tem adoriri omnino statuit, neque ita multo post, è varijs oræ Malabaricæ portubus in vnū coacta zamorini classis, ad Almeidam recta contendit, qui tormentis primo eminus rem gerere instituit, postea dissipatis iniuria ventorum ordinibus, pugnam è propinquo conserere coactus est. Tum igitur trucidato præsidio, certa tandem victoriæ inclinato ad Lusitanos facta est, qui tribus circiter barbarorum millibus cæsis, aliquot naues partim expugnarunt, partim tormentorum ictibus perforatas demerserunt, quibusdam ex imminente clade ad zamorinum remissis.

Lusitani Calecutum expugnant & iterum deserere coguntur.

Anno 1510. grauis admodum casus Lusitanos ad Calecutum afflixit. Profectus enim ad excidium eius vrbis cum triginta nauiū classe Cotinius. Prorege Albuquercio, eiusdem expeditionis adiutore & socio, quanquam acriter obsistentibus oppidanis, copias tamen omnes ad littus exposuit. Inde expugnato castello, quod portus faucibus imminebat, Albuquercius ad vrbis incendium, Cotinius vero ad regiam ipsam occupandam ac diripiendam præmatura festinatione contendit. Et Albuquercius quidem incolis metu perterritis, haud ita difficili negotio tectis ignes iniecit, quorum pars magna (quippe ligno folijsque constabant) flammis illico absumpta est. Cotinius vero regiā absente per eos dies zamorino audacter aggressus, magna ex parte, cæso præsidio claustrisque refractis, per vim irrupit, barbaris ex composito, simulata desperatione fugaq; sese per posticum in syluas eijcientibus. Cotinius

potitu

potitus iam arce, quasi nihil vltra periculi superesset, ex longa defatigatione æstuque vehementi, quietis aliquantulum capiebat, cum subita conuersione rerum sors belli immutata est. Multa erant in regijs ædibus diuturna cura studioque congesta, quæ, subiecta præsertim oculis, cupiditatem incenderent. Ad ea certatim rapienda, suisque humeris auehenda, dum auide huc illuc Lusitani discurrunt, interea spatium datum Nairibus, ad auxilia conuocanda. Conglobati igitur hortatique se mutuo ad Regis sui iniurias fortiter vindicandas, repente in regiam impetum fecerunt, Lusitanos oneribus impeditos, sub sarcinis passim obtrūcarunt. Cotinium ipsum dum sero suos à præda reuocat, intra septum regium oppressum trucidarunt, & vrbe ædibusque regijs, exturbatis inde Lusitanis, iterum potiti sunt.

Lusitani arcem ad Calecutum extruunt.

Cæterum post Goam postmodum & vrbes alias felici conatu ab Albuquercio expugnatas, tam secundis Lusitanorum rebus valde cōmotus Zamorinus, vltro per viros principes ab Albuquercio pacem petere, locumque arci ad Calecutum ædificandæ, tandem aliquando assignare animum induxit. Statim autem post factam cum Lusitanis pacem, vita functus est, regnumque sororis eius filius Naubeadarinus accepit, qui Lusitanis enixè semper fouerat, autorque auunculo fuerat, eos omni officio demerendi. Itaque ipso statim initio imperij, non modo pacem firmauit, sed etiam stipendiarium sese Lusitani Regis fieri voluit, certo vectigali spōte instituto,

quod in singulos annos Emmanueli persolueret. Mox igitur arci ad Calecutum extruendæ, magna eiusdem voluntate admoti cum machinis fabri sunt, & opus, adhibita diligẽtia, breui surrexit, vbi imposito præsidio, commerciũ cum Lusitanis renouatum est.

Calecutensis Rex arcem à Lusitanis in sua ditione extructã oppugnat.

Circa annum 1524 cum Henricus Menesius prouinciam Goæ obtineret, ad Calecutum denuo turbata pax est, Odiosæ enim primum controuersiæ inter negotiandum exortæ, & partis vtriusque animi suspicionibus irritati sunt, deinde vltro citroque factæ iniuriæ, donec ad manifestum bellum res exarsit. Hisce rebus cognitis Henricus Prorex, cum quinquaginta nauium classe in conspectum vrbis Calecutensis profectus, naues aliquot in portu hærentes iniecto igne perdidit. Hoc viso, qui arcem tenebant, suorum aduentu animati, varijs locis ignem suburbijs intulerunt. Non exigua tum barbaris, tormentorum suppetebat copia, itaque spe magna tenebantur fore vt Lusitani facilè inde arcerentur, & Zamorinus quidem confecto quod per id tempus cũ mediterraneis populis gesserat bello, omnibus deinde viribus ad Lusitanorum arcem Calecutano impositam littori expugnandam, incubuit. Aderat iam hyems & propterea eo acrius Zamorinus ne id anni tempus elaberetur, militares copias omnemque oppugnandi apparatum vndique contrahebat, vt interim vel operibus & vi arcem caperet, vel necessitate & fame Lusitanos ad deditionem compelleret. Hinc iam exasperatis vehementius animis, magno apparatu & oppugnari & defendi

arx

arx Lusitanica cæpta, & Lusitanos quidem præter cæteras difficultates, etiam paucitas fatigabat, Prorex enim ante hyemis aduentum inde rursus discesserat. Præfectus vero arcis, Ioannes Lima, trecentos haud amplius milites secū habebat, cumque nulla nisi ab oceano spes superesset, duplici doliorum ordine, ingesta arena & lorica extrinsecus addita, brachium ad mare protenderat, alterius inter dolia tormentis ad arcendum à latere hostem, apte collocatis. Per expedita autem simul nauigia Proregem Henricum de statu arcis certiorem fecerat, qui initio quidem duas naues cum propugnatoribus centum & quinquaginta subsidio misit. Verum cognito postmodum periculo, Antonium Syluium ad opem obsessis ferēdam cum aliquot nauibus & quingentis armatis Calecutum petere iussit, ipse interea classi ornandæ operam dabat, vt cum primum præterita hyeme se aperuisset mare, cum maioribus copijs eò contenderet.

Hæc vbi per exploratores Calecutum allata, confestim Zamorinus antequam Lusitanis in arce auxilium adueniret, omni rursus conatu arcem oppugnare aggressus est, excitatoque qui mœnia arcis adæquaret aggere, globos ferreos igneosque in arcem quamplurimos vibrauit. Verumenimuero circumacta hyeme, cum nauibus viginti, bellatoribus vero mille & quingentis aderat Prorex, & iam à mari & ab arce tormentis hoste submoto, cum ingenti clamore pluribus locis armatos in terram exposuit, immissisque intra hostiles fossas audacissimis è suorum numero, ad tria Indorum *Lusitani arcem suam ad Calecutū deserunt & euertunt.*

millia partim ferro, partim igne deleuit, &
valloIndorũ diruto, non procul ab arce castra
metatus est. Inde zamorinus & suorum terri-
tus strage, & simul veritus, ne in proxima pal-
meta Lusitani sæuirẽt, misso caduceatore indu-
cias petijt. Interea de pacis cõditionibus actũ.
Cum verò cõuenire nõ posset, proptereà quod
zamorinus insignem quendam è Cocinensi
ditione perfugam tradere abnueret, tandem
Henricus, pertæsus Indicæ leuitatis & Mahu-
metanæ perfidiæ, præsidium abducere à Cale-
cuto, & arcem à fundamentis excindere sta-
tuit, cum præsertim ita velle Ioannem Lusita-
niæ Regem, è commentarijs Vasci Gammæ di-
dicisset. Ergo muris & propugnaculis, opere
subterraneo, sulphurei pulueris copiam subdi
iussit, deinde militibus & machinis, omnique
instrumento raptim in naues imposito, igne
cauernis iniecti, & barbaris illico, si quid for-
te prædæ relictum esset, in arcem magno nu-
mero ingressis, interim è specubus erumpen-
tes flammæ plerosque hauserunt & cum hor-
ribili strepitu mœnium structuram dissiparũt,
qui quidem finis & arcis & obsidionis istius
Calecutanæ fuit, Prorege classem & exerciti
Cocinum secum abducente.

Lusitani in Mahumetanos Calecutensem impetum faciunt.

Cæterum Cocino profectus, cognouit Ma-
hometanos è Calecutano emporio ad duode-
cim hominum millia, intra Bacanoris fluminis
ostium, cum nauibus onustis latere, sublatis i-
gitur statim anchoris eò infestus contendit. E-
rat res difficultatis & periculi plena, nihilo
minus tamen sublato ingenti clamore, con-
cinentibus vndique tubis eam aggressus est.
Bar

Barbari conspecta classe vim omnis generis telorum emiserunt, quibus assuctudinem haud quaquam exterriti Lusitani, incitato remigio ad ipsa eorum munimenta accesserunt. Atrox ibi & ambiguum aliquandiu certamen fuit, dum conferti & obtuxi corporibus Mahometani, Lusitanos descensu prohibere nituntur, sed postquam impetu ex omni parte capto sese Lusitani in mediam aciem saltu mittebant, & dextris gladijsque res geri cœpta est. Tum igitur iniecta formidine pulsi vndique barbari & magna cum cæde præcipitem in fugam auersi sunt. Hoc facto Prorex naues eorum incendi iussit, octoginta ferè tormentis æneis ex incendio ad classem abreptis. Tristis hinc admodum Calecutanæ ciuitati, atque ipsi præsertim Zamorino nuncius aduenit, itaque cum non retentæ quacunque conditione cum Lusitanis pacis & amicitiæ eum indies magis magisque pœniteret, anno tandem 1532. Iacobus Syluería, Proregis iussu Calecutum petijt, vt de conditionibus pacis, cuius haud mediocriter cupidum sese Zamorinus denuo ostenderat, commodius ageret. Vt autem eo peruentum est, immutato repente animo barbarum, nouis aliorum fœderibus illigatum, & à societate Lusitana prorsus alienum offendit. Ne igitur impunita ea leuitas esset, ignem Sylueria tectis immitti, & oppidanos, qui ad extinguendum accurrerent, tormentis è classe impeti iussit, vnde ducenta plus minus ædificia deleta, & damnum Calecutanis non exiguum illatum est.

Lusitani incendium Calecuti faciunt.

Cum

Calecutanũ regnum, subtracto ei negotiatione concidit.

Cum igitur crebro à Zamorino ludificati Lusitani, formam apud eum amicitiam quærere & sperare se non posse viderent, relicto plane Calecuto, Cocinum & alias Malabaricæ oræ ciuitates ad negotiationem inuitarunt. Vt autem ab iniurijs Mahumetanorum atque reliquorum Calecuti Incolarum, eò tutiores essent, arcem in vicinia aliquam extruẽdam cẽsuerunt. Prorex igitur Nonnius Acunia quamprimum prouinciam aggressus esset, ad Cialẽ cum classe profectus est. Locus is vltra Calecutum duas leucas, apprimè nobili & nauigabili æstuario impositus, perquam opportunus erat ad Arabum infestanda commercia & Zamorini consilia exploranda conatusque opprimendos. Quare Prorex absque vlla cunctatione, quieto interim Calecutano, neque ad impediendam ædificationem auso inire certamen, arcem ibi egregiam opere militari paucis diebus extruxit, parte agri cum palmetis à Rege Cialensi præsentibus nummis coëmpta, & Rege ipso, ne Zamorini vim extumescere necesse haberet, in fidem & societatem acceptus est. Hinc igitur regnum illud planè iam subtracta negotiatione concidit, estque inter Malabares hodiè vilissimum, contra verò Rex Cocinus, & possessionibus & opibus Zamorinum longe superat, & Dominum suum eum amplius non agnoscit.

CAP.

CAP. XXIX.

DE COCINO MALABARICAE REgionis regno altero, & rebus à Lusitanis ibidem gestis.

COcinum à Calecuto leucas triginta ferè in meridiem distans, quadraginta leucas oræ maritimæ complectitur. Fratè ante Lusitanorum aduentum Calecutano Regi tributarium, sed Portugallensium auxilio, diues admodum & potens factum, in libertatem se asseruit. Regia vrbs eiusdem nominis ad ostium Magates fluuij sita est, quæ à mari introrsum æstuante, in peninsulæ formam cingitur. Estque insigne emporium, cuius ædificia à Calecutanis non differunt, quemadmodum nec incolarum mores, ager tamen vrbis Indicarum frugum & aromatum, præsertim verò piperis longe fertilior est. Portum habet tutissimum & multos incolas, quorum permulti Mauri sunt superstitionibus Mahometicis dediti, quidam verò ex reliquijs Diui Thomæ Apostoli ibi supersunt. Sed & Indi ad fidem Christianam nuper conuersi, & Lusitani gentilibus permixti ibi inueniuntur.

Cocini regni descriptio.

Quo tempore Capralis suorum cladem ad Calecutum vltus erat, quemadmodum superiori capite dictum, ad Trimumparam Cocini Regem sese contulit. Is cum alijs de causis, tum quod monopolio Calecuti instituto, mercaturam à suo cæterisque regnis penè per vim auerterat, Zamorino clam infensus erat. Accedebat metus è nimia Zamorini potentia & propinquitate

Cocini Rex Lusitanos in amicitiam libenter admittit.

quitate, cui se & reliquos Malabaricos Reges multis nominibus videbat obnoxius, liberari igitur à potentia & iugo eius vehementissimè quidē exoptabat, sed rationem qua id fieret ignorabat Capralis cum è regione Cocini iactis anchoris constitisset, se quidem aut suorum aliquem incolis credendum, minimè existimauit, sed quendam ad Ecclesiam nuper adscriptum tentandi fœderis & amicitiæ causa ad Trimumparam ablegauit. Rex qui de Lusitanæ gētis opibus & rei bellicę gloria, deque rebus cū alibi tum ad Calecutum gestis multa inaudisset, iam ante in eius nationis admirationem ac beneuolentiam excitatus, oblatam eius amicitiæ facultatem auidè arripuit. Datis igitur vltrò obsidibus nobilissimis, mira liberalitate de commercij legibus cum Caprali decidit, & singulari diligentia ac sedulitate per ministros suos, æquo admodum precio, mercibus Indicis, aduenarum naues quamprimum onerandas curauit, procuratoribus Lusitanis domicilio in suo regno multa cum beneuolentia attributo.

Calecutanus Rex Lusitanorum causa Cocinensi Regi bellū infert.

Interea Zamorinus varijs artibus atque fallacijs Lusitanos iterum ad se pellicere & circumuenire conatus, cum nihil ei procederet, Trimumpare per literas & nuncios rogando minandoq;, suadere etiam atque etiam institit, vt Lusitanos sibi proderet, vel certe ex finibus suis in perpetuum exterminaret, cui tam impotenti postulato, ipse respondit, se nullis neque promissis neque terroribus adduci posse, tantum vt facinus committat, iusque naturę

simul

simul & gentiũ violet, si quid à se petat, quod salua honestate præstare possit, id vero se libenter ipsius causa vel cum damno suo facturum. Hoc responso vehementer irritatus Zamorinus, tam in Trimumparam quam in Lusitanos grassari constituit. Ac egregij quidem scelerum omnium artifices Mahometani, impellere eum non cessarunt, vt Trimumparæ bellum inferret, ac quoniam preces minæque parum prodessent, vi armisque ad Lusitanos tradendos hominem cogeret. Exercitum igitur quinquaginta millium armatorum ad Pananem, sedecim leucas à Cocino distantem vicum coëgit. Huius tantæ molis nuncio Cocinum allato, populus primum fremere cœpit aduenarum sese gratia in capitis & fortunarũ discrimen adduci, Principes vero & dynastæ, Trimumparam supplices hortati sunt, cederet tempori, & voluntati Zamorini satisfaceret, cumque Trimumpara, id obfirmata mente constanter facturum sese recusaret, plerique desperata re, ad Zamorinum vna cum amicis & clientibus transfugerunt. Interea Lusitani qui Cocini versabãtur, de sua & Regis optimi salute solliciti, ab eo magnoperè petierũt, vti se ad Cananoris Regem nauigare permitteret, quibus ille respondit, bono animo essent ac diuinæ prouidentiæ fiderent, de profectione vero minimè cogitarent, se enim nõ permissurũ, vt quos semel in tutelam atque amicitiam recepisset, ij se viuo & consentiente ad alienam opẽ supplices cõfugerẽt. Simul igitur quãta potuit celeritate, copijs ex vniuerso suo regno

contractis, oportuna loca præsidijs firmauit, fossas repurgauit, & nouas circa vrbem munitiones vallumque perduxit. Cæterum cum acrius instanti Zamorino resistere tandem non posset, nihil habuit prius antiquiusque quam vt Lusitanos eorumque res omnes à cædis & direptionis periculo eriperet. Vaipinũ est insula Cocino proxima, sacri & inuiolati apud barbaros soli, ac præterea situ & operibus munitissima, in eam insulam Lusitanos cum eorũ opibus raptim transferendos curauit, deinde cum egregia manu armatorum subsecutus ipse celeriter est, vt si minus loci religione, certè munimentis armisque hostem arceret. Zamorinus igitur haud segniter vsus victoria, Cocinum penetrauit, vrbem iniecto igne vniuersam incendit, & Vaipinum cõtempta religione, haud semel sed frustra aggressus est, donec aduentante iam hyeme in proximum ver bellum differre cogeretur.

Cocinũ igne vastatum.

Interea ne Trimumpara Cocinum repeteret, castella in vrbis ruinis nonnulla excitauit, & cohortes aliquot in eo præsidio statuit, iamque rebus tam secundis elatus ac tumidus, Calecutum ad gratias fictitijs manibusque Dijs agendas reuersus est. Cum è Lusitania subito laborantibus admodum Franciscus Albuquercius adfuit, omnibus belli adiumentis instructus. Is igitur Vaipinum rectà contendens, Trimumparam Emmanuelis Lusitaniæ Regis nomine, tum verbis amicissimis erectum animatumque, tum ad regiam tuendam personam præsenti pecunia subleuatum, cæso & fugato

Cocini Rex à Lusitanis in vrbem suam iterũ restituitur.

Cal-

Calecutano præsidio in regnum Cocini summa omnium gratulatione restituit.

Ab hac expeditione maximo gaudio & infinita gratiarum actione à Trimumpara exceptus, pro amicitia petijt, vt quoniam inter eas nationes adeo infesta ad eum vsque diem Lusitanorum vita fuisset, castellum ad eorũ corpora & res tuendas ædificare sibi Cocini liceret, quod Rex adeo prolixè liberaliterque cõcessit, vt è suis etiam palmetis, quoniam cæmenta non suppeterent, præcipua firmitate materiem in eam ædificationem excidi quamprimum iusserit. Deinde loco inprimis idoneo area dimensa, & inchoato iam opere, dudum expectatus è Lusitania Francisci patruelis Alphonsus Albuquercius aduenit. Eius aduentu Lusitanis Indisque certatim insudantibus, breui consummatum castellum, & in eo templum Diuo Bartholomæo dicatum est. Eo munimento præfecto preces a Lusitanis habitæ, & cum arx ipsa, tum in ea templum etiam precatione solenni à sacerdotibus anno 1503. consecratum est.

Arx & templum Cocini à Lusitanis constructa.

Magna fuit autem Cocini, nondum condita Lusitana ciuitate, rerum hominumq; colluuijs. Nam sub eodem tecto misti Christianis Mahometani Ethniciq;, nullo discrimine degebant viri ac mulieres, multaque passim flagitia & fraudes committebantur. Huic malo occurrendum ratus Albuquercius, cum Rege transegit, vt certo limine Malabaricam à Lusitana commoratione dirimeret. Id vbi factum, capitali pœna proposita, omnes sexus vtriusq; homines qui à Christiana religione abhorrerent

Lusitani vrbem Cocini pro Christianis condunt.

rent è finibus Lusitanis dimigrare iussi sunt, quæ res non ad purgandas modo ędes & domicilia, sed etiam ad augendum numerum fidelium valuit, quandoquidem eo edicto permoti circiter quadringenti, abiecto idolorum cultu, sese ad Christianam Ecclesiam sponte sua aggregarunt. Vrbis huius Lusitanæ partem, quæ ad mare vergit, Lupus Vasæus, qui circa annum 1528. Proregis munere functus est, mænibus turribusque armauit, aliaque non pauca peroportunè ad eas munitiones adiunxit.

Cap. XXX.

De Cananore, Cranganore, Cou-*leto & Coiano regnis Malabaricæ regionis reliquis.*

Cananoris regni Malabarici descriptio.

CAnanor regnum, decem ferè à Calecuto leucis, à Cocino vero quadraginta in septentrionem abest, leucas oræ maritimæ tantum viginti capit, portu inprimis capaci & tuto, vnde vrbs eius nominis mercaturæ admodum oportuna existit. Ager eius plurimis concisus æstuarijs fluminibusque zingibere, pipere, myrabalanis, cardamomo, casia & alijs aromatibus affluit, tritici tamen & oryzæ aliorumque fructuum expers est, verum cum nauigia vbique admittat, incolæ oryza importata vti ad societatem possunt. Vescuntur præterea piscibus & carnibus, quibus regio abũdat. Aedificia habent, qualia Malabaribus reliquis sun

sunt in vsu, Rex vero inanium Deorum simulachra colit, Brachmannica disciplina & sacris initiatus vt reliqui.

Tempore illo quo Capralis ad Cocinum hærebat, legati à duobus finitimis, Colani nimirum & Cananoris Regibus aduenientes, ei, si ad eorum portus commeare vellet, commercium & amicitiam longe optimis conditionibus detulerunt Capralis autem conditiones illas, propterea quod cum Trimumpara, Cocini Rege bona fide iam transegerat, in præsentia repudians, animum & voluntatem accipere se, & libenter vtriusque propensioni & officio testimonium in Lusitania daturum, respondit, Cananoris tamen Regem, quod multo enixius egerat, constitutis Cocini rebus, in reditu sibi adeundum putauit, ab eoque Oratorem & Emmanuelem Lusitaniæ Regem accepit, & vsurpandi magis commercij amicitiæque causa, quam quod nouis oneribus multum loci superesset, complura frugum Indicarum pondo ibi coëmpta, secum in Lusitaniam transportauit. Orator ille Regi Emmanueli acceptus admodus & gratus aduenit, qui eum sequenti statim anno cum Vasco Gamma, ad Regem suum iterum literis & muneribus amplissimis instructum, remisit.

Cananoris Rex legatos ad Capralem & cum eo ad Lusitaniæ Regem mittit.

Anno 1505. Franciscus Almeida, Cananorem profectus, summa cum Regis voluntate, ad tuenda mercimonia arcem oportuno admodum loco construxit & præsidio firmissimo muniuit, templo Mariæ virgini victrici in ædicato.

Arx & templum ad Cananorem extructum.

Lusitani à Rege Cananorensi grauiter oppugnati.

Per eos forte dies temerarium aliquod Lusitani cuiusdam factum, ingens in Lusitanos odium accendit. Occuparant iam Lusitani Aethiopici Arabicique & Indici maris possessionem, tam pertinacibus animis, vt nemini prorsus nisi ex eorum autoritate, & quidem patentibus cõsignata literis, ea nauigare maria permitterent. Cum autem Duces in eam rem constituti essent, qui totam eam oram nauiũ præsidijs tuerentur, ex ijs vnus, Malabaricum fortè mare pererrans, in nauem Cananorensem incidit. Cæterum Calecutanos esse homines, & prolatum à nautis Lusitanicum diploma falsum surreptitiumque suspicatus, nauem expugnauit, nautasque & vectores, inter quos vnus ex prima nobilitate erat, in velum insutos, haud longè à portu Cananoris in mare demersit. Verum disrupto mox linteo, cum nota ciuibus corpora ad ipsam vrbem mare eiecisset tanta ciuitatem repente comploratio luctusque compleuit, tantæque in eius facinoris autores, quos haud leuibus argumentis Lusitanos fuisse coniecerant, excitatæ sunt iræ, vt Regem adeuntes, inclinatum iam per se eius animum perfacili negotio ad oppugnationem arcis impulerint. Itaque fossa valloque à portu ad apertum mare perducto, Rex oppidum ab arce separauit exiguo ad procursationes transitu relicto. Laurentius vero Brittus arci præpositus vbi de barbarorum consilijs per exploratores cognouit, accersito statim ab Almeida Prorege commeatu & auxilio, stationes disposuit, & spectantia præsertim in vrbem propugnacula, nouis munitionibus diligenter instaura

staurauit, donec tandem à Calecutensi expecta ta auxilia Cananorensis accepit, tum enim oppugnandi statim initium factum est. Puteus erat inter oppidum arcemque medio fere loco, vnica Lusitanorum aquatio. Circa eum puteum prælia subinde, prohibentibus aquatores hostibus facta sunt, cumque ex Lusitanis aliquot fermè quotidiè caderent aut vulnerati discederent, architectus quidem Lusitanus, specum subterraneo opere ad ima putei occultà perduxit, locumque ita concamerauit, ne quid supernè larices vlla ratione posset inficere, Deinde per speciem aquandi, eruptione facta, puteum Lusitani ne hostibus vsui esse posset, obturarunt. Simul etiam Brittus cum delecta manu portis erumpens, dissipato ac territo hosti acriter institit, stragemque non minimam edidit. Barbari omissa oppugnatione munitionibus Lusitanos claudere cæperũt, vt nihil commeatus in arcem subuehi posset, clausis itineribus & hyeme præsertim per eos dies admodum sæuiente. Hinc omnibus pene consumptis ad extremam in arce ventum est inopiam, ita vt neque muribus, neque fœdis animalibus alijs abstineretur. Appetente autem vere cum Cananoris Rex de auxilio Lusitanis mittendo non dubitaret, anteuertendum ratus oppugnationem rursus omni conatu fieri iussit. Atrox igitur prœlium fuit, scandentesque iam vallum pluribus locis audacissimi quique Malabares Cominus trucidati sunt, strage longè maxima tormentis eminus facta, vnde vniuersa tandem Barbarorum acies fugam arripere coacta est.

Lusitanorũ in arce Cananorensi inopia.

Cananoren-sis Rex cum Lusitanis in gratiam redit.

Finis hic oppugnationis fuit, ingenti enim barbarorum numero passim interfecto, de pacis postmodo conditionibus agi cæptum; quas Laurentius quidem Brittus sibi suisque perhonorificas tulit, Cananorensis vero Rex, partim diuturni belli tædio fessus, partim etiam Acuniæ Proregis, qui per eos dies Cananorem cum classe aduenerat, metu perterritus, reijcere non est ausus. Renouato igitur fœdere, obliuio præteritorum indicta, iunctæque iterum dextræ & Malabares in suas quisque domos digressi sunt. Puteum porro istum, de quo durante obsidione vehementer dimicatum fuisse diximus, Vasæus postmodum perducta fossa, castelloque ad ostium fossæ excitato, intra munimenta complexus est, domoque præfecti ampliata, labefactata arcis mœnia refici curauit.

Arx Cananorensis reparata.

Cranganoris regni descriptio.

Cranganor regnum exiguum est, cuius vrbs eiusdem nominis ad ostium fluuij posita cernitur, qui suo tortuoso inflexu agrum vicinum frugiferum & mercaturæ per quam oportunum reddit. Non longe à Cocino distat, & incolas habet ex vetustissima illorũ stirpe superstites, quos beatus quoandam Apostolus Thomas ad Christianam religionem à Brachmanorum fabulis & impura superstitione traduxit. Is enim in orbis terrarum distributione Indiam sortitus, Socotoram Arabici maris insulam, fertur adijsse primum, deinde multis ibi Christianis factis, Cranganorem traiecisse, inde cum multos Christo filios peperisset, Colanum petijt. Hinc trans iuga montium ad oram orientalem ingenti labore contendit, &

Thomæ Apostoli vita & mors.

Eccle-

Ecclesiam Christo inter barbaros florentem admodum constituit, donec à Brachmanno quodam in Coromandelis regno, dum sacris intentus precibus Deum pro salute hominum, & eius potissimum populi deprecaretur lancea transfossus occubuit.

Quo tempore Vascus Gamma, Oratorem quem Cananorensis Rex ad Emanuelem Lusitaniæ Regem misisse diximus, Cananorem reduxit, renouatoque cum eo Rege fœdere, Cocinum sese contulit, Thomistæ illi habito inter se consilio legatos ad eum destinarunt, quorum hæc summa orationis fuit, se & vetustissimos Christi famulos esse, & hoc ipso Lusitanici nominis cupidissimos, multa autem à barbaris indigna quotidiè pati, petere igitur & orare, vt Emanuelis Regis nomine, se suaque omnia in patrocinium & fidem recipiat. Sub hæc, deditionis insigne, sceptrum argento decoratum Gammæ supplices detulerunt, quos ille benigno vultu comiter & amicè complexus, bono animo esse iussit, mandatum sibi inprimis à Lusitaniæ Rege affirmans, vt Christi fideles, quotquot in illis locis superessent, omni ope & auxilio subleuaret, nondum sibi id quidem per Calecutanorum insidias & quotidiana vitæ discrimina licuisse, ac ne tum quidem ob temporis angustias sibi licere. Cæterum quæ prima se occasio datura sit, enixè curaturum sese, vt non sine causa Christiani omnes in Regum Lusitaniæ pietate opibusque certissimum suæ saluti commodissimque præsidium esse constitutum intelligant.

Thomistæ Cranganorenses Lusitaniæ Regi Emanueli se submittunt.

Interea si qua necessitas incideret grauior, ad Lusitanum eos præfectum, quem firmo cum præsidio in India relicturus esset, confugere iussit, & honorificè legatos à se iterum dimisit.

Cranganorē vrbem, Lusitani igne deformant.

Circa annum 1506. Zamorinus Calecutanorum Imperator bellum aduersus Lusitanos terra marique reparare instituit, & ad vrbem hanc Cranganorem, terrestres naualesque copias intentione delectu habito contraxit. Eius rei fama Cocinum allata, Lusitani circiter mille confestim eo profecti, recens ædificata à Zamorino nauigia primum expugnarũt, rei maritimæ præfecto, cum duobus filijs interempto, deinde exscensione facta, eodé impetu peditatum etiam fugarunt, & ignem Cranganori oppido iniecerunt, Christianorum tamen domibus, & præcipuè sacris Mariæ Virginis & Apostolorum ædibus parcentes.

Couleti regni Malabarici descriptio

Couletum regnum leucas 50. à Calecuto distat, portum habens, qui curuo in theatri modum & in accliui littore est, vt iacula inde de certis in omnem partem ictibus dirigi cõmode possint. Rex eius idola colit, nec admodum diues est, Incolæ vero habitu, moribus, & cœli temperie, parum à Calecutensibus differunt, inter quos non pauci Christiani sunt, ex beati Thomæ discipulis superstites. Circiter annum 1523. Henricus Menesius Prorex, cũ Pananem oræ Calecutanæ oppidum expugnasset, confirmato arcis ad Calecutum præsidio, ad hoc ipsum oppidum Couletũ classem quinquaginta nauium duxit, audierat enim ingentem armatorum numerum, ferè ad viginti hominum

Couletum à Lusitanis expugnatũ & igne vastatum.

minum

minum millia eo loco conueniſſe, munitioneſque & aggerem vrbi obieciſſe, vt contra omnes hoſtium incurſiones egregiè tutum videri poſſet. Henricus loci naturam contemplatus, tribus à partibus vno tempore diſtinendi hoſtis cauſa, oppidum aggredi ſtatuit, ſimulq; ſublato clamore à fronte ac lateribus pugnam commiſit. Non autem diu hanc dimicationem barbari tulerunt, quamuis enim pauci quidam coniurati ad extremum vſque ſpiritum acriter obſiſterent, plurimi tamen ſtrage ſuorum perterriti terga verterunt. Henricus igitur in magna barbarorum cæde, & oppido & claſſe hoſtili potitus, totum oppidum ſubiectis, per iram ignibus, vaſtauit, & tormenta plurima cũ nauibus aliquot aromate onuſtis, Cocinum ſecum abduxit.

Colani regni Malabarici deſcriptio.

Colanum regnum 20. leucas oræ maritimæ continet, vrbemque habet eiuſdem nominis, viginti quatuor leucis in meridiem à Cocino diſtantem, quæ cæteris omnibus Indiæ vrbibus antiquitate & opulētia præſtare cenſetur, vnde Calecutum & aliæ Malabaricæ regionis vrbes quaſi coloniæ olim prodierunt. Mercibus autem affluit, & portum habet optimum, incolis idolorum cultoribus habitata, quorũ mores & habitus Calecutanis non abſimiles ſunt, ſed multæ præterea in ea Chriſtianorum veterum ex beati Thomæ diſcipulis, familiæ. Ager frumenta non producit, ſed piper tamen optimum & aromata alia abundè mittit.

Colani Rex amicitiam Luſitanorũ expetit.

Anno 1503. cum Franciſcus Albuquercius Trimumparam à Calecutano oppugnatum in Cocini iterum regnum introduxiſſet, Zamo-

rinumque ad pacem à Lusitanis petendam vi summa compulisset, fama illa permoti Regis Colanensis (qui tum per ætatem regni potens nondum erat,) tutores, missis ad Lusitanos legatis, fœdus & amicitiam eorum petierunt. Lusitani eo libentius ipsis dextras iunxerunt, quo maiores in omnem partem opportunitates habere visa res est. In fœdere autem illis maximè prospectum est, quos ex beati Thomæ schola superstites ibi habitare diximus, illi enim multis & grauibus iniurijs liberati sunt, illorumque fortunis & dignitati maximè consultum est. Instituta communi consensu amicitia, tabulisque commercij ritè confectis, domicilium Lusitanis in vrbe Colano tributum est, statimque negotiatores cum scribis & custodibus & eo commigrarunt. Non diuturna autem ista conuersatio fuit, exacto enim vno atque altero anno, negotiatores isti, contracta temerè cum incolis & Arabibus rixa, ad vnum omnes interempti sunt.

CAP.

CAP. XXXI.

DE ANCHEDIVA ET MALDIVA, sinus Cambaici insulis.

INnumeræ ſunt in mari Indico & Cambaiæ ſinu inſulæ, quarum præcipuæ ſunt Dium & Bazainum, de quibus per occaſionem iam ſupra in præcedentibus dictum; Anchidiva item & Maldivæ, quarum hoc quidem capite hiſtoriam referre, operæ precium fuerit. Anchediva igitur inſula Concanio ſeu Canarino Indiæ littori obiecta, leucas à Calecuto quinquaginta diſtat, nemoribus, piſcibuſque omnis generis & aquis valde abundans, vt tutam nauigantibus ſtationem exhibeat, vbi & nauibus reparandis & feſſis ex longa iactatione hominibus reficiendis operam dare nauigantes ſecurè poſſunt. Non ignorarunt hoc Vaſcus Gamma & Caprális, quorum iam ſæpe facta eſt mẽtio, itaq; ille quidẽ anno 1499. hic vero anno 1501. ad inſulam hanc appulerunt, caſtellumque ex Emmanuelis Luſitaniæ Regis præſcripto ibi excitarunt, quod tamen poſtmodo, quia validiori præſidio, propter hoſtium propinquitatem indigere videbatur, ab ipſis dirutum iterum & deſtructum eſt.

Anchedivæ inſulæ deſcriptio.

Luſitani arcẽ in Anchediva inſula ædificant, iterumque deſtruunt.

Maldivæ inſulæ Canarino & Malabarico littori obiectæ, à Cori ſiue Comarini Promontorio meridiem verſus ad 140. leucas excurrunt. Numero plus mille cẽſentur, ſed numerari tamen non poſſunt, & aliæ illarũ habitantur,

Maldiuarũ inſularum deſcriptio.

tantur,

tantur aliæ desertæ iacent, terra enim valde humilis est, ad modum Cocini, Cranganoris & aliorum circumiacentium locorum, vnde mare eas plerumque inundat. Affirmant Malabares fuisse eas olim cum continente coniūctas, progressuque temporis, inde maris impetu auulsas esse. Multitudinem autem istam euripi faciunt, adeò angusti, vt alibi, nauium antennę iubas arborum atterere videātur, alibi qui valentiores sunt viribus, ramo quopiam manibus apprahenso, ex vna in alteram insulam saltu se transmittant. Incolæ multis & varijs rebus ad victum necessarijs carent, sed pro ijs tamen omnibus palma ipsis est arbor longe præstantissima, fructum quem Cocos nominant, ferens, Hac non proceritate & pulchritudine solum excellit, sed ad vsus varios tota adhibetur, vt vtiliorem nusquam inuenias. Fructum ipsi Narlem, Lusitani Cocum seu nucem Indicam vocarunt, humani fermè capitis magnitudine & duplici operimento est, quorum exterius leue & molle, canabis instar parandis funibus nauticis conuenit, qui anchoris alligati, fluitantes in mari naues egregiè continent, non tam ab innata duritie vel operis firmitate, quam viriditate ipsa & lentitia quasi quadam, qua sese in altum elato nauigio miram in tenuitatem extendunt, residente vero in crassitudinem contrahunt, quod secus in nostris accidit radentibus, quæ ipsa vi & pertinacia sæpe rumpuntur, Interior autem calix, ruffo colore & globosa rotunditate prædurus in poculum figuratur. Ipsa porro pomi caro, amygdalæ instar, pinguedine quadam & grato sapo-

Palmæ Indicæ vsus & vtilitas multiplex.

sapore lactescẽs, non per se tantum cibum exhibet gratum & salutarem, verum etiam vbi visum fuerit, exhausto lacte, paulatim in oleũ eliquatur.

Nauis cum omnibus quæ in ea sunt ex palma arbore parata.

Cæterum totus racemus, dum ex eo tener adhuc emicat fructus, nodo constrictus àc leuiter incisus, in obdita oris angusti vascula, optimũ instillat succum, ex quo varijs coctionibus, mel seu saccharum, vinũ item & acetum perficitur. Folia librarijs primo pro papyro sunt, deinde tegularum loco domibus ad arcẽdos imbres imponuntur, sed & vestes suppeditant & ad vela siue carbasa à nautis adhibẽtur, quæ facili & spisso contextũ inde connectuntur. Nam vt ad rem nauticã perueniã, vna hæc & eadem arbor omnem nauibus materiã, omniaque instrumenta suppeditat, truncus enim in malũ, asseres, clauosque, folia in vela, exterior nucis cortex, in funes omnium optimos, filaque ad laterum suturas, fissurasque obturandas, præparatur ita vt omnibus iam planè rebus ex semetipsa instructam palmã nauigare, verè dicere possis. Nauem enim ita paratũ onerant mercibus ex eadẽ arbore desumptis, quin & ipsa cibaria, reliquaque in nauibus ad sustentationem vitæ necessaria ex arbore ista peracta atque desumpta sunt.

Incolæ ex importato lino sericoque talares tunicas eleganti opere contexunt, quibus multo quã cæteri Indi corpora sua honestius induunt teguntque. Piscantur etiã palmeis verriculis minuta conchylia, quæ miro splendore & colorũ varietate, apud sionios & alibi, vilioris

oris monetæ vicem ad res parui precij comendas, explent. & apud Hesperios Aethiopes cum rebus etiam charioribus & maioris momenti permutantur. Insularum omnium caput est Maldiva, quæ & emporio frequenti, & aula regia cæteris præstat, & nomen suum reliquis etiam communicauit.

Maldiuarũ Rex in Lusitanorum fidem transijt. Circa annum 1514. secundis Lusitanorum rebus & successibus commotus Maldivarum Rex, in Emanuelis Lusitaniæ Regis ditionem & fidem iure stipendiario sua sponte se contulit. Cumque Ioannes Gometius ad amicitiã eam stabiliendam, & locum munitæ alicuius domus petendum à Sequerã missus esset, res illa magnæ difficultatis non fuit, facile enim ab homine nouis vectigalibus Lusitanorum fortunam augendi percupido, non societatis saltem confirmatio sed castelli etiam designatio impetrata.

Arx à Lusitanis ad Maldivam insulam extructa & iterũ deperdita. Gometius igitur castellum ad mare, cum lapidibus & calce careret, ex lignea materia glebisque raptim extruxit atque muniuit. Verum enimvero cum non tam domus istius quã nominis Lusitani fiducia, vix quindecim armatorum custodia septus, nõ pro inquilino iam & hospite, sed pro tyranno & Domino sese gereret, & commeantes in id emporium peregrinos varijs iniurijs vexaret, repentina Saracenorum conspiratione oppressus, & cum suis omnibus occisus est, castello cum omnibus quæ in eo asseruabantur, à Mahometanis occupato.

(∴)

CAP.

CAP. XXXII.

DE NARSINGAE REGNO, ET VRbibus eius præcipuis, S. Thomæ atque Negapatane.

Occidentalis oræ in inferiori India regiones hactenus a nobis perlustratæ & annotatæ fuerunt. Ad orientalis eiusdem regiones & historiam quod attinet, regna ibi maximè illustria duo reperiuntur, Narsingæ nempe & Bengalæ, Nam quod ad intermedia quædam Delli nempe orixæ & alia attinet, ea extremis quasi hisce contenta, nihil ferè memoratu dignum ad aures nostras remiserunt, & non incommode ad Narsingæ quoque regnum referri possunt, quod inter Comorinum & Guadaverinum promontoria, & inter montem Gates Oceanumque Bengalæ, se extendit, longitudinem iuxta mare 2000. leucarum continens. Sunt qui tantum illud agri continere asserunt, quantnm semestri itinere vix emetiri possis. Inter Asiæ certe regna potentissimum habetur, & rerum omnium affluentissimum, nihil enim in eo quod ad humanum vsum pertinet desideratur. Nam rei frumentariæ, facchari, zingiberis & id genus aromatum aliorum feracissimum est, gossypij autem & serici nullus in vniuerso orbe maior prouentus, vnde nusquam etiam ditiores & opulentiores negotiatores inueniuntur. Incolæ diuersarum nationum, plerique idololatræ sunt.

Narsingæ regni amplissimi descriptio.

Rex

Rex vero, qui à duabus regijs ciuitatibus, Nar-
Regis Narsingensis potentia. singa & Bisnagare, quarum hæc triplici muro
cincta cunctorum mercimoniorum famige-
ratum est emporium, Narsingæ modo, modo
Bisnagaris Rex vocatur, valde potens est, sem-
per enim quadragies mille Naires, siue milites
nobiles, equos vero & elephantos tanta co-
pia nutrit, peditesque tanto numero produce-
re potest, vt in bellum profecturus, sæpe 30.
leucarum spacium occupare exercitus eius
perhibeatur.

Vniuersus hic tractus Lusitanis Choroman-
Meliapor Narsingæ vrbs S. Thomæ prædicatione & miraculis clara. del vocatur, cuius caput & regia sedes Melia-
por quondam dicta est, beati Thomæ Apostoli
prædicatione morte & sepultura percelebris.
Amplissima autem fuit, ita vt præter alia ædi-
ficia, trecentæ & amplius variarum nationum
mansiones ibi numeratæ sint. Verum enimve-
ro solo æquatam desolatam & in ruinis iacen-
tem Lusitani postmodo inuenerunt, moxque
deducta eò militum emeritorum colonia, fre-
quentarunt, & mutata appellatione honoris
Apostoli causa, à Sancto Thomę denominarūt
In ea vrbe sacellum olim extruere aggressu
Apostolus, cum à Dæmonum sacrificulis & Re-
ge ipso prohiberetur, miraculum insigne ac-
cidisse, Indi non è fama solum sed ex veteribu
etiam annalibus narrare vulgo solent. Id ve-
ro ita se habet; Inusitatæ magnitudinis trunci
mare ad littus eiecerat, quod eo tempore leu
cas ferè decem ab vrbe distabat, qui naues qui
dem accessu prohibuit, & damnum Regi non
parum dedit. Ad eum remouendum cum &
homines plurimi & Elephanti frustra adhibi
ti essent

ti essent, Thomas quidem Regem accedens, si lignum illud ad sacellum vero Deo extruendum dare vellet, nullo mortalium adiutore sese protinus ad vrbem illud pertracturum pollicitus est. Cum igitur Rex, insanire videlicet hominem ratus, per ludibrium annuisset, ipse Zona qua præcinctus erat, ad prominentem ex ligno ramusculum annexa, facili ductu sequentem truncum, in ipso pomœrio statuit, ibidemque defixa lapidea cruce, vaticinatus est, cum ad eum lapidem pertingeret mare, tum diuina voluntate, ex remotissimis terris candidos homines, ad eadem quæ ipse profiteretur sacra instauranda venturos. Neque fefellit prædictio, siquidem sub Lusitanorum aduentum, occultis tot annorum accessibus, locus iste Oceano demum allui cœperat.

Anno Christi 1522. cum Emanueli Lusitaniæ Regi piè defuncto, Ioannes successisset, illud inprimis curauit, vti studium Christianæ religionis antiquissimum sibi esse cuncti perspicerent, itaque vt in Lusitania salutariter in eo genere multa decreuit & per literas Eduardo Indiæ Proregi mandauit vti cultui diuino prospiceret & nominatim Beati Thomæ sepulchrum in Coromandelio littore peruestigandum curaret. Eduardus igitur, Emanueli Friæ, Coromandelicæ oræ præposito id negotium dedit, qui cum Sacerdotibus aliquot & architecto Meliaporem profectus, æquatam solo ingentis amplitudinis vrbem offendit, in qua paucæ tantum pyramides, turresque & columnæ miserabili è strage superérant, nec non varij coloris lapides, qui antiquum vrbis ornatũ

D Thomæ Apostoli ossa in ciuitate Meliapore inuenta.

ſatis arguerent. In ijs verſabantur operoſa magnifici cuiuſdam templi veſtigia, vno tantum ſuperſtite ad orientalem plagam ſacello. Cum igitur in eo latere Apoſtoli oſſa incolæ pro certo affirmarent, primum omnium ſarcire ipſum ædificium placuit, quod teſtudinis pondere preſſi parietes; aliquot locis vitium feciſſent. Ad eos ergo fulciendos ac renouanda fundamenta, conductis è vicino operarijs dum effoditur humus, apparuit primum loculus lapidea tabula tectus, in quam ab interiore parte, inciſæ priſca gentis lingua, (vti à peritis cognitum eſt) literæ, teſtabantur, templum id à beato Thoma Apoſtolo quondam extructum, eique colendo & tuendo, mercium quæ ad vrbem importarentur decimam partem à Sagamo Rege attributam eſſe. Acceſſerat obteſtatio ad poſteros, ne quid ex ea donatione imminutum vellent. Paulo infra eam tabulam, ipſius Regis, (vti ex priſcorum traditione Indi aſſeuerabant,) cadauer inuentum. Altius deinde molientibus terram, quadratum, primo lateritiæ & deinde lapideæ ſtructuræ ſeptum apparuit, multiplici operimento, pedum circiter nouem altitudine. Ibi quod ſepultum haud dubiè corpus Apoſtoli dicebatur eſſe, adhibiti ad amouendum operculum Luſitani duo, locum aperiunt. Immiſta calci & arenæ candidiſſima ſpecie oſſa, & appoſita lanceæ cuſpis cum baculi viatoris fruſtulo & vaſe fictili, fidem inuenti iſtius theſauri Luſitanis fecerunt. Oſſa hæc in arcam argenteam eximij operis incluſa, cum templum à Luſitanis reſtauratum eſſet intra ipſam aram occulto loco repoſita,

posita, tandemque Goam, vt suo loco dictum est, cum magna solemnitate translata sunt.

Ciuitas Sancti Thomæ à Lusitanis extructa, pulchritudine sua omnes eius regionis alias superat, habetque ædificia optimo ordine ita disposita, vt plateas pulcherrimas constituant. Tribus item primarijs templis insignita est, primum vocatur ad Sanctum Thomam, estque longè pulcherrimum, & à Capitularibus quibusdam possidetur. Alterum ad sanctum Franciscum à monachis Capucinis tenetur. Tertium vero ad sanctum Ioannem Baptistam, Iesuitæ & alij ex Paulinorum ordine hodie obtinet. Templum hoc ante paucos annos absolutum lacunari siue tigno carebat, & propterea tecto stramineo cooperiebatur. Accidit autem vt lignum aliquod in formam tigni fabrefactum à fluctibus maris mirabili modo in ipsum portum propelleretur, itaque cum ea longitudine esset, vt à capite ad calcem tecti pertingeret, & quasi summo studio ad hūc vsū destinatū videretur, eo secundum longitudinem aliquoties dissecto, & ad tectum adhibito, templum tandem absolutum est. Dum autē dissecando huic ligno operam darent, tantus fœtor, quem ab aqua marina lignum hoc contraxerat, naribus astantium est obiectus, vt moram ibi nectere diu nemo posset; quod ipsum quidem argumento erat, longo iam tempore lignum hoc in mari oberrasse, & vel ex longinquis locis ad portum istum à fluctibus delatum esse. Itaque multi ex fidelibus, veritate rei cognita, Christianam religionem amplexi sunt, & baptizari se curarunt. *Ciuitatis S. Thomæ descriptio.*

Hortos habet ciuitas pulcherrimos, ſed multis ventis expoſita eſt, quibus mare ſubinde ita eleuatur, vt vel ædificia proximiora deſtruat & abſorbeat. Alioquin tantam profunditatem non habet, vt ad littus appellere naues onerariæ poſſint, ſed neceſſe eſt vt minorum nauigiorum opera in deuehendis reuehendiſq; mercibus negotiatores vtantur, quæ quidem regere & moderari nautæ tanta dexteritate ſolent, vt inter medios fluctus quam celerrime littus aſſequantur, quo facto in arenam fortiter propelluntur, vt damnum à tempeſtate accipere nullum poſſint, nam & nautarum aliquis in puppi conſtitutus, vbi tempeſtatem ſolito maiorem ingruere videat, funiculum naui adhærentem corpori ſuo alligat, ſeque ita demittens, nauiculã in media aqua retineret, ne ſubuerſa fluctibus naufragium faciat.

Negapatanis ciuitatis Narſingæ deſcriptio.

Eſt in hoc regno ciuitas adhuc alia Negapatan dicta, ad Luſitanos pertinens, tametſi varijs interim nationibus ſimul habitetur. Munita eſt à Luſitanis non ita pridem inſigni propugnaculo, ad præcauendam ſeditionem & tumultus à Rege Negapatan excitari ſolitos, qui in locis mediterraneis habitans, amicus quidem Luſitanorum videri vult, ſed defectionem tamen ab illis haud raro molitus. Multa ibi templa, & inter alia etiam monaſteriũ quoddam Ordinis S. Franciſci viſitur. Regio ipſa oryzam tanta copia profert, vt incolæ ſuis nauigijs eam ad alia etiam loca tranſportare ſoleant. Nauigia iſta deuehendis & reuehendis mercibus deſtinata non ſunt vniuſmodi ſed varia, ex rotundis tamẽ lignis omnia compo-
ſita

sita & funiculis colligata, habentia ab vtroque latere remos quatuor, quibus impellantur. Ciuitas ipsa rebus necessarijs omnibus abundat, pane tamen destituitur, cum frumentum vnde ille conficiatur, regio ista nullum ferat, vt oryza contenti esse homines cogantur. Texitur in hac ciuitate tela bombycina, miro artificio picturata, filo subtilissimo, deportaturque ad alia Indiæ loca, vtuntur enim illis passim ad succinctoria & femoralia paranda, quæ ab vmbilico ad femora vsque demittuntur, eleganti admodum & pulcherrimo aspectu.

Populus idololatricis cultibus passim deditus est. Legem habent qua Viduæ mulieres defunctis maritis suis superesse prohibentur, itaque ad foueam quandam candentibus prunis repletam, in sella sedentes mulieres gestare solent, vbi cum varijs gesticulationibus sese oblectarunt, & canendo saltandoque horam vnam atque alteram exegerunt, deposito tandem vestitu eoque inter amicos variè distributo, linteo inuolutæ, in ignem præcipitantur, ligno sandali & alijs bene olentibus superiniecto. Regè eius loci defuncto, omnes mulieres, quotquot in aula eius reperiuntur, hac sibi ratione mortem consciscere solent. Est in ciuitate hac currus quidam octo rotis insistens, auro vndique obductus & mirum in modum eleuatus, in cuius summitate collocatum est idolum aliquod cupreum inauratum, quod incolæ eius loci Pagodem vocant, currus autem ipse multis gradibus siue subsellijs conspicuus est, in quibus viri quidam sedent, qui sacrificulorum instar idoli huius curam agunt, &

Mulieres Negapatanenses defuncto marito suo seipsas in ignẽ præcipitant.

Pagodes idolum apud Negapatanenses.

ſuſtentationem ſuam inde accipiunt. Sed & meretriculæ aliquot currui huic inſidét, quæ corpore ſuo quæſtum facientes, quicquid præter ſuſtentationem ſuam lucrantur, idolo huic offerunt, vnde meretriculæ Pagodis vulgo vocantur. Vtrique autem tam ſacrificuli ipſis Giochi dicti, quam mulierculæ à parentibus ſuis ex nimio pietatis zelo à primis incunabulis idolo huic deſtinantur, cumque adoleuerint, non ſolum libidinibus ſeſe impunè polluunt, ſed & hominibus alijs incitamento ſunt, vt ſobolem ſuá idolo huic largiantur. Iuxta currum hunc primarij quique, pedites incedunt, cumq; ab hominibus currum iſtum protrahi neceſſe ſit, quilibet ex nimio pietatis feruore progreſſum eius promouere conatur, beatum ſeſe exiſtimans, ſi vel currum protrahere, vel funiculum ſaltem contingere ſibi detur, nam quo feſtum ſolennius eſt, eo præſtantiores viri ad currum hunc protrahendum adhibentur, eſtque tum feruor pietatis in populo tantus, vt vel in viam ſe proſternant, & currum hunc per corpus ſuum tranſire patiantur. Cultus hic idololatricus infinitis vrbem hanc meretriculis impleuit, nam vt alias non dicam, locus quidam in vrbe eſt, ab honeſta conuerſatione diſcretus, vbi plus quam quadringentas habitare meretrices videas, quæ quæſt⁹ ſui meretricei partem idolo huic largiuntur & offerunt, edoctæ nimirum ita & aſſuefactæ à paréntibus ſuis, vt cultum hac ratione idolo huic gratiſſimum ſe præſtare exiſtiment.

Meretrices ſacræ in Negapatan.

Cæterum nobiles huius ciuitatis & digni-

tate

tate diuitijsque præ cæteris pollentes, quamuis Ethnici sint, Franciscanis tamen monachis sustentationem suam præbent, quemadmodum etiam illis qui in ciuitate sancti Thomæ reperiuntur. Et sane quos reditus clerici in duabus hisce ciuitatibus habent, eos maxima ex parte Ethnicis acceptos referre coguntur, qui licet infideles sint, in honorem tamen & recordationem Apostoli Thomæ, qui multis ibi miraculis, vt supra dictum, claruit, successores & fratres eius Canonicos, modis omnibus iuuant & promouent.

Canonici reditus suos ab Ethnicis habent.

Non procul ab hac ciuitate vrbs alia abest, quam Castam vocant. Huius incolæ in more positum habet, vt si forte vir aliquis moriatur, sepulchrum ei satis amplum & profundum parent, cumque defunctum illum in foueam intulerint, collocant iuxta eum vxorem eius viuam, moxque terra foueam opplent, & pedibus super eam prosiliunt, ne forte ex sepulchro iterum egrediatur, sed cum viro suo manere inibi cogatur. Qui Pagodis idoli ministerio sese adiunxerunt, vbi satis diu in voluptatibus & libidinibus, quasi sus in cœno sese volutarunt, variè seipsos discerpunt, & carnis suæ particulas sagittis alligatas in auras ei aculantur, donec tandem manus sibi violentas inferentes gulam præscindant, seque ita in sacrificium Pagodi seu idolo isti offerant.

Vxores cum defunctis maritis suis viuæ sepeliuntur.

Homines idolis seipsos immolantes.

Sunt præterea aliqui, qui cum animaduertũt vitæ suæ terminum instare, accipientes arma

ſua vrbe egrediuntur, & obuium quemq; trucidant, donec & ipſr ab aliquo interficiantur.

Festum pœnitentiæ.

Inter feſta quæ non pauca per annum celebrant, vnum in autumno maxime ſolenne habent. Tunc enim arborem in terram defodiũt, & inſtar mali cum antenna erigunt, duobus ad antennam iſtam retinaculis ferreis alligatis. Qui igitur vel ægritudine vel alijs calamitatibus ſuperiori anno vexati, votum aliquod pro calamitatis illius mitigatione & valetudinis recuperatione Pagodi fecerunt, iamque pœnitentiam acturi, votoque ſuo ſatisfacturi accedunt, admonentur primum à ſacrificulis, vt ſacrificium idolo offerant, quo facto ſacrificuli retinacula iſta ferrea demittunt, apprehenſoſque in vtroque humero, in altum attrahunt, vbi complicatis manibus, pectus ſuum ter percutere, idolum ſalutare, & armis quæ in n: ri bus tenent, et ludum aliquem exhibere coguntur, ſanguine interim ex vulneribus illis largiter promanante, quo gratitudinis ſuæ teſtandæ cauſa, arborem Pagodis poſtea aſpergunt, vt voti ſui compotes fiant.

Festum candelarum.

Sed & aliud feſtum habent quod nocturno tantum tempore celebrant, idque per octo noctes continuas, vbi candelæ plurimæ per plateas accenſæ cernuntur, & qui Pagodi ſacrificium offerre decreuerunt, à capite ad calcem plateæ currentes, oryzam & cibos alios poſt ſe trans caput ſpargunt, nullo modo retroſpicientes ne ab inſequente & veſtigia ſua legente Pagode vel Cacodæmone appræhenſi interficiantur. Peracto hac ratione ſacrificio, bacchanalia v:uunt,

& ex-

& explendis libidinibus suis, studiosè admodum & strenuè incumbunt.

Cæterum cum Narsingæ Rege circa annũ 1520. Lusitani per mutuos nuncios amicitiã & foedus confirmarant, progressu autem temporis anno 1552. cum Remanacoris oram, Narsingano regno finitimam Lusitani tenerent, & vero Brachmanni in littore illo fanum nobilissimum habentes, à Lusitanis militibus per lasciuiam aliquando contumelijs affecti essent, ad Narsingæ Regem confugerunt, quærentesque illatas sibi à Lusitanis iniurias, ne sese patriæ religionis antistites, Deorumque immortalium interpretes & sacerdotes, peregrinis & profanis hominibus risui ac ludibrio esse diutius paterentur, rogarunt. His vocibus incitati barbari, sex ferè millium numero, extemplo conuenientes, ad Remanacorem, infesto agmine contenderunt. Erat is pagus nullo aũt perquã exiguo circumseptus munimento, habebatq; incolas minimè feroces ingenio piscando natandoque magis quam pugnando exercitatos. In Lusitanis igitur omnis spes erat, quorum tamẽ vltra quadraginta non aderant, puluere tormentario satis instructi erant. Non ignorabãt id Narsingani, speculatores enim & delatores occulti eis non deerant, itaque eo maiori ad prædam impetu ferebantur, & nullas pacis conditiones admittere volebant, donec irarum & cupiditatis pleni, obuia quæque sternerent & trucidarent.

Lusitani cũ Narsingæ Rege amicitiam contrahunt.

Lusitani à Narsingenis cæsi.

S 1 CAP.

CAP. XXXIII.

DE BENGALAE REGNO, ET REbus notatu maximè in eo dignis.

Bengalæ regni descriptio & commoditas varia.

BEngalę regnum amplissimum est, permultas vrbes tum littorales tum maritimas continens. Occupat iuxta littus 120. leucas, totidēq; in mediterraneis etiam locis complectitur. Regio rerum omnium ad humanæ necessitatis vsum pertinentium vberrima est. Profert enim abundantissimè oryzam, saccharum, piper, gossypium & alia. Carnium vero pisciumque mira ibi affluentia est. Sed & cælo regio ista clementissimo gaudet, vnde ingens ibi variarum gentium concursus est. Parantur ibi panni ex gossypio & serico varij coloris, qui in diuersas Indiæ partes postmodo distrahuntur. Incolæ maxima parte Mahometani sunt, præsertim vero illi qui ad littus habitāt, vbi maiorem portionem Mauri siue Arabes occuparunt. Plerique sunt albi coloris & nobiles, acuti & prudentis ingenij, qui in mercatura plurimum valent, nudi non incedunt, sed tunica alba satis ampla & ad terram vsque demissa, amiciuntur, vestibus adhuc alijs sericis superiniectis. Regem ante hæc tempora ex Abyssinis mancipijs eligebant, quorum postremus bellicosus admodum & Mahometanus, varia cum vicinis idololatricis regibus bella gerens tributa ab eis exigebat, donec à Magno Mogore Tartarorum Duce regno exutus fuit. Regia sedes partim in Gouro, partim in Bengala, vrbe per vniuersam Indiam clarissima, fuit.

fuit, hodie vero Chatiga regni huius metropolis est, cuius incolæ natura versuti & malitiosi sunt, vnde inter nequissimos totius Indiæ numerantur. Mulieres lasciuia & luxu diffluunt, quo vitio quidem per vniuersam Indiam nihil est familiarius. Oryza ibi per vniuersam Bengalam copiosissimè prouenit, onerantur enim ea naues complures quotannis & per terrarum orbem transuehitur, nec tamen vnquam ibi deficit. Venduntur omnia vili admodum precio, ita vt bos integer vno Larino, qui vix quatuor battios nostræ monetæ faciunt, veneat.

Negotiationes per totum anni circulum ibi continuantur, nauibus vndiquaque appellentibus. Præter enim oryzæ abundantiam, telam quoque bombycinam longe pulcherrimã, & maximè apud Indos precij, parant, quæ non per Orientem solum, sed & per Lusitaniam atque alias orbis partes distrahitur. Lintea quoque ibi scitissimè ex herba quadam ad colum applicata, & in fila deducta, parantur. Horum vsus est apud tonsores, itemque apud obstetrices, cum infantes ad baptismum gestare solent. Acu autem ea elegantissimè pingunt, nunc historias, nunc flosculos, frondesque & id genus alia eis affingentes colore vario & tanto artificio perfecta, vt in Europa melius facta non inuenias. Ex eadem herba totos pannos linteos conficiunt, quos interdum serico intertexunt, licet lintea quæ ex mera hac herba fiunt, pluris æstimentur, & vel sericum elegantia atque subtilitate antecellant.

Negotiationes in Bengala variæ.

Lintea ex herba quadam facta.

Reperiuntur in hoc regno Rhinocerotes,

Elephan-

Elephantis aliquanto minores & humiliores, quorum nasus breui cornu, quod ex basi quidē crassiore assurgens paulatim acuitur, armatus est. Rostrum Suillum habent, & cutem vniuerso corpore scabram, odio vatiniano Elephantos prosequuntur, cumque potum aliquando ad fluuium accedunt, omnia animalia quotquot ibi consistunt, potu abstinent, & Rhinocerotes priores bibere permittunt. Bibentes autem nasum cum cornu in vndam immergūt, nec alia ratione aquam hauri re possunt, cum cornu illud intra rostri & nasi mediū protulerat. Cornu illud quēadmodū, & dentes & vngulæ & caro, itemque sanguis, fimus & omnia, antidotum contra pestem, & multis alijs morbis remedium præstant, vnde in magno apud Indos precio habentur.

Rhinoceros in regno Bengalæ.

Cæterum regionem hanc interluit Chaberis fluuius, quem hodie Guengam nonnulli vocant, antiquorum Gangem esse putantes. Fluuius hic in sinum siue mare Bengalicum sese quidem exonerat, verum de eius scaturigine nihil certi haberi potest. Incolæ memorant Regem Bengalæ desiderasse aliquando originem eius inuestigare, itaque cum quosdam radicibus & crudis piscibus à iuuentute sua educasset, & nauem aliquam singulari artificio in hunc vsum extruxisset, iussit eos aduerso flumine alueum subnauigare. Hi mensibus aliquot nauigando consumptis tandem odorem suauissimum & insignem amœnitatem perceperunt, ita vt in paradiso sibi versari viderentur. Cæterum cum vlterius progredi quamuis summo conatu adniterentur non possent, re-

Ganges fluuius Indis venerabilis cur habeatur.

uersi

uersi ad Regem quid sibi acciderit significarunt, vnde ex Paradiso quidem ortum suum habere hunc fluuium, vulgo creditum est, vnde etiam benedictus, expiatorius & venerabilis, apud Indos habetur, qui certò statuunt, eũ qui in hoc fluuio lauerit, ab omnibus suis peccatis mundari, si quis vero hoc sese flumine non abluat, eum saluum fieri nullo modo posse, quã ob causam etiam ex tota India ex vniuerso Oriente maximus eò concursus fieri solet.

Porro à flumine hoc toto terrarum orbe celeberrimo, regionis huius incolæ Gangarides vocantur. Ex earum gente quidam circa annum 1536. ad Proregem Indiæ veniens, vitæ ab eo subsidium petijt, erat enim, vti ferebatur, annos trecentos & triginta quinque natus, neque mendacij suspicio suberat, nam & seniores qui tum erant, se de hoc eodem grandæuo dicebant à maioribus suis audiuisse, & ipse filium habebat nonagenarium, cumque literam nullam nosset, quæ referebantur ab eo de veterum rebus gestis, ad fidem annalium optimè cõgruebant. Huic aliquoties iã deciderant dentes, alijs cõtinuo subnascentibus, & barba vbi prorsus incanuisset, in atrũ denuò colorẽ sese paulatim rursus vertere incipiebat. Ante 100. annũ idola coluerat, inde æquè miserabili errore ad nefariã Mahometanorũ trãsierat sectã. Cum igitur propter miraculi nouitatem Sultani hactenus stipendijs ali cõsueuisset, à Nõnio Acunia Prorege idem beneficium facile impetrauit. Lusitani in hoc regno aliquot vicos possident, nullam tamen arcem & munitionem, neque constitutiones etiam politicas, præ-

Vir quidem annorum 335. à Lusitanis sustentationem petit.

Lusitani in Bengala quales.

præſcriptas habent, ſed brutorum fermè modo liberè viuentes, quilibet ſui arbitrij ſuiſque iuris eſt, ſuntque homines vt plurimum infames ob ſcelera & delicta quædam nefaria ex alijs Indiæ locis vel profugi vel relegati & proſcripti.

CAPVT XXXIIII.

DE CEILANO INSVLA BENGALICI ſinus maxima, & Columbo primaria in ea regno.

Ceilani inſulæ ſitus & commoditas varia.

A Cori vel Cemarini promontorio, iuxta oriẽtalem ſinus Bengalici oram, ingens inſula mari imminens, exiguo admodum ſpacio à continente auulſa cernitur, Ceilanum vulgo, Arabibus vero Ternaſſeri, id eſt terra delitioſa dicta. Hanc Taprobanam fuiſſe veteribus; cum Ioanne Barrio non pauci affirmant, quamuis Mercator in id conſentire nolit. Ambitus eius eſt ducentarum & quadraginta leucarũ, longitudo ad 78. latitudo vero ad 44. leucas patet. Nõ longe aũt ab Aequatore abeſt, nã extrema ei⁹ borealis ora vix decimũ ab Aequatore gradũ attingit, vt ita ſub Zonã torridã cadat, licet cœlo temperatiſſimo, & ſaluberrimo aëre fruatur, adeo vt paradiſum terreſtrem ibi fuiſſe non pauci exiſtiment. Ager vberrimus eſt & perpetuo vireſcens, arbores folijs floribuſque ſemper conſpicuæ, fructus dulciſſimos ferunt, inter quos ſunt mala Aſſyria, ſuauitate incredibili, mala item medica & citria optima. Palmæ præterea iſthic eximiæ ſunt bonitatis, & aromatum prouentus maximus, leguntur

Paradiſus terreſtris & fertilitas Ceilani inſulæ maxima.

guntur enim ibi pretiosissimum Cinnamomum, Cardamonum, piper, caryophyllum & alia. Abundat præterea regio carnibus piscibusque omnis generis, inuenias enim ibi ceruos, apros, hinnulos, lepores, cuniculos. Elephantorum vero greges ibi sunt innumeri, tanta præstantia, vt per vniuersam Indiam nobiliores & generosiores vix reperias. Sunt in hac insula gemmæ omnis generis, vtpote saphiri, pyropi, Topasij, Spinelli, Granati, & id genus pretiosi lapides alij, adamante solum excepto, Auri & argenti venas Rex absconditas seruat, ne exteri auaritia adducti, regnum illud vi inuadant. Habent vero ferrum etiam & sulphur, & nihil facile alibi reperitur, quod non in hac etiam insula proueniat, oryzæ tamen prouentus exiguus est, vt ex Narsingano regno vel ex Bengala etiam eam afferre necesse sit. Adhæc vel inprimis iucundo aspectu syluosi montes ad theatralem effigiem inflexi, vastam planitiem oblongo circuitu ad caueæ formam includunt, quorum vnus in arduam & subrectam altitudinem pene septem leucarum exsurgit, Pico de Adam dictus. Cum enim in summo æquatam agri planitiem habeat, ex cuius medio bicubitale saxum eminens impressa, quasi pedum vestigia demonstret, pro certo Indi, & paradisum ibi fuisse, & Adami Protoplastæ vestigia illa esse affirmare nō dubitant. Vnde tātæ venerationis locus iste apud exteros habetur, vt à leucis amplius mille, peregrini pietatis causa, illuc contendant, idque nō sine maximo labore, siquidem præter cæteras itineris difficul-

Mons & vestigia Adami.

difficultates atque pericula, in eius etiam mõtis cacumen, non nisi per adactos clauos ferreasque catenas ascensus patet.

Cingales Ceilani incolæ & eorum mores.

Incolæ partim gentiles sunt, & communi nomine Cingales vocantur, partim Mahumetani, suntque omnes albi coloris, procera statura, ventre magno & vt plurimum pingues, delitijs vero admodum student, nudi in superiori parte incedunt, inferiorem autem partẽ sericeis & gossypinis pannis nobilissimis ornant, Zonas gestant auro & gemmis ornatas. Sunt tamen omnes ferè imbelles, exigui spiritus & ad bellum inepti. Victus eorum ex lacte, butyro, caseo & oryza est, & potum ex palmarum succo colligunt. Abundant autem opibus, & vestitu ab vmbilico in terram demisso, decẽte admodum vtuntur. Qui vero graciliores sunt & procero nonnihil corpore, thoraces adhibent multis annulis insignes. Ab auriculis gemmas habent dependentes, & pugionibus armati incedunt. Mulieres nudo incedunt pectore, vestitum vero ab vmbilico ad pedes vsque demissum admodum nitentem & decorum habent, verecundo sunt aspectu, & corpore satis eleganter disposito. Capita capillo proprio tegunt, quem sine vllis fascijs siue sericeis siue linteis, ita inuoluere & componere norunt, vt reticulum capillare seu vittam eas gestare in capite putes. In collo monilia gestant varia, & armillas in brachijs, gemmis & auro conspicuas, digitos autem tam pedum quam manuum aureis annulis exornatos habent. Aedificia inhabitant artificiosè satis extructa & ornata. Viuunt vero semper in de-

litijs

litijs, & cibis vescuntur admodum delicatis, quos mulieres quidem coquere & parare quã optimè norunt. Carne tamen bouilla, vaccina & bubula plane abstinent, nec vino etiam vllo delectantur. Sunt etiam ex Brachmannorum disciplina quidam, qui quod vitam quidẽ habuit, in cibum nihil assumentes, animalia quæ manè domo egredientibus prima occurrunt, per diem illum pro diuino numine colunt atque venerantur.

Habuit insula quatuor olim Reges superstitionibus Ethnicis deditos, hodie vero in nouem satrapias siue regna diuisa est, quæ numerantur, Columbum, Ianafapitanum, Trinquinamale, Batecolum, Villasse, Tananaca, Laula, Galle & Cande. Ex his Columbum quidẽ præcipuum est, Cande vero in libertatem nuper restitutum, eius potentiæ parum hodiè concedit. Primus qui insulam hanc aperuit, inter Lusitanos fuit Laurentius Almeida. Is enim cũ circa annum 1506. à patre suo Francisco Indiæ Prorege, ad Saracenos mercatores, per Maldiuas insulas in Arabiam tendere volentes, insectandos, missus incognita sulcaret maria, æstus impetu ad insulæ huius littora abreptus, & in portum regni Gallos inuectus est, vbi inita per legatos cum Rege societate, Columnam cum inscriptione, aduentus sui testem in littore posuit, lætoque postmodum cum nuncio ad parentem suum Franciscum reuersus est.

Ceilani insulæ regna nouem.

Ceilanum quis primus aperuerit.

Post annos aliquot, nempe circa annum Christi 1516. Lupus Soarius Prorex, cum septingentis armatis ad Ceilanum insulam contendit,

Arx ad Columbanum qua ratione primum à

Lusitanis arx extructa.

tendit, Columbani præcipuè Regis amicitiam & commercium expetere, quod in eius potestatem laudatissimi Cinnami syluas esse non dubia relatione comperisset. Itaque delato in conspectum Ceilani Soario, & Columbanam præcipuè oram oculis perlustranti, locus occurrit ad nauiu appulsum & arcis ædificationem idoneus. Statim igitur ad Regem nuncio foederis & amicitiæ causa misit, postulauitque vt in vsum diuersorij merciumque custodiam contra Saracenorum maximè insidias, castellum sibi aliquod liceret extruere, non tam Lusitanis, quam incolis & Regi ipsi præsidio munimentoque futurum. Erat Rex ille ex Brachmannorum disciplina, & Lusitana vim potentiamque non immerito pertimescebat, reputans tamen apud animum suum, quam ex tenui fortuna, vicinus Cocini Rex, post initam cum Lusitanis amicitiam atque familiaritatem, a ingentes opes breui tempore peruenisset, eiusdem emolumenti spe illectus, & de foedere & de castello, nō sine cura tamen & solicitud ne assensus est. Non fuit autem constans, ne diu in sententia illa perstitit, namque ita à Saracenis persuasus, resistendum statim Lusitanis statuit, munitiones igitur raptim excitauit, & ferrea nonnulla tormenta in aduentantes Lusitanos direxit, Soarius vero hoc animaduertens, omissa interim ædificatione ad pugn suos exposuit, ingentique militum ardore fus, in fugam insulanos, disiectis statim munitionibus illis, coniecit. inde prolato fabri apparatu, fossam à portu ad mare duxit, va

lumqu

lumque intra eam fossam excitauit, tormentis in hostem obuersis. Rex igitur surgentis tam celeriter operis non opinata molitione perterritus, misso confestim legato, veniam petijt eorum quæ alieno suasu inconsultè & temerè egisset, atque ad iungendam ex integro societatem sese paratum esse ostendit. Cæterum negante Soario se pro tam atrocibus iniurijs aliter satisfactionem accepturum, quam si Rex ipse in Emmanuelis Lusitaniæ Regis fidem ac ditionem cum tributo annuo concederet, tandem ita inter eos conuenit, vt Rex quidem Columbanus, Emanueli quotannis stipendij nomine centum & viginti millia Cinnami pondo, annulos duodecim sapphyris & pyropis ornatos, & Eelephantos præterea sex persolueret, Emanuel vero cõtra, receptum in fidem Columbanum, ab hostium vi conatibusque terra marique defenderet. His maximè legibus pax data, & nulla interposita mora, Soarius destinato loco arcem condere aggressus est. Absoluto postmodum opere Ioannem Sylueriam cum valido præsidio ibi reliquit, & rebus ex animi sententia confectis. Cocinum tãdem reuectus est.

Columbanus Rex, Regi Lusitaniæ tributarius efficitur.

Anno millesimo quingentesimo vigesimo primo, de rebus in Ceilano gestis, nuncij ac literæ ad Lusitaniæ Regem venere, qui ad ea tam oportuna & fructuosa commercia tuenda, arcem instaurari & aucto præsidio diligenter custodiri iussit. Eius rei causa Lupus Brittus cum supplemento fabrum ac militum in Ceilanum profectus, accepto à Ioanne

Lusitani arcem ad Columbum reparant.

Syluería castello, omnium Conchanum vim ingentem è proximo petijt, è quibus Indico more calce confecta, nouos muros prioribus iam collabentibus ex arte perduxit, ac fossam probe purgatam statumine munijt. Ea re offensi vehementius insulani, quod contra suam salutem ac libertatem cuncta parari haud absurde suspicarentur. Saraceni insuper suspicioné & metum augebant, donec ad exsecrabile odium Lusitani nominis accensa plebs, venalis primum alimenta ciboſque castello subtrahere inciperent, moxque eo audaciæ peruenirēt, vt Lusitanos longius ab arce vagantes, vel iaculis peterent, vel iniquo loco circumuento occiderent. Accensus igitur iracundia Brittus cum centum & quinquaginta armatis Columbum oppidum, arci penè coniūctura, quàm tu multuosissimè inuadit. Barbari in summo oti metu perculsi, repente fugam capessunt, re fa miliari, pauidis coniugibus, paruisque liberi in tanto periculo destitutis. Mox verò, dat per agros signo, armati ad viginti millia con uenerunt, arcem & Lusianos oppugnaturi. Ag gerem igitur assiduo labore ad mœnia prof rentes, missilibus dies noctesque Lusitanos fa tigabant, turresque insuper ex palmea mater cespite ingesto, duas erigebant, vt è superio loco sagittis & iaculis Lusitanos in muro con sistere prohiberent. Brittus eo periculo an maduerso, in hostem vltro erumpere statui Præfectum igitur postera luce circa meridie repente à mari oppugnationem ostendere maioribus tormentis quatere turres iubet, ip se intento in eam partem hoste, cum trecent & qui

Rex Columbanus à Lusitanis in ordinem redigitur.

& quinquaginta Lusitanis ex alia parte incautas stationes aggreditur, turbatosque ipsa audacia barbaros vallo deturbat, inde transgressus, munitiones, eodem impetu simul vtramque turrim inuadit auersosque hostes è propugnaculis deijcit. Turribus a Lusitano captis, clamor extemplo & metus inter Barbaros ingens excitatus, fugã eos arripere coëgit. Quare Brittus fugientem hostem aliquamdiu persecutus, vt ad lucos & nemora ventum, contentus eius diei victoria, substitit, & priusquã barbari ex trepidatione colligerentur, in arcem se recepit. Dies iste obsidioni finem attulit. Amissis enim ex amicorum numero præcipuis, Rex, Mahometana exsecratus hortamenta, vnà cum arcis potiundæ spe, consilium belli deposuit, missisque ad Brittum oratoribus, veniam erroris & pacem denuò petijt, qua à Lusitanis facile concessa, Ceilani res in pristinum redierunt.

Circa annum 1538. Zamorinus Calecutanus, vehementi Ceilanum bellum premere cœpit, missus igitur à Prorege ad auxilium eius cum haud magna classe Michael Ferreria, Calecutanos commisso prælio superauit, & Ceilanum insulam ad quietem iterum composuit.

Columbanus Rex à Calecutano oppugnatur.

Erant autem Regi Columbano tres sororis filij, ad quos de more gentis hæreditas pertinebat. Hi expetitum ab insita dominandi libidine regnum, senecta auunculi detineri ægrè ferentes, facta coniuratione, Regem interimunt, inde ita inter se opes & imperium partiuntur, vt natu maximus, PareaPandar nomi-

Dißidiæ Columbi à Lusitanis composita.

ne, iis populis è regali folio diceret, minimu
vero, cui Madunio nomē erat, (nā medius poſt
dies à coniuratione pauculos diem ſuum itidē
obierat,) militaribus copijs cum ſtipendio &
poteſtate præeſſet. Primo igitur concordibu
inter ſe animis agere viſi ſunt, mox capitale
inter vtrumque diſſenſiones exortæ. Parea e-
nim nouis ſeſe aduerſus fratrem præſidijs mu-
niens, cum Luſitano Rege per litteras ſuppli-
ces egit, obtinuitque, vt nepotem ex filia, con
tra conſuetudinem, excluſo fratre Madunio,
in regni ſucceſſionem adoptaret. Madunius i-
gitur ira accenſus, bellum fratri inferre, & ac
Cottam oppidum caſtra mouere non dubita-
uit. Rex vero ne aggere mœnibuſque potiu
quam armis ac virtute ſeſe tutari videretur, e-
ductis extra oppidum copijs, idoneo loco con
ſedit. Erat in eius caſtris auxiliaria Luſitano-
rum cohors, ex ea gregarius quidam mile
glande plumbea Regem, (caſu aliquo vel data
opera incertum,) interfecit. Hoc facto, proce-
res in vrbem ſeſe receperunt, nepotemque Pa-
reæ, regijs decoratum inſignibus, in auita ſede
collocarunt. Cum autem Madunius inſtaret,
& obſidionem ſoluere modis omnibus recu-
ſaret, nouū à Luſitano Prorege ſubſidium pe-
tierunt. Ille ſine mora inſtructa claſſe, expedi-
tionem obire conſtituit. Prætendebatur bello
vetus cum Columbano fœdus & pia pueri pe-
nè circūuenti defenſio, ſed arcana ſuberat pro-
fectionis illecebra, quod à quibuſdam pro cer-
to Prorex accepiſſet, auri argentique theſaurū
in Columbo repertum, quo accepto, ſe ſuoſq;
faciliu

Luſitani theſauri Columbi accipiunt.

facili negotio ditari posse consideret. Hac mẽte consilioque profectus Noronia Prorex, ad Columbum, leucas ab vrbe Goa ducentas cum classe delatus est. Excensione autem facta, primo omnium in thesauri perscrutationem toto pectore incubuit, & exacerbatis peracri quæstione oppidanis, adeò vt non pauci ad hostem subinde transirent, ingenti tandem labore, aureorum centum millium summam eruit. Madunius interea contractis vndique copijs, ad Ceitauacam, vrbem à Columbo leucas nouem distantẽ, se munierat, at vero Prorex promotis eò signis vrbem expugnauit, direptamq́; ferro & flammis excidit, ac tãdem firmato pupilli regno, cum inuento acceptoque thesauro Goam lætus reuersus est, præsidij ad Columbũ in arce satis relinquens.

CAPVT XXXV.

DE CANDESIO IN CEILANO INSVla regno, & Rege eius potentissimo.

Candesij regni in Ceilano insula descriptio.

DIximus supra, Candes in Ceilano insula regnum, reliquis potentia & opibus hodie nihil concedere, Hoc quam verum sit, ex sequentibus lector facile cognoscet. Tenet hic Rex regionem admodum amplam, ciuitatibus oppidisque & frequenti populo conspicuam. Agrum habet omnium quæ ad necessitatem & sustentationẽ vitæ pertinẽt, æquè vt in nostris regionib⁹ feracẽ, dũmodo quis sit, qui in colẽdo

operam rectè impendat. Nam Cingales quidem,(sic enim omnes insulanos vbicunque habitent,nominari supra diximus,)tametsi corpore robusto & firmo sint, laborem tamen & res aduersas tolerare non possunt, cumque omnes ferè diuitijs & opibus abundent,laborare sibi turpe ducunt. Cibos,pransuri, arborum folijs imponunt,quos vero manibus semel cõtrectatos absumere non possunt, nemini præterea offerunt,sed canibus deuorandos statim obijciunt,nec enim quisquam tam abiectæ cõditionis apud illos est,qui quod alius contrectauit atque prægustauit,ori suo admouendum censeat.

Gemmæ in Candesio regno plurimæ.

Gemmarum in hoc potissimum regno prouentus est maximus,nam & in fluminibus, si arenam eluas,& in canalibus vrbis Caudes, varij lapides inueniuntur, vt facile appareat, si fodere ibi & inquirere liceret, insignẽ pretiosorum lapidum copiam repertum iri. Oryzæ in hoc regno tantus prouentus est, vt magna copia ad alia etiam loca transferri possit.

Candes regnum Lusitanis non subiectum.

Quod vero maximum est, cum in alijs portubus absque Lusitanorum permissu negotiationes exercere nemini liceat,regnaque alia Lusitanis tributaria sint,hoc quidem ab hoc onere liberum omnino & immune est, nihilque tributi nomine Lusitanis persoluit.

Ioannes de Austria quomodo Rex in Cande factus sit.

Vt autem sciatur, qua ratione iugum hoc seruitutis Candesianus Rex excusserit, notandum est, quod post mortem Darmæ Ceilonij Regis,(quem tonsorem aliqui,aliqui Regis Ragusij filium illegitimum fuisse, & interfecto patre

patre regnum ad se pertraxisse scribunt, Modeliar quidam, seu supremus Præfectus in regno Candes fuerit, primarij cuiusdam viri filius, quem Lusitani ante ea tempora Columbi baptizatum, Ioannem de Austria nominauerant. Hic cum non milites tantum, sed & sympatriotas suos Cingales sibi admodum fauentes haberet, & iam potentia opibusque valeret plurimum, Regem seipsum cõstituit, & Lusitanos omnes, contra quam sperauerant, regno extirpare conatus est.

Supererat adhuc filia defuncti Regis, quam Lusitani baptizatam, Catharinam vocauerant, hanc Reginam facere & Petro Lopes de Sosa, Malacensium Gubernatori despondere, modis omnibus Lusitani nitebantur, moxque contracto ex Goa & alijs locis ingenti exercitu, eam ad Candesiam ciuitatem traducebant. Cũ igitur maximas secum adferret Petrus Lopes copias, viribusque suis Ioannes de Austria diffideret, cedendum eius furori ratus, relicta ciuitate lucos & dumeta cum armatis aliquot occupauit. Inde in transitus ad vrbem omnes intentus, nequid commeatus & cibariorum ei inferretur prohibuit, Lusitanosque omnes vbicunque extra ciuitatem constitutos trucidauit. Hisce difficultatibus pressus Lopes, ex vrbe tandem egreditur, locumque cum exercitu suo patentem admodum occupat, aperto Marte cum Ioanne de Austria conflicturus. Congressi igitur die quodam Dominico Anni 1590. varia fortuna aliquandiu pugnarunt, sed tandem tamen superatus Lopes & interfectus est,

Catharina Ceilanij regina Candeꝛiũ introducitur.

elephantibus eius, quorum 40. produxerat cōprehēsis, Lusitanis verò cęsis partim, partim in captiuitatē & seruitutē abductis. Edita hac strage, & victoria impetrata, Ioannes ad vrbem reuersus, regia sua potestate vti iam plenariè cępit, Catharina enim illa Regis filia, quæ tum quidem annorum nouem vel decem erat, matrimonio sibi iuncta, regnum tranquille obtinuit, propugnacula à Lusitanis, qui Columbū confugerant, passim deserta, subuertit, & ad regnum suum amplificandum omnes suas cogitationes conuertit.

Candesian regnum aduersus Lusitanos muniens

Cæpit igitur arcem regiam & multa templa extruere, vrbemque turribus & ædificijs alijs, more Christianorum illustrauit, laborem perficientibus Lusitanis, qui in pugna illa captiuitatem subierant, sed & castellis & propugnaculis passim in regno suo excitatis contra insultus & impressionem Lusitanorum sese probè muniuit, noui subinde aliquid inueniens quo contra hostes suos vteretur.

Lusitani Cādem se regnum recuperare nitūtur

Anno post pugnam hanc quarto, cœpit Hieronymus Ouedo, Dux exercitus Ceilanensis, varijs modis regno Candesio insultare, sed conatus omnes frustranei erant, donec cum ingenti exercitu, iubente ita Hispaniarum Rege, ad apertum bellum procederet. Vt ventum autem ad pugnam est, tanta fortitudine Ioannes in eum mouit, vt nisi aciem suam, summa vi à dissolutione cohibuisset, eandem quam Lopes fortunam expertus haud dubie fuisset.

Verùm ille copias in ordine cohibere, & inter

inter decedendum etiam pugnare edoctus, ad quintum vsque diem se sustinuit, donec, licet non sine multorum militum iactura, Columbum tandem reuerteretur. Ab hoc quidem tempore in aciem procedere amplius Lusitani non sunt ausi, licet subinde velitari pugna ex castellis & propugnaculis suis proruentes, vires suas ab vtraque parte exercere visi sint.

Hollandi ad Ceilanũ insulam venientes, à Batecoli rege amicè excipiuntur.

Anno 1602. Hollandi quidem tribus nauibus, sub imperio & gubernatione Georgij Spilbergij, ad Ceilanum insulam aduecti, amicitiam & familiaritatem cum prædicto hoc Rege Ioanne de Austria contraxerunt. Principio autem ad portum Batecoli appellentes, humanissimè ab isto Rege accepti sunt, data ipsis potestate per vniuersam istam terram cõmercia cum subditis exercendi, verum cum piperis & Cinnami, quantum quidem nauibus suis onerandis sufficeret, accipere ibi nõ possent, & vero de Candesiani Regis potentia, varia à Rege isto cognouissent, oratorem statim mentem & voluntatem eius exploratum ablegauit.

Is ad Hollandos reuersus, literas attulit, quibus expetebat Rex, vt sepositis ad tempus negotijs, ad se venire præfectus non grauaretur, paratum enim sese omnem ei beneuolentiam & officia exhibere. Præfectus igitur, cum socijs & ministris decem iter ingressus, à Batecoli primum Rege honorificè exceptus est, qui non ministros solum, sed elephantos etiam aliquot & lecticulam ei addidit, qua vna cum socijs

ire

ire non valentibus ad terram Regis Laulæ deportaretur, Rex ille non minus honorificè eum acceptum ad Reginæ Trinquniamalensis aulam deferri curauit. Vtebantur autem vbique hoſpitijs gratuitis, & dormituri in cubiculum linteaminibus albis obductũ, quod maximi honoris in inſula iſta ſignum eſt, traducebantur. Cum vero vnius adhuc diei itinere à Candeſia abeſſent, Rex propriam ſuam lecticam cum Elephantis aliquot in occurſum ipſis miſit, quæ quidem regio ornatu conſpicua, & Attalico panno ſtrata erat. Præterea de ſalute etiam eorum valde ſollicitus, ſingulis horis cibum potumq; ipſis afferri curabat, vinum nempe quod in inſula illa plantatum creſcit, virtute, ſapore & colore Luſitanico vino non abſimile.

Georgius Spilbergius quomodo à Rege Candeſiano exceptus fuerit.

Cæterum cum ad fluuium quendam non procul à ciuitate veniſſent, iuſſi ſunt ibi ſubſiſtere & aduentum Præfecti regij expectare, qui poſt horam vnam atque alteram adueniens, inſignem à Rege comitatum adducebat. Acceptus igitur ab eo Præfectus ad vrbẽ porro traductus eſt, comitantibus eum circiter mille armatis, cum vexillis aliquot à Luſitanis non ita pridem recuperatis. Erant ibi qui tibijs canentes, varijſque muſicalibus inſtrumentis perſtrepentes, inſignem lætitiam declarabant, cum vero in vrbem venirent & aulam regiam prætereuntes ad deſtinatum ſibi hoſpitium contenderent, inſigni triumpho multaque tormentorum diſploſione excipiebãtur. Hoſpitium vero ipſum Luſitanico more ornatum erat, manebantque cum eis Præfectus

regius

regius cum Lusitanis quibusdam, & Hollandis ministrarent.

Postero die Rex equos aliquot ephippijs phalerisque egregiè ornatos ad hospitiū Hollandorum misit, expetens vt in aulam regiam Præfectus veniret, qui assumptis aliquot muneribus ad Regem profectus est, cumque eum salutasset, & munera sua ad pedes eius deposuisset, Rex candido indutus vestitu, ea filio & vxori contēplanda transmisit, postea obambulando cum Præfecto de rebus varijs contulit. Cæterum quod ad Cinnami & piperis emptionem attinet, de precio quidem inter eos conuenire non poterat. Cum igitur Præfectus hospitium suum repetere vellet, interrogabat eū Rex, quanti tandem aromata modo dicta emere vellet, qui non propter aromata illa præcipuè eo se venisse dicebat, sed vt mādato Principis sui Maurit:j satisfaceret, qui Regē salutari, & omnia beneuolentię officia ei offerri suo nomine imperasset. His auditis Rex exultare præ gaudio & cum multa gratiarum actione acceptare beneuolentiam hanc videbatur, cōprehensum enim medium Præfectum, à terra nonnihil eleuabat, & quicquid piperis cinnamique paratum haberet, quod tamen 3000. pōdo non excedebat, dono se ei daturum affirmabat, cumque istam piperis & cinnami penuriam excusasset, causamq; eius esse dixisset, quod negotiationibus hactenus operam non dedisset, finito colloquio Præfectum à se dimisit, qui antequam abiret, classicum canere, fidibusque oblectare Regem, ministros suos iussit, qua quidem ex re insignem Rex voluptatem per-

Georgius Spilbergius Regem Candesium nomine Mauritij salutat.

percepit, multoque abeuntem tibiarum clangore prosecutus est.

Candesinu Rex Hollãdorum, præfectum conuiuio excipit.

Sequenti die Rex missis iterum equis, ad prandium Præfectum cum socijs suis inuitabat; cumque ad aulam venisset, deducebat eum in cænaculum tapetibus prætiosissimis stratum & magnificè exornatum. Disposita ibi subsellia Hispanica plurima cernebantur, & in mensa oblonga, Christianorum more omnia parata erant. Lautè igitur tum Præfectus accipiebatur, qui Regem effigie, principis Mauritij armati & equo insidentis, donabat; vnde lætitiam & voluptatem Rex haud exiguam percepisse se testatus est. Cæterum commoratus ibi Præfectus est quinque diebus; neque enim expedire sese citius poterat; cum præsertim Rex de statu prouinciarum Hollandiæ & Mauritij victoris quærendi finem nullum faceret. Effigiem certe Mauritij, primario loco, vt in conspectu sibi semper esset, collocauerat. Cum vero aliquando ad aulam Reginæ honoris ergo præfectus duceretur, videretque ibi Reginam cum iunioribus principibus Christianorum more indutum, affirmabat ei Rex, se cum Regina & principibus suis paratum esse, vel humeris suis Cæmentum & lapides asportare, si confœderatis prouincijs, principique Mauritio aliquando placeret, in regione sua propugnaculum aliquod vel castellum excitare, quod vt commodius fieret, se locum eis conuenientissimum permissurum, quod ipsum quidem etiam literis ad principem & prouincias datis confirmauit.

Cæte-

Cæterum multis muneribus Præfectum Rex donauit, cumque instrumentis musicis admodum delectaretur, sibique aliqua concedi rogaret, præfectus quidem non instrumenta ei solum varia donauit, sed & in omni instrumentali musica exercitatissimos duos iuuenes eis adiunxit, quod Regi quidem tam gratum fuit, vt non solum iuuenes eos in aulam statim suam receperit, alterumque ex his sibi à secretis esse voluerit, sed & linguam Belgicam addiscere incipiens, nouam Flandriam regnum suum vocauerit, tantamque lætitiam declararit, vt gratum sibi Hollandorum aduentum fuisse, nemo dubitare potuerit. *Hollandi duo apud Regem Candiam relinquuntur.*

Alia longe paulo post alterius cuiusdam Hollandicarum nauium præfecti, Sebaldi VVertij sors atque fortuna apud Regem hunc Ioannem fuit, is enim cum Anno millesimo sexcentesimo tertio ad insulam hanc cum nauibus aliquot applicasset, & vero de beneuolentia Georgio Spilbergio à Candesiano rege paulo ante exhibita audiuisset, ipse quoque regem istum salutare constituit. Iter igitur cum socijs sex ingressus, insignem humanitatem vbique expertus est & hospitia etiam gratuita semper habuit, donec ciuitatem tandem regiam assequeretur, à qua cum non procul abesset, rex lecticam suam cum centum armatis ei obuiam misit, & cum insigni triumpho multaque tormentorum displosione, inter medios subditos suos, ab vtraque platearum parte in ordinem dispositæ, in vrbem destinatumque ei hospitium traduci curauit. *Sebaldus VVertius ad regem Candesium proficiscitur.*

Postero

Sebaldus VVertius à Rege Candesio amicè excipitur.

Postero die ad aulam cum muneribus suis profectus, effigiem Principis Mauritij ibi inuenit, Rex autem cum filio filiaque sua elegantissimè ornatus, per interpretem eum interrogabat, & cuius esset, & quam aduentus sui causam haberet? qui ex regione quam Flandriam Lusitani dicerent, ordinibus nempe & principi isti, cuius adesset ibi effigies, subiecta, aduenisse se, vt Regem Principis sui nomine salutaret, respondit, Regemque & proceres consiliariosque eius non exigua lætitia affecit, & Rex quidem de Batauis, Principeq; Mauritio multa percunctatus, petijt tandem vt hanc sibi daret operam, & dum ipse cum viginti millibus Lusitanos ad Columbum oppugnaret, ipse portu cum nauibus suis intercluso, ne ex Goa auxilium accipere possent prohiberet. Recusabat hoc initio VVertius, sed cum memorē sese tandem beneficij istius, gratumq; erga Hollandos fore, & castella si quæ eiectis Lusitanis occupaturus esset, Hollandis possidenda daturum Rex polliceretur, annuit tandem seq; ad socias in portu Aceno naues ea relaturum, maioribusq; instructum viribus breui rediturum promisit.

Sebaldus VVertius Regem Candesium contra Lusitanos iuuare statuit.

Dimittebatur tum muneribus aliquot auctus à Rege VVertius, & per ministros regios ad suos iterum perducebatur, gratuitis vbiq; hospitijs vsus, ita vt toto illo 40. plus minus leucarum itinere, præter munera Regi exhibita, nihil de suo insumeret, verum cum sequenti anno reuersus, septem nauium classem secū adduxisset, & per literas de aduentu suo Regē certiorem fecisset, gratum sibi quidem aduentum

tum eius Rex testatus est, rogauit autem vt cū in obsidione ciuitatis Nanicrauariensis esset, cum classe ad promontorium Galles applicaret, constituisse enim sese propugnaculum quod Lusitani ibi tenerent, primo quoque tempore terra oppugnare, addita promissione, se occupato isthoc propugnaculo, Hollādis quidem mille Cinnami & mille piperis pondo quotannis persoluturum. Hisce literis acceptis VVertius habito consilio, cursum eo dirigendum censuit, statimque Regi rescripsit, quādoquidem ei ita videatur, se petitioni eius lubenti animo satisfacturum. Accidit autem interea vt antequam ex portu Batecoli soluerēt, tres vel quatuor naues Lusitanicas ex Cocino Negapatanum & inde Malacam petituras interciperent & expugnarent. Hoc cum Rex cognosceret iter statim Batecolū versus ingressus est, VVertiumque per literas maiorem in modum rogauit, vt communes illos hostes Lusitanos nequaquam dimitteret, sed vel statim ipsemet interficeret, vel ad suum aduentum vsque captiuos detineret. Verum enimvero cum captiuis illis Lusitanis fidem dedisset VVertius, se bonis contentum, vita quidem eos non priuaturum, fidem datam non frangendam ratus, duabus nauibus omnes impositos, saluos à se dimisit. Interea cum non abesse iam longius à Batecolo Regem cognouisset, facta cum ducentis armatis excensione, in occursum ei contendit. Vt ventum Batecolum est, petijt à Rege VVertius, vt ad portum vlterius proficisci, & naues Hollandicas contemplari non dedignaretur, at ille nolle se eo quidem die id facere

Sebaldus VVertius à Rege Candesio cum 49. socijs interficitur.

V facere

facere respondit, expetens vt populum ad naues remitteret, ipse vero secum ad sequentem vsque diem permaneret, paruit mãdato VVertius, verum cum dimisso à sese populo, importunius paulo apud Regem instaret, vt naues suas conscendere vellet addita interminatione, ni petitioni suæ Rex satisfacturus esset, se quoque ad Galles promontorium non iturum, Rex monstri cum aliquid alere ratus, ligari statim & cum socijs, quorum adhuc quadraginti nouem supererant, interfici iussit, datisque postmodum ad Hollandos literis, si amicitiam suam retinere vellent, tam importunè secum non agerent, nec compræhensos forte hostes suos Lusitanos, se inuito dimitterent, pluribus eos verbis admonuit.

Templa in regno Candes multis statuis conspicua.

Sunt in hoc regno multa templa, multis statuis conspicua, auroque & argento ornata, quæ pleræque tantæ sunt proceritatis vt vel malum nauis superent. Templa autem ipsa ex quadrato & operario lapide tota extructa sunt, concamerato prorsus opere, ita vt templis quidem Europæorum nihil concedant. Est in regno hoc ciuitas Vintane nouem à Candesia leucas distans, ab illustri quodam templo maximè celebris, cuius fundamentum seu basis circumferentiam habet centum & triginta passuum. Exurgit autem in summam altitudinem & vndique dealbatum est, ex apto vertice seu summitate eius, quæ auro instar pyramidum obducta, oculos intuentium, solè præsertim radios suos ad eam proijciente, admodum perstringat, habetque turrim quadrata for-

ra forma magno artificio extructam & exornatam. Sed & monasterium ibi est pro monachis, qui vestitu flauo induti per plateas passim incedere conspiciuntur, vmbellam manibus pro sole à capitibus arcendo gestantes. Sunt enim rasi instar monachorum nostratium, & sphærulas etiam precatorias manibus gestant, sed cruce insigniti non sunt. Labia autem semper mouent, quasi tacitè secum aliquid mussitantes & magnam sanctitatis speciem præ se ferentes, vnde in magna sunt existimatione, à laboribus oneribusque publicis semper excepti & liberi. Monasterium eorum ita extructum est, vt nostratium formam ferè referat. Habet enim peristylia, delubra, sacella &cæt. auro vndique obducta & ornata. Sed & statuæ in delubris sacellisque conspiciuntur vtriusque sexus quam plurimæ, quas dicunt eorum repræsentare effigies, qui præ cæteris sanctam & honestam vitam egerint. Impositæ sunt autem vtplurimum aris sacellorum, & vestibus auro argentoque nitentibus indutæ. Ante ipsas ingentia Candelabra à pu- ellorum nitentium statuis gestantur, in quibus cerei nocte dieque semper ardentes cernuntur. Singulis autem horis ad hæc sacella Monachi preces & alia superstitionis suæ officia peractum confluunt.

Monasteria & monachi in Candesia.

Erat dum Hollandi ibi essent solenne aliquod festum ipsis celebrandum, itaque congregati monachi omnes pulchro ordine bini & bini per ciuitaté progrediebâtur. Abbas vero eorum, Elephanto insidebat auro argentoque

V 2 reful-

Abbas seu præpositus monachorũ in regno Calecut.

refulgens & baculum inauratum manibus supra caput eleuatis tenens. Præcedebant eum aliquot monachi pulchro ordine, varijs instrumentis musicis, partim vtpote cornibus, tympanis, tibijs, cymbalis, nolis, tintinnabulis, peluibus & id genus alijs ludentes, mirificoque concentu perstrepentes, partim cereos facesque ardentes manibus gestantes. Post eum sequebantur multi viri alij, itidem bini & bini. Pulcherrimæ autem quæque puellarum antequam egrederetur & in vrbem rursus reuerteretur cum hac pompa sacrorum antistes multos ludos dabant, ducentes choreas, & saltationibus mirè tripudiantes, superna corporis parte vmbilicotenus prorsus nudæ, inferna vero succinctorijs versicoloribus præcinctæ, & brachia, auriculas manusque auro & gemmis ornatæ.

Idololatria in regno Calecut.

Cæterum singulis diebus quidam ex incolis, ad templa & sacella ista prostrati conspiciuntur, preces suas tali modo peragentes, v[t] in terram sese primum abijciant, postea surgẽtes manibus supra caput cõplicatis verba quædam tacito secum murmure mussitent. Tota autem regio abominationum plena est, nam [si] quando morbo quis corripiatur, statim ad statuas confugit, & sacrificium eis offert, quo fin[e] quidem corbes seu sportulas habent in ædibu[s] suis repositas, quibus colligunt quotidie, vnd[e] sacrificium faciunt, sperantes liberationem e[x] calamitatibus sese hac ratione facilius impe[] traturos. Cum festum aliquod solenne cele[] brandum est, multa idolis sacrificia offerun[] tur, quorum quædam sunt, capite Elephantum

n[]re

pectore & manibus hominem, pedibus vero hircum repræsentantia. In templo quodam eximiæ magnitudinis, quod conspicuum est illis, qui ex Galles promontorio soluentes, Batecoli portum petunt, statua quædam eleuata est admodum procera, strictum manu gladium tenens. De hac referunt Cingales miraculum aliquod, nempe quod cum Rex Ioannes de Austria, qui ludibrio statuam istam semper habuerat, aliquando templum illud ingressus esset, statua illa gladium manu vibrauit & commouerit, ictum quasi minitans, vt in stuporem rex totus versus sit. Hoc si verum est, Cacodæmoni totum adscribendum, qui idololatriam hac ratione stabilire voluerit.

CAP. XXXVI.

DE SVPERIORI INDIA, MAXIME vero de regno Pegu, & Regis Peguani potentia.

INferiori India absoluta, superior sequitur, in qua complures quidem regiones sunt & regna varia, si præsertim mediterranea perlustrare loca velimus, verum cum instituti nostri ratio, nos in maritimis maximè contineat regionibus, duo saltem primaria huius tractus regna lustrabimus, Peguanum nempe & Sianum. Peguanum igitur regnum, ad trecentas leucas iuxta occidentalem sinus Bengalici oram extenditur, portusque plurimos habet, quorum pręcipuus est ad Martabari ciuitatem, quæ ad fines Peguani regni sita, cum Siano re- *Peguani regni descriptio.*

gno contraria est. Parantur autem ibi vasa fi-
Martabana vasa fictilia. ctilia, magna admodum copia, quæ Martaba-
na vocantur, & per vniuersam Indiam depor-
tantur, Suntque diuersæ formæ & capacita-
tis, nam cum dolia nulla nisi ex Lusitania al-
lata habeant, oleo, vinoque & alijs eiusmodi
liquidis recipiendis atque continendis adhi-
bentur.

Peguani regni fertilitas. Ager huius regni pinguis admodum & fer-
tilis est reique frumentariæ perquam accom-
modatus. Animalia innumera nutrit, inter
quæ ingens est Elephantorum numerus, qui
capti ad bellum asseruantur. Psittaci ibi multo
quam vsquam alibi vocaliores reperiuntur,
sed & alueo nauigabili fluxuosoque discursu
piscosi omnes regionem intermeant, è quibus
vnus è Ciamaio lacu centum & quinquagin-
ta leucarum spatio decurrit, atque ad instar
Nili, statis incrementis in triginta circiter
leucas exundans, præpingui ac feraci limo ar-
ua & agros rigat. Accedunt ad opulentiam
crebra introrsum æstuaria, facili commercio
gentium exterarum, ac mira quidlibet impor-
tandi exportandique copia ac facultate. A-
bundant rebus quibuscunque necessarijs, præ-
sertim auro atque gemmis. Inuenias enim ib
pyropos, spinellos, sapphyros, hyacinthos, &
alios. Sed & Lacca, quo nomine ceram Hi-
spanicam vocant, tanta ibi copia prouenit, v
toti orbi sufficiat.

Peguanæ ciuitatis descriptio. Ciuitates hoc nomine duæ sunt, vetus & no
ua, quarum hæc ante paucos annos, eleganti æ
deficiorum ordine excitata, & multis turri
bus propugnaculisque ornata atq; munita est
ill

illa autem vetusta admodum est, & multis ædificijs ex arundine crassiore extructis constat. Noua autem propter aulam Regiam præcipua est, iucundissimo & amœnissimo loco, forma quadrata & muro firmissimo vndique cincta & circumdata, portas habet quatuor & fossas aliquot, aqua repletas, in quibus multi crocodili eo fine sustentantur, ne quis tranãdo eas superare conetur. In mœnibus ciuitatis castella passim lignea excitata sunt, in quibus armati quidam excubias agunt. Latera ciuitatis secundum rectam lineam ita producta sunt, vt ab angulo vno ad alterum prospicere excubitores commode possint. Aedificia ex crassioribus lignis extructa, & muro lapideo illis locis vbi ignem extruunt, munita. Vrbe egressuri vallum siue aggerem qui supra fossas ciuitatis ex portis ad campum vsq; protẽditur, transcendere coguntur. Ad ripam autem fossarũ variæ arbores consitæ, delectationis nõ parũ præbent. In vrbis loco inter duas portas medio, tẽplũ auro elegantissimè obductũ cernitur hoc Rex aliquando frequentare solet, qui preces suas peracturus, ad locum nonnihil eleuatum per scalam ascendit, ad cuius gradum infimum tigres duæ, quæ deductis faucibus viuas repræsentant, collocatæ cernuntur.

In aula Regis tympanum est, quod pulsatum sonum edit tam horrendum, vt quis sibi tormẽti alicuius longiuscule à se remoti displosionẽ audire videatur. Situm autem est Regis palatium loco ciuitatis medio, estq; quasi propugnaculũ aliquod siue castellũ fossis vndiq; centum & duabus portis ita munitum, vt vna ante *Aulæ regiæ in Pegu descriptio.*

alterum posita cernatur. In parte propugnaculi siue arcis exteriore porticus est, sub qua nobiles & alij primarij viri Regi ministrantes, domicilia & stationem suam habent. Area arcis, tantæ est capacitatis, vt maximam quamq; Venetiarum bis superet. Portas autem adhuc duas alias habet, ponte versatili & firmo armatorum præsidio munitas. Ad dextram aulæ istius, vbi stabula elephantorum præteriens, templum est, auro vndique obductum & tantopere eleuatum, vt ascensus ad illud decem gradibus fiat. Templi huius pars anterior adiunctum habet altare quoddam, cui statua quædam ex solido auro constans imposita est. Hæc coronam in capite gestat, à qua ad frontem statuæ carbunculus seu pyropus dependet, magnitudine sua prunum mediocre superans, ad tempora autem nitentes saphiri demittuntur, & corona ipsa pretiosissimis gemmis ita oppleta est, vt vix aliud quid præter gemmas & vniones in ea conspiciatur. Statua ipsa virum magnitudine sua æquat, & pallio aureo, ab humero dextro ad femur vsque sinistram, demisso, multis saphiris & carbunculis micante ornata est. Præterea in templo hoc tres adhuc aliæ statuæ ex argento fusæ, longitudine duorũ palmorum, auream illam superantes, & coronis aureis multisque gemmis exornatæ cernuntur. Sed & statua alia argentea excauata alio in loco, miri artificij, & alia ex cupro & stanno, quæ pecuniæ vulgaris materia est constans reperiuntur.

Peguanorũ habitus & Incolæ mediocris staturæ sunt, agiles & viribus pollentes, ad bellum tamen inepti, nudi

in ce-

incedunt & capita panno, albi coloris, instar mitræ inuoluunt, Luxuriæ & libidinibus valde dediti sunt, nec vlla nequam gens fuit ad Sodomiam tam procliuis, quod flagitium quidem Regina quædam tali ratione corrigere aggressa est. Mandatum promulgabat, vt omnes masculi pilas vel globulos aureos argenteosve, prout cuiusque ferret conditio, inter carnem & cutem virgæ virilis insertos gestarent, capitis pœna secus facientibus imperata. Non poterat hoc fieri sine dolore maximo, itaque vt mandato satisfacerẽt, rationem eiusmodi excogitarent. Adolescentes cum eam assecuti sunt ætatem, vt mulieres iam appetãt, ad impudicas mulieres deducunt, iubentque quamcunque velint eligere. Vt expleuerunt autem libidinem, poculum eis soporiferum præbent, & profundissimo eos somno immergunt. Hoc facto, dormientibus, cultello cutem penis vndique à carne liberant, insertoque ab vtraque parte globulo, vnguentum efficacissimum adhibent, vt paucis diebus coalescere iterum possit. Hinc virgæ quidem viriles ita intumescunt, vt inutiles omnino ad Sodomiam reddantur, & pueri dolorem metuentes virum nullum admittant. Cæterum nullas omnino in hoc regno virgines reperire licet, puellæ enim omnes statim à pueritia sua, medicamentum quoddam vsurpant, quo muliebria distenduntur & aperta continentur, idque propter globulos, quos in virgis viri gestant, illis enim admittendis virgines arctiores nullo modo sufficerent. Vt autem ad amorẽ mulierum viri eò magis inuitarentur, constituit Regina illa,

luxuriosæ libidines.

Virgines in Peguano regno nullæ.

brachijs totoque pectore ad vmbilicum vsque nudæ mulieres incederent, & præter femorale siue linteum tenuissimum nihil induerent, hinc igitur partes pudendæ inter eundum teguntur, sed ita vt aura eas leuissima omnium exponere oculis possit.

Peguanæ puellæ peregrinis certo precio locantur.

Solent præterea Peguani aduenas interrogare, quamdiu secum commorari & hærere in vrbe ista velint, cumq; intelligunt eos ad tempus aliquod ibi permansuros, offerunt eis puellas aliquot nubiles, iubentq; vnã ex illis eligere & cum parentibus eius contrahere, vt retinere eã secũ quamdiu ibi fuerint persoluto certo precio possint. Sic igitur peregrinus ille puellã domi suæ retinet, quæ & ancillæ & vxoris simul munere fungitur, elapso autem mãsionis suæ tempore, soluit amicis aut parentibus puellę, quãtũ ex pacto debet, cumq; discesserit, puella æquè proba & honesta ac prius, ad parentes suos redit, nec vlla ex parte deterior aut turpior putatur. Quod si postea puella ista viro alicui nupserit, & peregrinus ille cũ quo prius consueuerat, iterũ reuertatur, ad tẽpus aliquod ibi cõmoraturus, ea relicto viro suo, ad peregrinum reuertitur, & absq; vlla infamiæ nota cũ eo donec iterum abeat, permanet, quo discedente mariti sui domum repetit.

Massa ex piscibus facta oleum repræsentans.

In re familiari pisciculos quosdam minutas magna copia in massam contundere & soli postmodum exponere solent, vt computrescãt & fœtorem contrahant. Hanc massam postmodo ad oryzã & cibos alios, butyri vel olei loco adhibent, & licet fœtore suo vel demortui canis cadauer superet, tanti tamen faciunt, vt vel

Rex

Rex ipsemet, omnibus eã delicijs præferat, & cibos hac massa non conditos repudiet. Pecuniã forte ab aliquo cõmodato accepturi, non solũ bona sua, sed & vxores liberosq; oppignorare Creditoribus solent, sed si forte creditor vxori vel filiæ debitoris vitiũ aliquod offerat, & debitor id rescifcat, pignus suũ auferre potest nulla solutione præstita. Creditor. n. hac ratione debitũ omne amittit, nec quicquã amplius exigere à debitore potest. Rex Peguanus auri, argẽtiq; & gẽmarũ ditissimus totius orbis terrarũ, Chinensi tamẽ excepto, qui huic nihil quicquã cõcedit, vulgo æstimatur. Splendidã admodũ vitã agit, habetq; aliquot hinc inde cõstitutas excubias, maximè in ipsa aula siue area arcis interiori, qua introitus exitusq; patet, ibi n. ab vtroq; latere cernuntur excubitores siue vigiles & satellites armis suis instructi quamplurimi. Antequã ad excubias hasce quis perueniat, stabulũ ei prætereundũ est, longe pulcherrimũ, in quo 4. Elephãti albi cũ vno nigro, admirãdę magnitudinis nutriũtur, quibus Rex ad negotia varia vtitur; in reliquis aũt vulgaribus stabulis elephãti alij quib⁹ in bello rex vti solet detinẽtur. Nã ad bellũ quidẽ breui tẽporis spatio millies mille & 50000. militũ producere ei difficile nõ est. Elephantos sẽper fere vltra 800. ad bellũ assuefactos alit. Bellũ gerens impẽsas nullas facit. Vasalli. n. & proceres sũptus perferre oẽs cogũtur, vt quicquid semel vel auri vel argẽti in Gazophylaciũ & thesaurũ regis illatũ est, inde nõ dimoueatur amplius. Arma ipsorũ, tormẽta & bõbardæ, itẽq; lanceę hastæ gladijque & clipei sũt, sed nemo est, qui tormẽta tractare cõmode possit, itaq; in bellũ

Peguani regis opes & potentia.

Arma Peguanorum.

profecturi, præter sclopos manuales, tormentorum faciem nihil ducunt.

Peguani regis pro tribunali sedētis maiestas

Solet Rex singulis diebus horam vnam atq; alteram audiendis causis attribuere, antequā autem palatio suo exeat, duodecim buccinis argenteis, signum suis nobilibus & toti populo dari curat, vt parare sese in eius occursum possint, libenter enim subditos suos videt, & ipsis se conspiciendum præbet. Tribunal regium seu locus causis cognoscendis destinatus, supra modum elegans & splendidus apparet, colore enim cæruleo illuminatus & auro vndique obductus est, sedens autem pro tribunali, ipse quidem flabellum in manu tenet, à tergo autem astant ei quatuor nobilium filij, quibus ad explendam libidinem suam abutitur. Ante ipsum sunt quasi procuratores, qui causas & petitionem subditorum Regi exponunt, responsumque eius ipsis referunt. Ad sinistrā adstant ei tribuni ærarij. Ad dextram iuniorē principem filium suum in sella deaurata sibi adsidentem habet, ad pedes, seu in loco paulo inferiori, cernuntur primarij, quos in aula sua habet, proceres, quilibet suo loco sedentes. In capite diadema gestat aureum quadruplex, cuius pars quælibet peculiari quasi fulcro innititur, ita vt quam altissimè eleuetur & consurgat. Vbi consedit, elephantes primum albi, & post illos reliqui etiā ex stabulis suis, per ministros, quibus eorum cura demandata est, ordine producuntur, qui vt in conspectum Regis ventum est, honorem ei adhibituri, promuscides erigunt, apertoque ore sonum ter edunt, postmodo in genua concidunt & surgentes iterum

Elephantes Regi honorem exhibēt

terum ſtabula ſua repetunt, vbi ex vaſis aureis cibantur & ex argentijs aqua repletis lauantur, quod quidem ſingulis diebus bis fieri ſolet, non in ſtabulo, ſed ſub tegmine, quod octo columnis arundineis impoſitum à totidem miniſtris geſtatur, ne ſolis forſitan ardore lædantur. Cum producuntur, præcedunt eos buccinatores aliqui, buccinis clangentes, quos ipſi tanta grauitate ſequuntur, vt intelligere eos inſtrumentorum ſonum exiſtimes, Imperata diligenter omnia faciunt, & ſeſe ita exhibent, vt præter ſermonem ipſis deeſſe parum ad perfectionem dicas. Quod ſi quid intermittant, non eò fit, quaſi quid imperatum fuerit ignorent, ſed quod pertinaces aliquando obſtinato animo imperium detrectent.

Peguanum regnum à quo primo detectum.

Cæterum vt de prima etiam huius regni detectione à Luſitanis facta aliquid annotemus, gentes hæ prorſus Europæis ignotæ fuerunt, vſque ad annum 1519. quo ex Antonij Correæ & Comitum eius relatu, multa de earum diuitijs moribuſque comperta fuerunt. Nam cum Sequeria, inito Proregis in India magiſtratu, de tumultibus ad Malaçam excitatis cognouiſſet, Antonium Coream cum onerarijs aliquot nauibus, ad commeatus eo importandos dimiſit. Correa igitur proſpero curſu ad Martabanum emporium, cuius ſupra mentio facta eſt, delatus, ne in terra adhuc ignota, longius à ſuis nauibus ipſe diſcederet, Antonium Paſſaniũ & Michaelem Caruallium cum honeſto comitatu muneribuſque, ad Regem in vrbe Pegu, aliquot inde dierum itinere diſtante commorantem miſit. Magna tum erat toto penè Oriẽte Lu-

te Lusitani nominis gloria, magnaq; cum bellicæ virtutis, tũ opum & diuitiarum existimatio, itaq; Peguanus rex, licet potens admodum & nobilis esset, nuncijs tamen à Correa missis comiter & amice acceptis, duos vicissim ad eũ ipsemet cum donis, stabiliendæ societatis & amicitiæ gratia remisit, Satrapam vnum, sacerdotem alterum. Vt Martabanum ventum est, post mutuæ salutationis officia, conscriptę cõmuni consensu pacis & fœderis leges, tum ad eas solenni iureiurando firmandas, in celeberrimum vrbis templum Antonius Correa, regijque summa populi frequentia conuenerunt. Ibi Satrapa Peguanus prior, in aurea pagina inscriptas diligenter eius amicitiæ leges, Peguana & Lusitana linguis, clara voce recitari primum iussit, deinde paginam dissecat, & cum aliquot simul arboris odoratæ folijs, subiecto igne comburit. Hoc facto vtramq; sacerdotis manũ cineribus ijs imponit, qui regis sui nomine ratam & firmam eam societatem fore, iureiurando promisit. Hæc omnia summa ita attentione, miroque silentio peracta sunt, at vero Correa, Christianam fidem Ethnicis iureiurando obligari non decere existimans, cum sacra Biblia Christiano ritu tangenda ipsi essent, libro cuidam, in quo varij generis lusus & cantica Lusitanico sermone scripta continebantur, manũ imposuit, sed apud se tamen perinde iustũ atq; legitimũ id iusiurandũ habuit, ac si pro vulgari eo libro, sacrosancta vtriusq; testamenti volumina contigisset. Sancito igitur in hunc modum fœdere impositisq; in naues suas mercibus & omni cõmeatus genere, inde statim Malacam Correa profectus est.

Peguanus Rex cum Lusitanis societatem & amicitiam contrahit.

CAPVT XXXVII.

DE SVPERSTITIONIBVS, SOLENNITATIBUS & BELLIS PEGUANORUM VARIJS.

GLoriantur Peguani, stirpem sese à Iudæis exulibus ducere, qui à Salomone damnati ad Offiranas aurifodinas, ea loca primi tenuerint. Hoc an verum sit nostrum non est perquirere, certe gens illa ignara Dei, miserandis admodum opinionum erroribus inuoluta est. *Peguanorū origo.*

Qui enim apud eam barbariem sapientes habentur, infinitos perpetua serie ac successione mundos ab omni æternitate constituunt, innumerabiles item Deos, quorum aliquot in singulis mundis variante numero deinceps existant, qui nunc voluitur, hunc Deos quinque habiturum affirmant, quorum quatuor iam abierint, postremum enim hinc ante bis mille & nonaginta nouem annos aiunt è vita migrasse, iam vero sine Deo sunt, & post multorum annorum curricula venturum alium, nempe quintum, expectant, quo postmodum demortuo, mundus ingenti conflagraturus sit incendio, vti mox iterum reparetur, succedatq; moles noua suos item Deos ac proprios habitura. In Deorum autem cœtum homines referũtur, ea tamen lege, si prius in aquatiles terrestresque & aerias omnium generum animantes varia transmutatione migrauerint. Qui ex hac vita decedunt, ijs triplicem fingunt sedẽ, Naxac, is tormentorum est locus, scuũ, delicijs ac paradiso Mahometano persimilem, & Nibam, quæ vox omnis essentiæ priuationem & vlti- *Peguanorũ de mundo et Deo figmentum ridiculum.*

vltimum corporis animique interitum notat, Duobusin prioribus omimæ tam diu detinentur, atque inde repetitis nascendi vicibus, mũdum toties repetunt, quoad inNibam admitti, hoc est, prorsus ad nihilum redigi deniq; mereantur. Hæc & id genus alia Peguani dogmatis elementa sunt, extantque multa de hoc genere conscripta volumina. Ex ijs autem principijs & eiusmodi vanitate, quam prauus numinum cultus, quam absurdæ ceremoniæ, quæ portenta opinionum, quæque vitiorum sequãtur monstra, cuilibet æstimare difficile non est.

Peguani ab erroribus conuerti nequeunt.

Accedit vero ad cumulum malorum, quod hasce tenebras circumsepsit Dæmon, vt solet, summa difficultate luminis inferendi, siquidẽ ipsius artificio, plane persuasum ac penitus infixum habent Peguani, cuiuslibet alterius, quã quam ex ipso cælo demissæ doctrinæ vel sectæ, decretis aut placitis, aures, nedum assensum, absque inexpiabili scelere præberi non posse, itaque cum Bomferrus aliquando Franciscanę sectæ monachus, tribus ferme annis inter hæc exploranda mysteria & linguam Peguanam discendam, consumptis, sermones demum de Christiana religione apud eos serere pedetentim aggrederetur, mirum quam obduratos obfirmatosque contra omnem veritatem animos incolarum offenderit, alij enim vt fabulas ac deliramenta ridere, alij vt pestes & piacula prorsus abominanda respuere visi sunt, neque multum iam ab vltimo exitio abfuisset, ignotus præco, in oleum & operam sese perdere videns, inculcare nouam ipsis religionem destitisset,

ſtitiſſet, & amicorum ſuaſu, re infecta, retro vnde venerat in Indiam reuerſus fuiſſet.

Pręterquàm autem, quod infinitos mundos, innumerabiles item Deos, & alia id genus portenta fingant & pro veritate agnoſcãt, in morbis & calamitatibus conſtituti Diabolum aperte venerantur, magno enim cum apparatu aram quaſi quandam admodum eleuatam extruunt, varijſque floribus exornant, apponentes ſimul cibos omnis generis, quibus ſaturatus cacodæmon, eos impoſterum affligere ceſſet. Quin & inſtrumenta muſica & cantiunculas varias pro oblectando Dæmone adhibent, virum enim quendam, ſacrorum horum antiſtitem habent, quem Cacodæmonis patrẽ vocant, is quæ ad ſacra hæc neceſſaria ſunt, comportat, & muſicam, qua dæmonium maximè delectari nouit, adhibet. Reperiuntur etiam qui quamprimum cubitu ſurgunt, Spartam oryza & cibis alijs repletam arripientes, & facem ardentem manibus geſtantes, hinc inde per plateas diſcurrant, & Diabolo ſeſe alimentum afferre aperte profiteantur, vt per diem iſtum ab iniurijs eius tuti eſſe poſſint, addentes & hoc, ſi canes fortè ſeſe ſequi cernant, Diabolum eos miſiſſe, vt cibos illos colligant & ſuo nomine deuorent. Sunt qui cibum non capiant, niſi primum aliquid poſt tergum abiectũ Diabolo obtulerint, In pagis vero & locis mediterraneis ditiſſimi quique ædes ſuas omni alimentorum genere repletas, Cacodæmoni habitandas tribus in annomenſibus relinquũt, in agro interea ſeſe continentes, idque eam, vti dicunt, ob cauſam, vt reliquis nouem menſi-

Peguani diabolum apertè venerantur.

bus eò benigniorem eum experiantur, & sibi ab eo non vsque adeo metuere necesse habeāt.

Peguani crocodilos & simios sanctos habent. In fossis ciuitatis, vt superiori capite dictum est, multos Crocodilos alunt, & tamen aquam illam ad quotidianas vsus semper adhibent, idq; ex singulari pietatis vel superstitionis potiꝰ zelo, licet dies nō prætereat, quo nō homines aliqui ab illis abripiātur atq; deuorentur. Hoc enim non obstante, hæ ipsis bestiæ, quemadmodū & simiæ, tam sanctæ habentur, vt certo certius saluari dicant quotquot à bestijs illis deuorentur, quæ tanta sunt astutia, vt inter densissimas herbas & arundines occultatæ lateāt, dum ad hauriendum aquam vrbe quidam egrediantur, tum enim prosilientes, manibus pedibusve apprehensos in aquam præcipitant & deuorandos abducunt. *Talapoi monachi & sacrorum præsides, apud Peguanos sancti habētur.* Sunt in regno hoc, qui Talapoi dicuntur, monachos nostros repræsentantes, hi ædificia sua in syluis habent admodum à terra eleuata, vt tuti à tigribus esse possint, semel tantum in die cibum capiunt, & tunica oblonga, mixti ex rubro & nigro coloris vtuntur, pedibus autem nudis & aperto capite incedunt, crines nulla corporis parte alentes, tunicam cingulo coreaceo quatuor digitos lato colligunt, & pallium oblongum ex dextro humero ad latus sinistrum demittunt. Pro auertendo solis æstu vmbraculum gestant ex gossypio eiusdem cum vestitu coloris factum. Per totam autem ciuitatem mendicantes incedunt, appensa olla ad cingulum in quam cibū colligant, qui ipsis abunde suppeditatur, habentur enim vulgo sanctissimi, cum præsertim vitam pudicā agant, & honestam in incessu eximiam præ se ferant. Singulis Lunæ diebus

summo mane surgentes, cum pelui per plateas incedunt, populumque excitant vt cibum sibi parent ad conciones accedant. Solent autem Talapoi vel monachi isti corpora sua recenti aqua frequenter abluere, quam collectam vulgus quidem summo studio asseruat, & tam sanctam habet, vt in potum etiam eam auidissimè assumat.

Festum solenne duodecim à Peguana ciuitate leucas remoti.

Cæterum multa habent per annum festa, eaque magna solennitate obseruant. Primum nõ in ipsa ciuitate, sed loco 12. leucarũ itinere ab ea remoto, celebratur. Rex igitur vt tempestiuè satis eo pertingat, die festum illud præcedẽte, iter ingreditur. Cumq; festum iam celebrãdum est, currum triumphalẽ auro vndiq; obductum & quatuor rotis insistentem conscendit, reginamq; suã preciosissimè ornatã à dextris sibi assidentẽ habet. Ipse vero caput multis margaritis inæstimabilis precij ornatus est, inter quas duo carbunculi, quorũ quilibet duos dactylos magnitudine sua excedit, ad aures vtrinque propendent, prætereà pretiosissimarũ gemmarum linea à dextro humero ad vmbilicum vsq; demittitur, & inde sub brachium sinistrũ inuoluitur, tãto fulgore intuentiũ oculos perstringẽs, vt visum facile hebetare possit, taceo iam annulos aureos quos digitis suis gestat, carbunculis, adamãtibus & smaragdis fulgentissimis conspicuos. Circũ currũ triũphalẽ, Gynæceũ consistit, ex Regũ aliorũ, procerũq; filiabus collectũ, quæ oẽs flexis genib⁹ & cõplicatis manib⁹, honorẽ regi deferũt. Currus aẽt ipse 8. generosissimis vnius coloris equis, auro & gẽmis nitẽtib⁹ protrahitur, incedẽtibus iuxta eos

Prefectis aliquot, qui funiculos manibus tenẽtes, equos sese in protrahendo curru iuuare simulant.

Festum in vrbe Pegu in honorem idoli cuiusdam celebratum.

Alterum festum in vrbe Pegu celebratur. Quilibet autem procerum, peculiares pyramides & columnas parant, alia atque alia forma, nam ante festiuum quidem diem, nemini columnam alterius videre licet, artificibus se in secretiorem quendam locum concludentibus, & ab aliorum, dum in opere sunt, conuersatione sese prorsus subducentibus. Assumunt autem crassas arundines Indicas, & adhibita cælatura varia auro obductas curribus imponũt. Cum igitur Rex arce sua splendidissimè egressus, festum hoc celebrare cupit, quilibet procerum columnam suam afferri curat & ante Regem eam sistit, vt iudicium suum de ea exponat, & laudem cuique suam attribuat. Postquam igitur Rex vnamquamque diligentissimè intuitus est, & artificiosissimam sua laude ornauit, singulæ ad Dominum suum reducuntur. Per totam autem noctem ingentes cere[i] in plateis hinc inde dispositi ardent, ne, qui st[a]tuam siue idolum illud, in cuius honorem ho[c] festum institutum est, inuisere expetunt, in te[-]nebris fortè offendant, portæ enim ciuitati[s] nouæ per noctem istam non clauduntur, vetu[s] vero ciuitas portas nullas habet, vt cuilibet a[d] idolum illud liber accessus pateat. Accedente[s] autem vacui non apparent, sed munusculum secum aliquod siue paruum siue magnum, pro ut fert cuiuscunque conditio, ad conseruatio[-]nem idololatriæ istius afferunt.

Sed & festum aquationis habent, quod i[n]

veter[-]

veteri ciuitate, loco quodam auro vndique exornato celebratur. Rex igitur curru suo aduectus, locum istum cum Regina & filijs suis ingreditur, seque aqua rosacea inuicem aspergunt. Extra vero locum Regi destinatum, in patenti campo Duces belli præfectique & ministri alij longo ordine consistentes, singuli vascula aqua rosarum impleta manibus tenent, seque mutuis aspersionibus, tam madidos reddunt, vt fluuio quasi egressi videantur. Præterea festo quodam alio, Rex cum Regina nauem regiam auro vndique obductam ingressi, ad ciuitatem Maccaum traijciunt, comitantibus eos proceribus & aulicis omnibus, ita vt centũ & amplius nauigia ibi congregantur. Portum autem assecuti, in terram descendunt, domumque regiam intus & exterius auro obductam & pulcherrimo horto circumdatam ingrediuntur, vt prospicere de fenestris regina cũ Gynæceo suo possit. Nobiles enim proceresque inito certamine, cum nauigijs suis ad domum istam Regiam, velificationem instituunt, quique primus metam assequitur, præter laudem & gloriam, statua etiam aurea, quæ hoc quidẽ ine ad metam exposita est, secundus vero, statua argentea donantur, reliqui ludibrio haben tur, & qui postremus omnium accedit, linteũ Regina, ignominiæ notam reportat. *Festum decursationis.*

Cæterum Rex Peguanus plures sub se Reges habet, qui ad alloquium eius, nisi in genua prius concidant & alijs elephantibus honorẽ exhibeant, nõ admittuntur. Accidit Anno 1585 ut Rex Auuæ, tributum Regi Peguano persoluere recusans, per seditionem aduersus eum *Belli inter Peguanum & Auuanum reges descriptio.*

 consur-

consurgeret,& regno suo Peguanum pellere niteretur, quod vt facilius faceret, amicitiam cum Regis Peguani proceribus aulicis colens, iureiurando sibi plerosq; clam obligauerat, vt si forsitan ad arma deueniẽdum esset, ipsi relicto Peguano ad sua castra transitum facerent. Peguanus igitur licet huius clandestinæ confœderationis ignarus non esset, dissimulabat tamen omnia, & per legatum Regi significabat, se contumaciam istam ægrè ferre, nolle tamen grauius quid in eum statuere, si ad officiũ reuersus, quæ personam suam decerent faceret. Auvanus autem beneuolentia aulicorum Peguanorum fretus, vt causam belli daret, legatum interfici curat, itaque iratus Peguanus apertum ei, licet patruo suo, (erat enim defuncti patris sui frater,) bellum denunciat, cæterum conuocatos proceres ducesque & præfectos militum, quos in confœderatione cũ Auvano esse nouerat, quasi seorsim in causa belli auditurus, ergastulo includi, & viuos omnes vno eodemq; die vna cum vxoribus liberisq; & vniuersa eorũ familia, posthabito omni eiulatu & ploratu, igne cremari curat. Erant autẽ qui interficiebantur fere quater mille, & per ministrum Regis ex vtraq; ciuitate omnes & singuli ad spectaculum hoc accersebãtur, quod triste admodum & miserabile erat, cum præsertim ne infantibus quidem, facinoris huius per ætatem nulla ratione conscijs parceretur.

Supplicium à coniuratis sumptum.

His ita peractis præfectos & proceres reliquos, qui coniurationis huius socij non fuerãt conuocãs rex, ita allocutus est: Vidistis, inquit quid

Peguanus Rex in bellũ proficiscitur

quid de proditoribus nostris factum, vestrarũ igitur partium fuerit, officio vestro fideliter posthac præesse, & exercitum quam potestis maximum primo quoque tempore colligere, nam & ego ipsemet in bellum vobiscum proficisci, & non nisi superato perfido hoste patruo meo, domum redire omnino constitui. His auditis præfecti, breui tempore ex vna atque altera ciuitate, plus quam trecenta millia armatorum in aciem producebant. Rex vero gladio nostris simili, quẽ à ProregeGoæ non ita pridem dono acceperat, armatus, post dies aliquot in Elephanto, auro gẽmisq; ornato sedens, sese in ciuitate passim conspiciẽdum exhibebat. Cæterum vrbe cum exercitu egressus, albis tamen elephantibus domi relictis, vt ad locum pugnæ ventum est, ad monomachiam siue duellum regem Avuanum prouocabat, exercitu vtrinque quiescente, satellitibus solũ vtriusq; partis exceptis, quorũ singuli singulos etiã quibus cum congrederentur eligebant, donec ad perfectum bellum res excresceret.

Cæterum Reges congressi, licet sclopis primum, postmodo sagittis & iaculis, tandem vero gladijs certassent, & omnem quilibet pro superando altera diligentiam adhiberent, nihil tamen proficere poterant, donec elephas Peguani regis in dentẽ læderetur, quẽ alter ipsi perfregerat, tunc enim dolorẽ inde percipiens, quasi oestro percitus, magno in alterum impetu proruit, & Peguanus quidẽ occasione hac obseruata, gladiũ in Avuanũ totis viribus vibrauit, vt percussus animam exhalaret. Concidebat autem simul etiam ex dolore elephas *Avuanus rex à Peguano superatur.*

Peguanus, Rex vero licet in brachio altero nõnihil vulneratus esset, elephantem tamen Avuani Regis, modo interfecti, extemplo conscendens, victorem sese palam ostendit. Cum igitur copiæ Regis Avuani viderent, Dominium suum in prælio succubuisse, remittentes statim à pugna, sese in potestatem Peguani regis tradiderunt, qui hilari eos vultu accipiens, Avuam ciuitatem subuerti, omnesq; quotquot in ea adhuc superessent, in captiuitatem abduci præcepit, inter hos Regina etiam erat, quæ ægre casum hunc ferens, ad perpetuos carceres damnata, & in custodia ad dies vitæ splendide, vti personam eius decebat, habita est. Quicunque autem fuga elapsi, captiuitatem euitauerant, in syluis postea & solitudinibus inter feras bestias vitam traducere coacti sunt. Non possum, quin exemplum hic immanis bestiæ herum suum lugentis commemorem, Elephas enim interfecti Regis Avuani, cum in ciuitatem Peguanam traduceretur, totam diem eiulando consumebat, & vix persuaderi poterat, vt vel parum cibi gestaret, & licet in locũ elephantis regij, qui in acie, vti dictum est, occubuerat, constitutus, duos sibi astantes haberet ministros, qui eum consolarentur & monerent, vt deposito tandem luctu cibum caperet, siquidem longe potentiorem iam Dominũ nactus esset, parum tamen apud eum profectũ est, finem enim lachrymandi facere nolebat, & in signum luctus sui, promuscidem semper in terram demittebat. Tandem tamẽ cum quindecim dies in luctu fuisset, apposito iterum cibo vas-

Elephas ob interitum Domini sui plorat.

bo vesci cœpit, quod Regem quidem non parũ exhilarauit.

CAP. XXXVIII.

DE SIANO REGNO POTENTISSIMO, eiusque ad Peguanum Regem translatione. Itemque de Patane regno inter Sianum & Malacam medio.

AD portum Martabanum, de quo supra dictum incipit Siani regni littus, longoque admodum quingentarum leucarum tractu, ad Tauaiam vrbem vsque excurrit. Fuit olim tantæ potentiæ, vt Rex eius Imperatorem & Cæsarem sese nominari voluerit. Hodie vero maritimæ eius oræ non parum Mauri, partim siue Arabes, partim & Lusitani occuparũt, residuo omni ad Peguanum Regem delato. Agrum habet planum, montibus percinctum, herbidum, amœnum, pinguem & fertilem, qui oryza & rebus alijs ad victum necessarijs mirè affluit, piper item copiosum, nec non aurũ, argentum, stannum & alia profert, multosque elephantes & equos mittit. Apex huius regni instar brachij in mare protenditur, cuius anguli procurrentis latera vtrinque quinquaginta ab inuicem miliaribus distant, si à Martabano portu austrum versus per 60. miliaria perrexeris, & inde in Eurum per 30. miliaria deflexeris, littus sinuoso flexu inter duas insulas medium extenditur, ad Tanassariam vrbem, quam Lusitani hodie admodum frequentant, est enim veluti portus totius prouinciæ, ad quem subinde naues Peguanæ & Sianæ appel- *Siani regni descriptio.*

Vinum ex nucibus Indicis paratum præstantissimum. sunt. Habetur ibi vinum ex nucibus Indicis paratum, quod sua virtute & efficacia cũ vino nostro sublimato optimo conferri potest, Vocatur vulgo Nype, & licet alibi etiam paretur, hoc tamen omnium præstantissimum est, & propterea in vasis fictilibus Martabanis, per diuersa Regna vehitur & non sine incolarum commodo diuenditur.

Sianensis incolarum mores varij Incolæ per vniuersum hoc regnum delitijs, luxui & crapulæ plurimum vacant, sumptuosissimis vtuntur vestibus, nobilitatem sanguinis profitentur, & musica maximè delectantur Mechanicas artes nullas exercent, sed mancipijs tractandas relinquunt, publicas habent scholas, vbi leges & religionem suam lingua vulgari profitentur. Idola colunt innumera, præcipuè vero quatuor elementa, vnde post mortem vnusquisque sepulturæ genus sibi eligit iuxta elementum illud, quod in vita sua adorauit, nam qui terram adorarunt, in eam sepeliuntur, qui ignem, comburuntur, qui aquam submerguntur, qui vero aerem coluerunt, ab auibus deuorandi suspenduntur.

Sian vrbs regni regia. Præcipua huius regni vrbs, Sian dicta est, eodem cum ipso regno nomine, fuit olim sedes Regis siue Imperatoris, & muros habet valde desolatos, sed ex quibus tamen vis & potentia eius facile etiamnum appareat. Ampla autem admodum est, & ad mercaturam idonea, iacet enim ad ripam lati & profundi cuiusdam fluuij, & copioso admodum populo habitatur.

Præter hanc vrbem sunt adhuc aliæ, nempe Camboia, ad ripam fluminis celeberrimi similiter sita, quod in China regione oritur, & *Camboia* multis

multis adauctum fluuijs alijs, lacum 200. leucas amplum efformat. Rebus ad victum necessarijs admodum abundat, nam oryzam, carnes, pisces, & vina eorum more confecta abunde habet. Incolæ bellicosissimi sunt & gentiles siue idololatræ, qui nauigatoriæ arti & mercaturæ operam dant, sed moribus barbaris existunt, putantes nimirum, homines & bruta animalia, eiusdem conditionis esse. Horum vxores, post mariti mortem simul cum ipso cōburuntur, Post regis vero obitum, non vxores eius tantum, sed & multi viri nobiles, libera voluntate cum Regio cadauere in ignē se præcipitant. Campaa vrbs maritima, auro & rebus ad victum necessarijs omnibus abundat. Mittit perfectissimum lignum Aloes, quod in montibus nascitur, & non minoris quam argentum, ab vniuersis Orientalibus populis æstimatur, vnde eius & in balneis, & in funeralibus principum maximus vsus est.

vrbs Siam præcipua.

Campaa vrbs Siam maritima.

Sincapura vrbs, in extremitate huius regni Meridionali iacet, iuxta promontorium quodd im, quod inde caput Sincapuræ nominatur. Abundat omnis genis feris animalibus, mittit enim elephantos & equos, tigresque, leones item & alia. Mare hoc in loco ab vrbe & promontorio hoc Sincapuranum dicitur, ad cuius custodiam, Albuquercius olim, rebus Malacæ compositis, Fernandum Petreium Andradium, insigni virtute & prudentia virum, cum decem nauibus, reliquit.

Sincapura vrbs in finibus Siam regni.

Diximus supra regnum hoc, proprium olim

Regem

Sianum regnum qua occasione & quando à Peguano occupatum.

Regem habuisse, iamque ad Regem Peguanū translatum esse, id vero Anno 1568. factum est, quo Peguanus quidem, multa centena millia armatorum, contra regem Sianum in aciem produxit, obsidione autem vrbis vltra biennium continuata, cum amplius quingenta millia militum amisisset, per proditionem tandē vrbe potitus est. Causa autem belli fuit huiusmodi. Habebat Sianus Rex elephantes albos duos, hoc cum Peguanis innotesceret, vtpote qui bestias illas sacrosanctas habent, missa ad Sianum Regem legatione, tantum ei precium pro Elephantibus illis obtulerunt, quantum ipsi satis videretur. Verum Sianus petitionem Peguanorum detrectans, nulla ratione eo adduci poterat, vt Elephantes illos Peguanis concederet. Itaque furore & ira accensus Peguanus Rex, non Elephantibus modo vi potitus est, sed & Sianos sibi tributarios fecit, Rege nimirum expugnatione cognita, venenum hauriente, Proceribus vero ad vnum omnibus in acie partim cæsis, partim vero cum multa auri & gemmarum præda in captiuitatem abductis.

Lusitani cū Siani Rege amicitiam contrahunt.

Cæterum antequam regnum hoc à Peguano expugnaretur, Malacæ, (de qua ciuitate peculiari postmodum capite dicturi sumus) præfectus, Mamudius nomine, per summam fraudem iniuriamque à Rege Siano desciuerat, itáque cum Albuquercius eo superato, Malacam, (vt paulo post dicemus) expugnasset, missis statim ad Regem istum legatis, de re gesta victóque Mamudio eum edocuit, qui & factum probauit, & victoriam gratulatus, amicitiam cum

Lusi-

Lusitanis instituit, vnde ex eo tempore vltro citroque legati cum pretiosis muneribus commearunt. Circa annum autem 1516. Eduardus Cælius ad Regem, Emanuelis Lusitanicæ Regis nomine, amicitiæ partim eius firmandæ causa, partim etiam vt eadē opera colonos à Rege ad Malacā peteret, missus est, Is ad vrbē regiā delatus, Emanuelis literas & dona Regi reddidit, deinde iureiurando fœdus vtrinque renouatum est, cuius fœderis testem, Cœlius, celeberrimo vrbis loco, præcelsam crucem ligneam, summa Regis voluntate defixit, rebusque ex voluntate confectis, duarum insuper nauium præsidio adiutus, à Rege lætus ad suos reuersus est.

Medio inter Sianum regnum & Malacam loco, ad latitudinem nempe septem graduum, Patane ciuitas iuxta mare sita est, estque metropolis totius regni, quod ab hac ciuitate denominationem habens, regnum Patane vocatur. Adiacet autem ciuitas hæc littori maris, & ad dimidium fere miliare excurrit, absque vllo tamen portu, ille enim dimidio miliari ab vrbe distat. Aedificia ex ligno & arundine constant perspicuo vndique & artificioso opere. Locus vbi regis palatium & procerum habitatio est, sepimento ligneo magni roboris cinctus vndique & circumdatus est, Musquitam vero vel templum habent ex lateribus seu coctis lapidibus, Chinensium opificum opera elegantissimè extructum. Aula regia ab aliorū nobilium domibus ita discreta est, quod cælato magis opere constet & inauratis cuspidibus globis-

Patanensis regni & ciuitatis descriptio

Patanensiũ incolarum mores.

globisque fastigiata cernatur. Incolæ colore sunt subcinericio, decora & conueniente mẽbrorum constitutione, multum sibi tribuentes, & fastum singularem vel incessu corporis præ se ferentes maximè si alicuius dignitatis sint, tunc enim non nisi multo cum ministrorum comitatu, domo egrediũtur, affabiles interim sunt, & conuersatione tam peregrinorum quam domesticorum delectantur. Vestitu non admodum decente vtuntur. Mulierum cõsuetudine assiduè delectantur. Quod si officij vel amicitiæ causa quis aliquem domi suæ cõueniat, familiarissimè quidem excipitur, & folijs quæ assiduè manducantes Betele vocãt, exhilaratur, verum ad vxores & filias nunquã admittitur. Opificia & artes mechanicas prorsus ignorant, in extruendis enim ædificijs Chinensium opera plerunque vtuntur, quorum tãta in Patane frequentia est, vt vel indigenas numero superent, suntque vel mercatores vel opifices, vel negocia alia tractantes, potissima enim à Chinensibus exercentur commercia, & apud Regem valent plurimum.

Linguarum in Patane vsus.

Linguæ quatuor potissimum in vsu ibi sunt, Malaica, Siania, Vernacula & Chinesia, suntque adeo ab inuicem discretæ, vt nulla quicquam cum altera commune habeat, Malacenses enim Iudæorum ductum, à dextra versus sinistram obseruant, Sianij vero Europæorum more & latinis fere characteribus scribunt. Quod mirum quidem est cum regiones aliàs vicinæ sint & exiguo ab inuicem interuallo distent. Sed & quod ad religionem attinet, ingens inter nationes hasce vicinas discrepantia

Religionis in Patane ratio.

tia

tia reperitur, Chinenses enim & Sianij omnes quidem gentiles atque Ethnici sunt, idola colentes, sed non eodem tamen sensu modoque, varias enim in sectas discernuntur. Templa in vrbe habent multis idolis aureis conspicua, quorum curam sacrificuli, vestitu flaui coloris induti, gerunt. Iuuenes habent vaticinantes, idque adhibitis varijs ceremonijs. Principio enim populus, certo ab idolis interuallo in terram confident, nutusque & gestus vaticinantis iuuenis obseruant, qui passis crinibus coram idolo prostratus in terra iacet, canunt interea astantes varijsque instrumentis perstrepunt, donec erigens sese à terra iuuenis in pedes iterum consurgat. Tum enim tanquam à Dæmone obsessus, horrendo vultu hinc inde discurrit, arreptoque gladio seipsum quasi & astantes omnes interfecturus, variè tumultuatur. Interea prostratus in terram populus, iuuenem vti oracula Dæmonisque voluntatem edisserat, precantur, qui tandem vt debacchatus satis est, mendacia varia astantibus obtrudit, quæ pro diuinis oraculis ab ipsis habentur & acceptantur.

Oracula Patanensium.

Adulterium apud hosce populos capitale est, maximè vero inter nobiles & proceres regni, fitque executio à patre eius qui peccauit, si is adhuc in viuis sit, sin minus, coguntur illud propinquiores quique perficere, ita tamen vt electio supplicij sit penes delinquentem. Tametsi autem grauis admodum pœna in adulteros constituta sit, nihil tamen in ciuitate flagitio hoc frequentius est, idque propter

Adulterium apud Patanios capitale.

propter effrenatam mulierum lasciuiam, quæ præter libidinem dies noctesque nihil tractãt aliud, scortatio simplex quæ inter personas matrimonio solutas fit, pro flagitio non habetur. Viri plerunque duos vel tres globulos argenteos aureosúe intra cutem & carnem virgæ virilis insertos gestant, vt lasciuiæ suæ aliquo modo resistant.

Patauensis soli fertilitas.

Quod ad fertilitatem regionis attinet, ea quidem omnibus quæ ad victum pertinent, abundat, Aerem commodum & salutarem habet, tametsi ad æquinoctialem lineam accedat propius, & inde feruori solis nimio subiecta sit. Notandum autem est, octo ferè continuis mensibus, à Februario nempe ad finem Octobris, statam & certam ibi ventorum rationem haberi, reliquis vero mensibus, Nouembri, Decembri & Ianuario hyemem habent, pluuias absque vlla intermissione cum boreali vẽto experientes. Terram autem Bubalorum & boum opera aratam, oryza conserunt, quæ siliginis & tritici nostratis instar, copiosè admodum illis in locis prouenit. Singulis per annũ mensibus fructus recentes, alios quidem alijs meliores & iucundiores habent. Carne piscibusque admodum abundant. Anseres & anates tam fæcundæ sunt, vt bis in die oua pariant, Feris animalibus syluæ passim omnes repletæ sunt, nec desunt ibi volucres, inter quas turtures quidem pennis sunt tam pulchre coloratis, vt vel psittacos superare videantur. Perniciosissimæ ferarum omnium tigres sunt itemque simiæ & cercopiteci, quorum illi pecoribus, hi vero frugibus insidiantur.

Regnum

Regnum hodie à fœmina administratur, quæ Rege marito suo defuncto imperium retinuit, & iam quindecim plus minus annos regno sola præfuit. Annorum quinquaginta ferè putatur, & semper sese domi suæ, nẽpe in Gynæceo, quod frequens admodum & copiosum habet, continet, suntque in Gynæceo isto mulieres plurimæ, quibus matrimonium quidem nunquam contrahere, sed amori tamen, quoties occasio fert, operam dare permissum est, Raro autem admodum nec nisi oblectandi animi gratia expatiari, & se conspiciendam subditis præbere Regina cernitur, quod quidem tum magna pompa & ingenti nobilium procerumque regni fermè quatuor millium comitatu fieri solet, Aula. n. egressa elephantos secũ plurimos ducit, arma defuncti Regis & maximam Gynæcei partem gestantes. Ipsa quidem regina Elephanto pulcherrimè ornata insidet, cũque ad destinatum oblectationis locum ventũ est, cibo potuq; suos suauissimo recreat, & eodem rursus ordine aulam suam regiam iterum repetit.

Patane hodie à Regina quadam administratur.

Hollandi cum anno 1602. sub imperio Iacobi Neccij, ad ciuitatem hanc appulissent, amicè admodum & liberaliter accepti sunt. Adfuit enim eis statim aliquis, cuius officium erat naues peregrinas scrutari & perlustrare. Hic cum fructus aliquot recentes Hollandis obtulisset, Reginam & incolas omnes ob aduentũ eorum maximoperè lætari dixit, negauit tamen commerciorum ipsis exercendorum fieri potestatem posse, priusquam præfectus ipsemet in vrbem veniret, qui postero quidem die

Hollandi ad Patanam honorificè & liberaliter excipiuntur.

acceptis aliquot pro Regina & Proceribus a-
lijs muneribus in terram descendens, elephan-
torum aliquot ministerio ad aulam profectu
est. Exhibebat autem Reginæ & proceribus di-
ploma Mauritij Principis, quo viso, potestas i-
psi cum incolis commercia exercendi statim
facta est, dato alicui ex primoribus hoc nego-
tio, vt de precio piperis cum Hollandis ageret
daretque operam, vt quantum onerandis naui-
bus suis satis esse acciperent. Sed & domus ip-
sis attributa est, vbi dispositis mercibus sui
negotiari cum incolis commodè possent. An-
tequam autem commercia exercerent, more i-
bi consueto, octo prius proceribus, penes quo
summa totius regni administratio tum erat
munera quædam offerenda erant, quo facto
plenaria ipsis potestas cum quibuscunque pro
libitu contrahendi data est. Confectis auten
rebus omnibus cũ naues suas pipere satis mul-
to onerassent, honorarium aliquod Regina
pro more offerentes, ei valedixerunt. Venera
enim illa in propria persona ad Hollandos, v
cum illis conferret, quod quidem non exigu-
um beneuolentiæ argumentum illis in loci
esse putatur. Cum autem Hollandi procurato-
res aliquot ibi relicturi essent, qui diuenden-
dis mercibus suis, & coëmendo piperi oper
imposterum darent, commendatos eos sibi ha-
bituram sese, modo non potatores sed honest
& probi viri essent, pollicita est. Excusaba
porro se, quod nõ singulis diebus Hollãdos cõ-
uiuio excepisset, dicẽs id suã personã, quod m
lier esset, non decuisse, rogabat autẽ, vt impo-
sterum in Indiam velificationẽ facturi, ad Pa
tanen

tânem applicare nunquam intermitterent. Do
nabat præterea præfectum Crise siue gladio
Indico pulcherrime inaurato, petens vt sui re-
cordaretur, & sicubi nauem aliquam Pataniam
periclitari ab hostibus in mari videret, suppe-
ias ei ferret, quod cum Hollandi se facturos
promisissent, gustatis qui appositi erant fru-
ctibus, ad domicilium atque inde ad naues su-
s sese receperunt.

Cæterum cum, vt alibi passim, sic in huius *Piper quo-*
uoque regni & Malacæ finibus, piper optimũ *modo cref-*
nagna copia proueniat, paucula hic de modo *cat.*
uo illud crescat, annotanda veniunt. Rotun-
um igitur piper duplex est, nigrum & album,
trumque in finibus hisce prouenit, sed nigrũ
d nos frequentius exportatur. Album vero e-
isdem est cum nigro & saporis & facultatis,
isi quod cortex eius exterior candidus & mi-
ime rugosus cernitur. Frutex eius plerumque
terius arboris trunco inseritur, maximè ve-
illi in quo Arecca (quem fructum cum Be-
le folijs, manducare Indiani crebro viden-
r,) prouenit. Huius ramos amplexum quasi
per, altius consurgit & instar lupuli horté-
fructificat. Folia habet aurantiorum folijs
nilia, sed minora tamen, viridantia, & in a-
ce mordicantia, quæ gustata linguã æque ac
telê vellicant. Prouenit autem racematim
arum instar, minore tamen, & exiliore
am vinum vua. Grana perpetuo virore con-
icua sunt, donec siccata & maturata sen-
i nigrescant, quod fieri mense Decembri & *Piper lon-*
nuario consueuit. Piper longum in Ia- *gum.*
potissimum prouenit, arboris facie longè

alia existente, habet autem acus alicuius lon-
gitudinem, maiori paulo crassitie & per tot-
æquali. Facie extima totum scabrum & rug-
sum cum colore cinereo spectatur, interior
tamen substantia albicantiore, fibris exilibu-
connexa. Vsus piperis & in culinis & in pha-
macopolijs frequens est, his enim pro med-
cina, illis vero pro cibo facit. Calefacit aute-
ventriculum & crudam tenacemque in eo p-
tuitam absumit. De tribus piperibus in offic-
nis vulgo medicamentum componitur, qu-
recipit piperis albi, nigri & longi, vtriusq-
drachmas 25. Thymi item, Zingiberis & An-
cuiuslibet drachmas quatuor. Hæc cum mel-
quantitate permixta electuarium faciunt, D-
trion piperion dictum, illis, quibus ventric-
lus perfrigeratus est valde conueniens.

CAPVT XXXIX.

DE MALACAE VRBIS ET REGNI initio, progressu, & ad Lusitanos transitu.

Malaca vrbis & regni descriptio.

DE Malacæ vrbis magnitudine senten-
Autorum est, eam viginti in circuitu l-
cas patere, & in vnius leucæ lõgitudinem p-
rigi, secat autem eam amnis ex interiore A-
defluens, in quem plus minusve, pro varijs l-
næ mutationibus, mare exæstuat. Gazam e-
dicunt & viginti quinque leucarum latitu-
ne patet. Ponte vero egregio iunctus, vtra-
que oppidi partem peruiam facit. Dicunt
cum illum initio campum desertum fuisse,
sex s

sex septemue piscatorum tugurijs habitatum, progressu autem temporis piscatores quosdam Peguanos, Sianos & Bengalenses, piscationi intentos eo venisse, consiliumque qua ratione ciuitatem ibi excitarent cepisse. Suo igitur iure libere perfruentes, vrbem non tantum & statuta noua condiderunt, sed & linguam sibi peculiarem, ne videlicet cum vicinis aliquid commune haberent commenti sunt, Discrepant enim in omnibus à finitimis populis, atque vt in lingua idem fieret, seligentes ex diuersis vicinorum idiomatibus optimas quasque voculas, idioma sibi linguamque propriã concinnarunt. Vrbi nomen fecerunt Malaca, quæ breui tempore in tantum excreuit, & ob loci commoditatem à negotiantibus adeo frequentata est, vt in regnum euaserit, quod Siani quidem primum Regem Dominum agnouit, postea verò à Mamudio ex Arabia oriundo per summam fraudem iniuriamque occupatum est. Dicitur autem ducenta & septuaginta circiter miliaria maritimæ oræ habere, cuius ager humidus est, & lutosus, mittitque triticum, carnes, animalia omnis generis & fructus suauissimos, licet non vsque adeo copiosos. Sunt qui auream Chersonesum veteribus fuisse asseuerant, licet Mercator insulam Iaponiam eam esse dicat, vt suo loco dicemus. Portum habet commodissimum, vbi complura appellunt nauigia, aromate & mercibus alijs onusta. Cælum autem ibi admodum inclemens, & aër tã indigenis quã aduenis valde noxius est, vnde & solum habet non vsque adeo frugiferum &

Malaca commoditas.

necesse est, vt aliunde quæ ad vitam necessa-
ria sunt, eò transferantur. Incolæ colore sun
cineritio, capillis prominentibus, luxui & a
moribus deditissimi, videnturque sibi præ
stantissimi omnium hominum quotquot sub
sole viuunt. Sunt præterea ingeniosi admo
dum, studiosi poeticarum inuentionũ, comœ
diarum, cantilenarum venerearum, meditan
tes poemata elegantissima, è quibus sibi fa
mam nominisque celebrationem magnific
promittunt.

Malacenses incolæ.

Cum Lusitani primo Indiæ orientalis loc
frequentare cœpissent, & vero Emanuel Lus
taniæ Rex, inter alia Indicarum negotiatio
num præsidia & quasi claustra, Malacam hanc
Sincapurano impositam freto vrbem statuis
set, ad locum hunc vel fœdere sibi adiungen
dum, vel armis, si ita res exigeret, occupan
dum studium omne conuertit, Didacumqu
Lupium Sequeriam ad ineundam cum Mala
censibus amicitiam è Lusitania misit. Is cu
circa annum 1510. Malacam venisset, tentatu
rus per interpretem Mamudij voluntatem, le
gatum aliquem cum ornatissimo comitatu i
terram exposuit. Aderant statim incolæ instr
toque magnifice elephanto eum impositum
ad regiam ingenti celebritate deducebant
Huc vbi ventum prolata munera & literæ Lu
sitanici Regis Arabica lingua scriptæ, quibu
societatem & commercium ipse expetebat
Mamudio exhibitæ sunt. Et quidem ille mag
nificum sibi ducens, secum à Rege tam incly
to, ex vltimis terrarum finibus, expeti fœdu

Lusitani cũ Malacensibus amicitiã & societatẽ tentabunt.

peract

peracto primæ salutationis officio in pacem & amicitiam statim consensit.

Lætis hisce initijs non æquè lætus exitus respondit, Saraceni enim & Arabes Malacæ negotiantes, cum Lusitanis infensissimi essent, Mamudium hunc, per coemptos pecunia calumniatores, fictis criminibus in Lusitanos quam acerrimè concitarunt, & improuidum viri fallacis animum in eam facile sententiam pertraxerunt, vt infandi sceleris rationem iniret. Per summam igitur officij simulationem, Sequeriam & præcipuos ex eius comitatu ad conuiuium inuitat, suggesto præcelso ad cænaculi amplitudinem extructo & pretiosis tapetibus adornato, & id quidem in ipso littore honoris scilicet causa, ne Lusitanus Dux, longius à suis abscedere cogeretur. Ibi vero inter epulas incautum hospitem comitesque opprimere, eodemque statim momento naues adoriri statuerat. Sequeria licet ad festas dapes vẽturum sese promisisset, tamẽ postea sub ipsum conuiuij diem, per internuncios morbi sese nescio quid contraxisse simulans in naui cum suis remansit. Hac igitur spe delusus Mamudius aliam fraudem machinatur. Mos erat Malacæ, vt quo ordine accessissent ad portum mercatores eo ordine etiam absoluerentur & onera sua acciperent, Lusitanis igitur tum quod postremi aduenissent, diu admodum expectandum erat, Mamudius autem partim in Emanuelis Regis gratiam, partim Sequeriæ ipsius causa, daturum se operam ostendit, vt quamprimum & quanta maxima diligentia absolueretur, scaphis igitur frequen-

Lusitanis ad Malacam insidiæ variæ parantur.

tes adessent, ad certum diem, & onera sua acciperēt iussit. Lætus Sequeria Malacensi gratias pro tanto beneficio agit, & daturum sese operā vt omnia rectissime peragantur affirmat. Interea à Mamudio classis lemborum aliquot cōparata, impositis sagittarijs in occulta statione collocatur, disponuntur idoneis locis armati, vt in Lusitanos in vrbe passim versantes impetum ex omnibus locis faciant, simulque subornantur, qui specie vendendi commeatus, ad Lusitanicas naues accedant, nauiumque custodes ignaros imminentis exitij distineant, Sequeriæ ipsius repente iugulandi negotio, cuidam ei familiariter noto, commisso. Edictum autem, omnibus erat, vt nihil mouerent, antequam ex excelso loco editum fumi signum aspicerent, tunc enim pro sua quisque parte terra marique rem impigrè gererent. Iam tametsi sibi plerique præclare temperarent, quo minus præproperè consilia patefacerent, non tamen eadem omnibus in præstolando patientia erat, nam & qui venalem annonam ad naues aduexerant, & qui in scaphas ex vrbe imminebant per tumultum, non expectato signo coorti, ante tempus in Lusitanos irruunt. Videns igitur hoc ex summo carchesio nauta, confestim Sequeriam Ducem inclamat, Deum hominesque contestans, paratam fraudem & Lusitanos ad vrbem circumuentos occidi. Hoc clamore excitatus Sequeria, arma statim cum suis capit, Sicarij vero conscientia exanimati in subiecta nauigia desiliunt, ille missis propere ad littus armatis, qui suos protegerent & ad naues reducerent, ad omnia prouidenda, quibus

bus in tali re opus esset, extemplo discurit.

Cæterum edito iam signo Iembi hostium ex alto aderant, id vbi Sequeriæ nunciatum est ne loco arcto & impedito repente oppressus, tormentorum vsum, quibus in tanta militum paucitate maximè nitebatur, amitteret, præcisis raptim anchoralibus, è portu se proripuit & obuiam hosti processit. Mox ex tormentis æneis globos ferreos horribili fragore contorquens, barbaros ita conterruit, vt ne tentato quidem certamine, velis remisque in fugam sese præcipites dederint. Dissipatis igitur illis, ad suorum reliquias colligendas in pristinam stationem reuersus est, neque ausus deinde quisquam ei negotium facessere. Fuerant in hoc tumultu quidam in captiuitatem abducti, in quos ne grauius quid statueretur, à quatienda vrbe & nauigijs incendendis Sequeria sese consulto tum continuit, non poterat autem sibi temperare, quo minus Mamudio renunciari iuberet Lusitanos tam insignem atrocemque iniuriam, fauente Deo fœderum teste, propediem esse vindicaturos, in præsentia, cum stata reuersionis tempestas adesset, velis in occidentem datis, nauibusque duabus Cocinum, quæ de statu rerum Malacensium proregem edocerent, missis in Lusitaniam rectà contendit.

Lusitani quidem ad Malacam capti.

Cæterum sequenti anno cum occupata vrbe Goa Albuquercius in Arabiã proficisci, Adenique Regem ad Emanuelem quacunque tandem ratione adiungere niteretur, aduersis obsistentibus ventis ad vlciscendum hoc Mamudij scelus, & eripiendos ex captiuitate Lusitanos, Ma-

Albuquercius Malacã oppugnatum proficiscitur.

 lacam

lacam versus vela fieri iussit. Ad eum rumorē Mamudius armatorum copias & maximā tormentorum vim, vulgata iam tormenta conflādi arte, summo studio comparauerat mediocris ferè magnitudinis. Albuquercius vero iactis ad Malacam anchoris, primum omnium institutoribus & nauarchis variarum nationū insolitæ classis metu perterritis, circummisso nauigio metum omnem ademit, significando eis in nullius sese damnum iniuriamve, sed ad suorum salutem, qui Malacæ vincti per fraudem tenerentur, aduenisse. Hoc officio & denunciatione Lusitanis omnes ferè conciliati sunt, Mamudius vero, amicitiam simulans ad Albuquercium quodam ex proceribus misso, quas merces potissimum ex eo emporio cuperet percunctatur. Ad ea Albuquercius nullas in præsentia merces nominatim expetere sese sed captiuos tantū, & quæ per fraudem ablata Sequeriç essent reposcere, vbi ea sine dolo ma- receperit, tum de commercij conditionibus, si ita videatur, acturos. Hoc accepto responso Mamudius, quod eo tempore classis abesset, in eius aduentum, varijs artibus rem differre constituit, vt ita vbi ea aduenisset, à tergo simul & à fronte Lusitanos nihil tale metuentes, opprimeret. Albuquercius vero fraudis non ignarus ducentos statim armatos mittit, qui diuersis vrbis locis incendium excitent. Eo incendio tecta oppidi aliquot momento consumpta sunt, cumque porro vagaretur flamma, consternati ciues Mamudij opem frequentes implorarunt.

Mamudius igitur metu maloq; coactus, cap-

tiuos

ctiuos statim ad naues mittit incolumes, tardidatem purgans, oransq; Albuquerciũ, ignes extingui & secũ haud iniquis conditionibus pacem & societatem institui patiatur. Albuquercius ingenti lætitia suos recepit ex quotidiano mortis metu ac miserrima seruitute in pristinã dignitatem ac libertatẽ assertos, & in eorũ gratiam sæuientes flammas ab incolis cohiberi permisit. Quod vero ad commercium & amicitiam attinet, ita respondit, locum in vrbe confestim sibi Mamudius attribueret ad ædes ac diuersorium firmo opere aduersus tempestatũ & incolarũ iniurias extruendũ; ablatas ꝑ tumultũ Sequeriæ res vel restitueret vel æqua æstimatione repẽderet, & in classẽ hãc factas impensas præstaret. Mamudius tã acri denunciatione perculsus consiliũ cogit, vbi cũ varia disputarẽtur, plerisq; periculosi belli aleã quãuis magno auri pondere redimẽdã, censentib⁹ adolescẽtes duo regij Alodinus nẽpe & Panẽsis, indignũ Regis Mamudij dignitate & Malacẽsis nominis gloria cẽsuerũt, si ad vni⁹ ignoti aduenæ fremitũ teterrimæ seruitutis iugũ tã facile admitterẽt, itaq; ad arcendã vim omnia cõparata sunt. Albuquercius cognito hoc cõsilio, in diẽ Iacobo Apost. Hispaniarũ patrono sacrũ oppugnationẽ suis edixit, interea ad cõtẽplãdã loci naturã & explorãda Mamudij auxilia totus incubuit, breuiq; cõperit maximũ vrbis firmamentũ in ipso ponte constare, quod arcis instar in omnes partes aditum & prospectũ haberet, & ꝓpterea si eo potiretur, nõ modo oportune ad omnia stationes ibi collocari,

Lusitani captiui à Malacensibus dimittuntur.

verum

verum etiam dirimi barbaris auxilij mutui societas posset, qua vt quisque locus maximè premeretur, ex composito inter se vti decreuerāt. Vt igitur Apostolo dicata dies illuxit, Lusitani sublato ingenti clamore bipartito in terrā agmine descendunt, parte vrbis altera Ioanni Limæ expugnanda tributa, altera vero Albuquercio relicta. Lima dum facta excensione ad pontem festinat, in Alodini, (qui filius Mamudij erat) copias incidit, quas à tergo Mamudius ipsemet sequebatur, turrito & phalelatro cum propugnaculis aliquot elephanto insidens. Lima iussis interim cæteris Alodino resistere, ipse Mamudio cum manu fortissimorum iuuenum pleno gradu obuiam procedit, & arte cōtra vim vsus, patefacta repente acie, aduersos elephantos in medium accipit, ibi glandibus plumbeis certatim in eorū latera coniectis, consternatus ante omnes elephas regius, rectorem excussum proculcat, vnde conuersi cæteri, cursu præcipiti in suos ruunt, editaque latè strage, non modo turbant ordines, verum etiam in fugam auertunt. Mamudius animaduerso periculo confestim è turri desilijt, acceptoque iam vulnere à suis exceptus inque tutum abductus fuit, nec Alodinus etiam alterius agminis impressionem vltra sustinuit.

Albuquercius interea ingenti certamine pontem occuparat, verum cum quo minus eū firmaret venenatis barbarorum sagittis prohiberetur, & vero suos longa inedia & lassitudine defatigatos videret (à prima enim luce in promeridianum vsque tempus acerrimè pugnantes vix arma sustinebant amplius,) sat

eo die

eo die pugnatum ratus, receptui canit, & quas in ponte parauerat munitiones ne hostibus vsui forent succendit.

Ingens eo die Malacensium numerus desideratus est, sed Mamudius tamen omissa pacis mentione, vallum & stationes duplicabat pōtemque præsertim valido præsidio firmabat, viam insuper latam, qua in vrbem intimam ædesque regias Lusitanis patebat accessus veneno infectis tribulis occulte conspergebat, actosque sub terram cuniculos sulphureo puluere complebat. At Albuquercius post dies pauculos per media Malacensium iacula, cum cæteris copijs in terram egressus, pugnam iterum renouare constituit. Cæterum viam illam latam petens, ad manifestum ruebat exitium, siquidem ad eius caput Mamudius cum exercitu constitutus, cum primum Lusitani viam occupassent, ignem cuniculis inijcere decreuerat. At vero Lusitani quasi diuinitus admoniti, declinantes paululum de via, in hostium latus ex aduerso impetum fecerunt. Anceps fuit aliquandiu certamen, dum in angustijs confecti sese barbari opponebant, proque aris & facis acerrime dimicabant, sed ad extremum cum redintegrato clamore gradum Lusitani acrius intulissent, cesserunt tandem loco barbari & tergum verterunt. Eodem igitur hoc impetu templum cæsis pulsisque custodibus occupatū à Lusitanis, ponsque expugnatus & munitus est. Postera autem die ad barbarorum delēdas reliquias & regiam ipsam oppugnandam progressi Lusitani, ædes præter spem vacuas & inanes offenderunt. Mamudius enim desperatis

Mamudius secundo à Lusitanis superatus & in fugam versus mœrore extinguitur.

rebus,

rebus, vasa sua noctu collegerat inque vicinos saltus ac nemora sese cũ paucis abdiderat, vbi etiam paulo post mœrore amissæ vrbis extabuit.

Malaca vrbs à Lusitanis expugnata & iterum constituta.

Sic igitur vrbs Malaca, pulsis vndique armatis militi diripienda data est, vbi quanta vis opum fuerit, vel ex eo conijci poterit, quod præter ea, quæ vel à mercatoribus inter tumultum auecta, vel à militibus per fraudem suppressa fuit, ex quinta dũtaxat eius quę apparuit prædæ parte, (hæc enim ad Emmanuelem Regem pertinebat,) aureorum nummum ducenta millia in regium fiscum redacta dicantur. Inde ad constituendam & firmamdam eius vrbis possessionem sese Albuquercius contulit. Negotiatores igitur primum, qui aut varias in partes metu diffugerant, aut commeare in id emporium iam posthac verebãtur, benignis promissis inuitati & clementer habiti sunt, vt veterem frequentiam ac celebritatem id emporium breui receperit. Simul vero etiam ex vetustis Regum sepulchris ac monumentis eruto lapide templum salutationi Angelicæ sacrum, ex manubijs positum, & loco oportuno arx ædificata est, portiora insuper & vectigalia & scripturæ Magistri certis legibus instituti sunt, & vrbi pariter arciq; fidele præsidiũ impositum est, Roderico quodam Patalino præfecto constituto. Cæterum iuri inter Mahometanos dicundo, Vtimutis, inter cæteros autem inquilinos ciuesq; Ninachetus indigena præfecti sunt, & circumacto iam integro anno Albuquercius tandem cum reliqua classe ad Malabares cursum intendens discessit.

Habi-

Habitant vero in hac vrbe hodie pauci qui-dam Lusitani cũ vxoribus & familijs suis, quorum vix sunt cẽtum numero, licet complures eo negotiationis ergo quotidiè confluant. Causa autem raritatis Lusitanorum in Malaca ab aëris intemperie dependet, aër enim tum aduenis tum indigenis, vt supra dictum, valde ibi noxius est, & quotquot eò deferuntur ad tẽpus ibi commoraturi, plerunque vel aduersa valetudine conflictantur, vel omnino extinguuntur, itaque locus ille vitatur quantum fieri potest. Verum quia peroportunus est negotiantibus & multi rem ibi cum maximo commodo faciunt, homo animal audacissimum, nihil lucri causa intentatum nihilque inaccessum relinquit, securus enim & vitæ & periculi vt rem faciat, per saxa & per ignes, currit, quæ quidem causa est quod tot quotidiè tamque variæ Malacæ, quot nullibi per totam Indiam, nationes reperiantur.

Malaca cur paucis Lusitanis habitetur.

CAP. XXXX.

DE SOMATRA INSVLA EIVSQVE regnis maxime vero de Aceno, & eius Rege.

EX opposito Malacæ, vix 10. à continente leucis, eo loco, vbi fretum maris est angustius, & propter scopolorum sub aqua latẽtiũ frequentiam non parum periculosum, exerit sese insula, quæ olim Traprobanæ nomine insignis fuit, hodie Somatra, & à quibusdam historicis Chersonesus aurea dicta. Fuerũt olim, qui eandem cum continente Malacæ putarunt, fuerunt etiã quibus pro peninsula habita est, quod

Somatræ insulæ descriptio magnitudo & situs.

quod ob vnda frequentia syrtesque nondum satis patefacta, annexa quasi continenti, procul intuentibus videretur. Hodie, licet nihil imperium humana reliquerit audacia, de magnitudine tamen eius diuersæ adhuc apud autores opiniones reperiuntur, sunt enim qui ambitum eius septingentis leucis definiunt, longitudinem mille, latitudinem vero ducentarum leucarum ei assignantes. Alij vero longitudinem insulæ, ducentas & viginti, latitudinem vero, qua maximè patet, septuaginta nō amplius continere constantissimè affirmant. Posita vero est sub zona torrida, Aequinoctialis enim circulus mediam penè secat, altera eius parte in borealem, altera vero in australem vergente. Auri inprimis ferax est, vt & argenti, stanni ferri, sulphuris & metallorum aliorum, fundendis tormentis maximè accommodorum. Insignis est fonte perenni ex quo Naphta seu balsamum, instar olei promanat, & excelso admodum monte, Balaluano ipsis vocato, qui perpetuo ardens instar Siciliensis Aetnæ fumum & flammas horribiles euomit. Regio autem ob fluminum & paludum, multos vapores exhalantium, quemadmodum etiam ob nemorum densissimorum frequentiam, cælo graui admodum, inprimis autem aduenis vehementer infesto est. Ager frumentum & alias segetes non patitur, sed oryzam tantum & milium producit, quibus, vt & syluestribus pomis, victitare incolæ consueuerunt. Gignit præterea mel, ceram, zingiber, camphoram, cassiam & vulgare piper magna copia. Ex syluis inter alia, Sandalum album & gossypi-

Fons balsamo fluens.

Mons perpetuo ardens.

gossypium ad vestes delicatiores parandas col ligitur.

Cæterum insula hæc, in plura diuisa est regna, quæ omnia hic percensere & describere non est operæ precium, interiora enim indigenæ tenent cultibus idololatricis dediti, exteriora vero siue littoralia Mahometani possident, Lusitanis nihil proprij in insula possidentibus, sed mercaturam secum & negotiationes suas ibi sectantibus, licet enim superioribus annis à Lusitaniæ quidem Rege & Indiæ Prorege stipendiarij quidam constituti fuerint qui armata manu insulam tam expugnatam occuparent, & etiamnum regijs propterea stipendijs quidam fruantur, tamen nihil hactenus ab illis effectum est. Negari quidem non potest Lusitanos cum quibusdam huius insulæ Regibus fœdus fecisse, nam cum circa annum 1510. Didacus Lupius Sequeria, Malacam petiturus, ad hanc insulam primus omnium delatus esset, cum duobus Regibus, Pedirensi nimirum & Acenorum, pacem atque societatem æquis conditionibus inijt, inque rei testimonium columnam ibi, vtroque littore statuit. Verum non fuit amicitia illa diuturna & constans, sed post annos decem vel amplius Lusitani ex vniuersa insula Somatra in perpetuum exacti & eiecti sunt.

Somatra à quibus inhabitata.

Somatra quando & à quo primū detecta.

In mediterraneis locis duo duntaxat regna quæ Lusitanis quidem innotuerunt, alicuius sunt momenti, Andragidanum & Aruanum, quorum incolæ gentiles sunt & Anthropophegi, qui carnem humanam vorant, præcipue vero hostium suorum, quos in bello

Regna mediterranea in Somatra.

capere potuerunt. Circa littus autem insulæ Pedirense quondam regnum maximè celebre fuit, itemque Pacense, Camparanum & Manãcabum, Nam non solum piper in hisce regnis maxima copia prouenit, sed & auri argentiq; mineræ sese in eis potissimum aperuerunt, & Manancabi quidem Crises, qui pugiones sunt per vniuersam Indiam, notissimi & acceptissimi, parari soliti sunt. Hodie vero præcipuum omnium Acenum est, cuius quidem rex, reliquorum potentissimus, subiectis sibi Pedirensi & Pacensi regnis, totam præterea septentrionalem insulæ partem occupauit.

Regna maritima in Somatra.

Acenorum rex Lusitanos oppugnat.

Nullus apud ipsum amicitiæ fœderumque respectus, itaque licet societate & fœdere Lusitanis obstrictus esset, tamen cum Georgius Brittus nauibus quinque à Cocino Molucas petens, Acena littora teneret, aurique excæcatus auiditate, cuius vim ingentem in proximo delubro esse audierat, cum centum & viginti Lusitanis in terram descenderet. Abrahemus ille Acenorum Rex obuiam ei cum sex Elephantis peditibusque mille progressus, commissa pugna, Lusitanos complures, & in eis Georgium ipsum interfecit, reliquis grauiter saucijs ad mare iterum remissis.

Acenorum Rex patrem suum interficit, & Reges affines regno exuit.

Idem hic Abrahemus, quod nulla affinium charitas nullaque fidei vel pietatis religio apud ipsum valeret, patrem suum exacta iam ætate, à nefarijs moribus & consilijs abhorrentem, oneratum catenis in caueam inclusit, ibidemque illuvie & squalore confecit, Pedirensem regem, opibus & autoritate præcellentem, cui & cognationis vinculo & iure beneficiario

ficiario obstrictus erat, regno exegerat. Daianũ dynastam, cuius sororem habebat in matrimonio, per summum scelus omnibus fortunis euerterat. Inde magna eius oræ parte in potestatem redacta, infestis signis ad Pacenum vrbem, quo Pedirensis & Daianus confugerāt, applicauit. Peditum millia quindecim habebat in armis, & complures elephantos, qui pro equestribus copijs geniti sunt, cum equos insula non habeat. Cum hoc exercitu castris duo millia passuum ab vrbe positis primum omnium, ad tentandos oppidanorum animos, per præconem edixit, qui ciuis Patenus intra sextum diem ad se transiisset, ei nihil quicquam mali illatum iri, cæteris vero non tandem clementiam fore victis, quæ iam ante dimicationem pateret. Hoc edicto vulgato, magnā pars ciuium transijt, alij clam elapsi in saltus auies aufugerunt, vt ita infrequentem defensoribus vrbem facile expugnare potuerit. Restabat Arx, in quam Pacenus Rex & exules duo Pedirensis Daianusque confugerant; lignea quidem illa, veruntamen haud leui præsidio Lusitanorum fermè trecentorum & quinquaginta, maioribusque & minoribus tormentis instructa. Abrahamo, nullę tum eius generis machinæ suppetebant, sed ingentem tantum sagittarum lethali succo infectarum vim aduexerat, Ergo vt sine certamine si fieri posset rem conficeret, Lusitanis per interpretem nunciari iussit, arcem eam ad suum imperium pertinere, proinde cum bona pace abirent, secumque suas res, dum liceret, auferrent.

Pacenum vrbs ab Acenbrum rege expugnata.

Acenorum Rex arcem Pacenam occupat.

Ad ea cum ferocius responsum Lusitani dedissent, appareretque armis rem gerendã, summa vi, priusquam auxilium ipsis alicunde ferretur, arcem aggredi statuit, cum igitur nocturnum tempus & pluuium ad oppugnationes potissimum captarent, vt neque per tenebras collimare ex arce possent, & madefactus sulphureus puluis planè inutilis fieret, crebras illas & repentinas oppugnationes diutius ferre nõ valentes Lusitani, arcis deserendæ consilium ceperunt. Itaque minoribus primum tormentis in naues traductis, maiora, quæ amouere nõ poterant, puluere ita impleuerunt, vt si flammas conciperent, disrumpi necesse esset. Deinde sulphurei pulueris exiles humi tænias quoquo versum ac præsertim ad ipsius pulueris cellam atque ad muralia tormenta perduxerunt, iussis agmen claudere magistris, & cũ iam omnes extra arcem essent ignes inijcere. His ita perfectis vix dum euaserant Lusitani, sarcinis suis tacitè & occultè elatis, cum exorta repente flamma fugam hostibus prodidit. Pars itaque ad extinguendum incendium audacter accurrunt, pars ad littus effusi, fugientes insequuntur. Non peruaserat autem etiamnum ignis ad sulphureos cados & tormenta muralia, itaque illis, extincto statim igne Barbari tum potiti sunt, & in terrorem aduentantium postmodum quorumcunque hostium illis vti quam optime didicerunt.

Hollandi à Rege Aceno honorificè & libera-

Cum circa annum 1601. Hollandi ad regnum Acenum appulissent, & præfectus eorum Georgius Spilbergius, munera quædam & literas Mauritij, pro obtinenda in hoc regno negotiatio-

gotiationes exercendi licentia, Regi obtulisset, amicè admodum exceptus est, Rege liberalem sese & beneficum erga eum exhibente, & in eius gratiam aliquot regni proceres, qui eum potando exhilararent, inuitante, sed & mulieres cantu, choreis & tripudijs haud parum ei oblectamenti afferebant, cum presertim auro & gemmis pulcherrimè exornatæ incederent. Finito autem prandio, cum abitum Præfectus pararet, gladio Indico inaurato & veste auro intertexto nitente, à Rege donatus est. Cæterum cum Hollandos Lusitanorum hostes esse Rex cognouisset, & vero sub initium Anni 1603. Sebaldus à Vveert, cũ Hollãdis quibusdã alijs eò appulissent, Rex elephantos aliquot eos ad se accersitũ ad littus misit, cũq; ad aulã regiam venissent, oblatisque muneribus aliquot, eum salutassent, Rex eos honorificè accipiens, regalibus epulis recreauit. Instabat autem tum festum aliquod solenne, itaque vt Rex ei adesse more consueto posset, adducebatur elephas eximiæ magnitudinis, in quo Rex, galea aurea caput ornatus consedit, ministro ante & post sese qui beluam maderarentur constitutis, profecturus autem ad templum, magna nobilium, equis partim, partim & elephantis insidentium caterua deducebatur, comitante eum ingenti peditum varijs armis instrumentisque musicis instructorum caterua. Sed & Hollandi beneuolentiæ causa sequebãtur, deducentes eum ad locum quendam ædificio nonnihil eleuato conspicuum, vnde mutato elephante ad templum porro, eleganti panno gossypino instratum progressus est. Nõ in-

liter excipiuntur.

Rex Acenorum festum quoddam celebrat.

gressi autem templum Hollandi, præ foribus dum exiret rursus eum operibant, eademque qua aduenerat pompa domum postea reducebant, vbi postmodum cæna excepti splendida, licentiam ad naues redeundi impetrarunt.

Aceni ciuitatis descriptio.

Iam quod ad vrbem regiam, variosque incolarum mores attinet, sciendum est, Acenum vrbem ad dimidiam fere leucam in littore iuxta aquam extendi, ædificijs constare ligneis, quorum parietes & tecta ex arundinibus facta sunt, ita vt per gradus aliquot ad superiorem eorum partem ascensus fiat, nam in inferioribus non habitant, nec humi sese continere, propter crebras & repentinas aquarum inundationes, quæ vsque adeo interdum excrescunt, vt vrbs vndis quasi tota immersa videatur, possunt. Multis & varijs frequentatur quotidie populis, reperiuntur enim ibi Arabes, Malabares, Coromandelij, Bengalenses, Peguani & alij. Incolæ Mahometis legem obseruant, quam ab Arabibus ante annos non ita multos acceperunt, cum gentiles antea fuissent.

Acenorum religio & mores varij.

Templa habent plurima leui ex arundinibus & lignis opere extructa, vase aqua repleto ad ingressum eorum constituto, vbi pedes lauare ingressuri in templum coguntur, remotis inde quotquot religioni eorum non sunt addicti. Cæterum omnes quasi serui & mancipia Regi subiecti sunt qui regnum vniuersum per quatuor dynastas gubernat. In puniendis delictis admodum seueri sunt, non tamē capitali facile supplicio rei afficiuntur, sed manibus pedibusque vel alijs membris, super ob leue aliquod delictum mutilantur. Ad vestitum inco-

incolarum quod attinet, corpus medium panno gossypino inuolutum, indusio vel palliolo eiusdem materiæ induunt, & caput similiter panno gossypino inuoluunt, pedibus autẽ nudis incedunt tam diuites quam pauperes, inter quos ex vestitu quidem discerni non potest. Eodem autem & mulieres vestitu vtuntur, quæ si quem salutare volunt, complicatis manibus frontem tangunt, alio nonnihil à salutãdi Regem modo, eum enim salutantes, manus complicatas capiti imponunt. Frumentum præter oryzam non habent. Fructuũ vero nulla apud eos inopia est, quemadmodum etiam procerum, & lingua Malacensi plerunque vtuntur. Rex non facile ad aliquem procedit, nec licet eum accedere, nisi ianitorem cum inaurato baculo vel pugione mittat. Aula eius in parte ciuitatis meridionali sita, & fossa vallisque aliquot circumdata est, ad pallatium autẽ regis non nisi per septem portas ingressus patet, satellites non nisi fœmineas & mulieres suas habet, quæ tamen armis vti nouerunt optimè, vnde etiam sclopis gladijsque armatæ incedunt, & sese ad omnes Regis nutus componunt, qui interdum flumen aliquod ingreditur vt corpus ibi abluat, interdum elephanto insidens ad venationes elephantorum proficiscitur, & varia ratione tempus terit, nihil præter libidines tractans.

Acenorum vestitus.

Acenij regis aula.

CAP. XXXXI.

DE IAVA MAIORE ET MINORE earumque incolis & ciuitatibus varijs.

Iaua duplex & vtriusque magnitudo.

NOn longè à Somatra, ortum & meridiem versus, insulæ duæ iacent, eadem fermè qua Somatra soli vbertate, sed longè ferocioribus incolarum ingenijs, Harũ altera Iaua maior, altera Iaua minor vocantur, illa, vt Marcus Polus & eum secuti alij tradũt, ambitum habet trium millium leucarum; hęc vero duabus millibus patet, Sunt autem eiusdem qualitatis & conditionis, vltra Aequatorem austrum versus sitæ intra sextum & decimum tertium eleuationis Austrini Poli gradus. Iulius Scaliger nominat eas à rerum omnium facili vbere que prouentu, totius orbis compendium, frumenta enim & fructus varios copiosè mittunt, carnes item omnigenas magna copia nutriunt, salitasque in diuersas partes mittunt. Sericum ex syluis sua sponte id gignentibus colligitur, suppeditant item aurum smaragdos totius orbis elegantiores, nec aromata ibi desunt, piperis enim, cinnamomi, zingiberis & cassiæ fistulæ prouentus est optimus.

Iauæ maioris & minoris fertilitas.

Incolarum Iauanorum mores.

Incolæ omnes ferè humilis staturæ, sed corpulenti sunt, nudi plerumque incedentes, pudendis solummodo obuelatis. De sua origine interrogati, à Chinensibus ortum sumpsisse respondent, qui quondam in China seruitute intolerabili pressi, cum ingenti multitudine

ad

ad insulam Iavam appulerint, ibique consederint, cuius rei fides vel inde constare videtur, quod Chinensibus per omnia similes fere sint lata nempe fronte, buccis extaberantibus, & oculis angustis conspicui. Facit hic etiã, quod cum Tartaris olim insula hæc tributaria esset, jam postquam Chinenses, defectione facta, à Tartaro desciuerunt, eorum dominium amplius non agnoscit. Interim tamen negari nõ potest, difficilem ex China & raram ad hanc insulam commeationem esse. Cæterum Iavani plerunque inhumani, superbi, obstinati, infidi, malitiosi & crudeles sunt, in victos immanè grassantur, milites interim industrij sunt & imperterriti, sed tormentis & sclopis vti nesciunt. Arma illorum sunt sarissæ flammigeratæ, pugiones item & gladij lati. Clypei sunt aut lignei aut ex corio multiplici conglutinati, Thoraces etiam ex bracteis ferreis, annulatim commissos aut consortes gestant. Capillos magna parte prælongos fouent, vt & vngues prominentes. Dicto superiorum admodum audientes sunt, & vindictæ ita cupidi, vt ab hostibus fortè læsi, per ipsa quoque arma sese ad occidendum vicissim percussorem adigant. Stipendium, extra belli casum, nullum habent, cuius tempore pro vestibus, armis, victu, oryza & piscibus merent. Mancipia plerique omnes sunt, primatum diuitiæ potissimæ, quorum quo numerosiores & plures quis habet, eo opulentior & potentior à cæteris æstimatur. Otiosi perraro sunt, vt cùm aliud quod agant non suppetit, saltem in vaginis ligneis, quibus pugiones & gladios suos recondant,

Iavanorum arma varia.

ſculpendis, occupati videantur. Parant illas ex ſantalo albo, tam eleganti artificio, vt ſpectantibus admirationi ſint. Sed & arma ſua poliunt, toxicoque plerunque in hunc finem inficiunt, vt vulnera lethalia percuſſis inferant, tam vero eis delectantur, vt nec dies nec noctes ſine illis inueniantur. Capitibus ea dormituri ſupponentes. Alijs eadem contingere non permittunt, veriti nimirum, vt gladio iugulentur proprio. In veſtibulo ædium plerunque tres vel quatuor haſtarum & clypeorum faſciculi pendentes cernuntur.

Religio Iavanorum qualis.

Ad littoralem tractum, ſuperſtitionibus Mahometicis Iavani dediti ſunt, in mediterraneis vero locis ethnicam impietatem ſectantur. Qui Alcoranum tenent, Prophetas ſaltem quatuor agnoſcunt, Moſen, Dauidem, Ieſum & Mahometem. Cultum in templis peragunt cum ſilentio & ſingulari deuotione, faciem ad ſolem dirigentes, & in terram ſe ſubinde abijcientes. Ad monachorum ritum horas ſuas quotidie lectitant, & ieiunia ſeu quadrageſimas binas vno anno inſtituunt, maximè vero à quinto Auguſti, vbi elapſo quadraginta dierum tempore cum mancipijs & miniſtris ſuis vniuerſis, Paſcha celebrant, ſimul in terra coëpulantes, & tunc miniſtri Dominis ſuis ſolennem honorem exhibent, pedes & crura eorum permulcendo, idemque à mento per faciem ad occiput vſque repetendo. Primariorum vxores nullo vnquam tempore fere ſpectandas domo efferunt. Quod ſi quandam ex cognatis ſuis vxorem ducat, tunc ante exacta, nuptias nec ſponſus nec ſponſa pedem domo efferunt, cumque

Ritus nuptiales apud Iavanos.

die

ies nuptijs dicatus aduenit, cognatorum mi-
istri ornatissimè vestiuntur, cernunturque ad
des sponsi & sponsæ hastæ aliquammultæ in
erram defixæ, albis rubrisque vexillis gossy-
inis lancearum militarium instar supernè
eligatæ. A prandio equus ephippiatus sponso
dducitur, quo ipse vniuersam ciuitatem osten
ndi sui causa perambulat. Vesperi vero ad
ponsam redit, cui interea, dum sponsus abfu-
, ministri & conuiuæ nuptiales alij munera
fferunt, inter quæ & dos ipsa eleganter ador-
ata & composita, quæ tamen 25. Ioachimicos
ostræ monetæ non excedit, confertur. His
ctis conuiuium amplum & geniale datur,
uo parentes sponsi & sponsæ exhilarantur.
Cæterum peracta nocte illa, sponsa postmo-
um extraneo nulli amplius conspicienda da-
ur. Regem suũ proprium habent, quemadmo-
um autem plerunque fit apud vniuersas na-
iones, vt Domino primario deficiente, multi *De Regibus*
ro Regibus sese deinde obtrudant, quod & *Iauanorum.*
ost Alexandri magni obitum accidit, vbi se
uisque eius terræ primatem constituit, cuius
nte gubernator fuerat: sic in Iava quoque o-
im qui cæteris potentior erat, illis Dominum
e obtrusit, vnde factum est vt ferè singulæ ci-
itates, singulos iam Reges agnoscant, quorũ
amen potentissimus est, qui se Iauanum vo-
at. Ciuitates & vero Reges plures ibi nume-
antur, est enim Ballambua celebris ciuitas, *Ciuitates Ia-*
nuris & vallis vndiquaque cincta, & priuato *uanorũ præ-*
uo Rege tuta. Huic ex opposito Baliũ pulcher- *cipuæ.*
ima & fertilissima insula sita est, quæ sinũ quẽ
lam, quẽ viam ad Ballambuã vocant, cõstituit.
Ab

Ab hac ciuitate decem versus septentrionem leucis. Ciuitas alia muris eleganter cincta, quam Panarucan vocant, abest, multis Lusitanis, Iavanisque Christianam fidem professis habitata, & suo insuper Rege, Lusitanis valde fauente, donata. Forum ibi est vendendis mancipijs destinatum, quorum non exiguam quot annis copiam Lusitani Malacam deferunt. Nō longe ab hac ciuitate mons quidam vastus & sulphure ardēs cernitur, qui anno 1586. primo erupit, tanta quidem vi & commotione, vt ab eo infiniti prope homines oppressi fuerint, & prægrandes lapides in ipsam vsque ciuitatem excussi sint. Ad eruptionem vero tantæ ex fumo tenebræ concitatæ sunt, vt integro triduo quasi nox densissima circa locum istum fuerit.

Mons ardēs qui non ita pridem extitit.

Distat à superiore ciuitate sex ferè leucis Passarua, muris itidem munita ciuitas, cuius Rex Mauritanæ religioni addictus, cum circa annum 1596. Ballambuensis Regis filiam vxorem duxisset, post alteram statim à concubitu noctē, eam vnà cum omni suo comitatu nefariè obtruncauit, hac vna de causa, quod, vt ipse Mauritanam fidem non agnosceret. Cæterum nō contentus hoc facinore, insuper etiam Panarucam ciuitatem oppugnauit, cumque inde spe sua frustratus, discessisset, ad Ballambuam properauit, intercklusoque palis in pactis portu, ne vel ad naues vel scaphæ transire possent, quadrimestri eam spacio, vt in ea rerum plurarumque penuria maxima esset, obsedit.

Regis Passaruani factū minimè regium.

Ioartamum ciuitas, portu commodissimo insignis est, in quo pleræque naues, ab insul

Ioartami ciuitatis descriptio.

Moln

Moluccanis Bantamum excurrentes, sese reficere solent. Ciuitas alioquin ipsa, crasso muro cincta & munita, versus partem fluuij occidentalem, Gerricam ciuitatem proximam habet, cuius Rex à cæteris Regibus omnibus, cōpositis & complicatis manibus honorari solet. Post has ciuitates Surrabaia ciuitas sita est, vicino flumine & Rege proprio celebris, à qua versus austrum, sex leucis, Branelaum abest, ciuitas valde firma, murisque & vallis conspicua, portu tamen incommodo & contra maris æstum parum munito, vt nauibus stationem durabilem ministrare non possit. Ad decem vbi hinc leucas prouectus fueris Tubanum ciuitas occurrit, suo & ipsa Rege præclara, & hominū confluxu celeberrima. Inde leucis quinque Caioanum abest, ciuitas Regem quidem proprium sed negotiationem nullam habens. Versus occasum trium leucarum spacio, Iapara ad sinum quendam conspicitur, ciuitas congesto quidem ex sudibus munimento cincta, sed portu tamen per quam oportuno prædita. Hinc ad Mataram magnam admodum & spatiosam ciuitatem 25. leucarum itinere peruenitur, cuius Rex tam potens est, vt alijs quibuscunque obsessionem & bellum ex leui causa minitari non dubitet. Cæterum à Iapara occasum versus, quinque leucarum itinere ad Patinum, & inde tribus ad Daumam ciuitates peruenitur, quarum posterior prævalido muro cincta, Regem proprium adhuc hodie veneratur. Hinc tribus leucis pulcherrima ciuitas Taggal seiungitur, vnde porro ad amplam ciuitatem Charabaon, muro fortissimo & fluento ad-

to admodum dulci ornatam venitur. Hæc ab e-leuatis duobus montibus, ad ciuitatis iugum sitis & ephippium equinum referentibus, facile cognoscitur. Sequitur vero eam Dermaimum & Momicaon. Intra Monucaon vero & Iacatræ medium, Cravaon, pagus magnus, ad angulum quendam iacet, propter piscium abundantiam solis piscatoribus habitatus. Ad partem autem occidentalem pagus alius inuenitur, Tanhara dictus, in quo transitu multæ insulæ occurrunt, omnibus Bantamum petentibus permeandæ. Estque iuxta pagum illum portus omnium vt maximus & commodissimus, ita negotiationibus creberrimis præ reliquis celebris. Inde Bantamum tandem peruenitur, de qua ciuitate peculiari capite dicturi sumus.

Lusitanorũ cum Iauano rege conflictus. Cum circa annum 1512. Lusitani ad Malacam hærentes, Mamudium eius regionis Regem, regno eiecissent, Onuzius quidam Saracenus, oram maioris Iavæ aliquam obtinebat, viris armisque & omni bellico apparatu præpollens. Is ingenti classe adornata, quam dudum aduersus Mamudium admirabili silentio & dissimulatione inchoarat, vt exactum illum è regno cgnouit, ipsosmet qui exegerant, ex improuiso adoriri constituit. Nauigia leuiora ducebat plurima, & maioris formæ iuncos siue naues, circiter sexaginta, rebus omnibus ad bellum instructas. Non latuit autem Malacenses Onuzij aduentus, à Lusitanis vero nauium non plus sedecim numero, Christi maximè fiducia, Saraceno obuiam itum est, contractoque certamine, quod propter incredibilem per-

pertinaciam gentis vtriusque, biduum tenuit, multo maxima parte nauium cum multis armatis amissa, denique Onuizius Iavam turpi fuga repetijt.

Anno 1596. cum Hollandorum aliqui ad oram Iavæ maioris aliquot nauibus appulissent Lusitani quidam scapha aduecti, à Gubernatore sese, vnde venirent percunctatum missos dicebant, aduentum eorum vt Gubernatori, sic non minus incolis vniuersis terrori & formidini esse profitentes. Illi cum & Hollandos sese esse, & bona pace mercimonia sua pro aromatibus ipsorũ permutatũ venisse, dixerẽt loco quidẽ eos oportuno, sed tempore valde incommodo appulisse responderunt, quod vix ante quinque dies, naues aliquot Chinenses aromatibus oneratas incolæ dimisissent. In cæteris erga Hollandos nihil inhumani erant, sed benigne ad omnia eis respondebant, singularem quandam lætitiam simulantes. Sequenti die Regiorum vectigalium iudex, ipsis Sabander dictus, cum Lusitanis quibusdam adueniens, Regis Senatusque nomine amicitiam eis fidissimam detulit, simulque gallinis & fructibus aliquot eos donauit, apprime commodo aduenisse tempore dictitans, quod piperæ omnes agri adeo prægnantes essent, vt quasi duplicem vnius anni prouentum sperare liceret. Hoc vero ad vrbem reuerso, Lusitani in naui remanentes, vti sibi à Iavanis cauerent, Hollandos hortati sunt. Postero die cum Sabãder reuersus esset, & Gubernatoris sui nomine (Rex enim ad Palimban Sumatrę ciuitatẽ pugnando occubuerat) cibaria quædam afferret, horta-

Hollandi ad Iavæ oram appellentes quomodo excepti.

hortatus Hollandos est, ne fidem temere Lusitanis haberent, qui vnum hoc satagerent, vt passim Hollandos omnibus inuisos redderēt, mouebat verò vt in terram egressi, Gubernatorem salutarent & muneribus eum consueto more honorarent. Hollandi morem ei gerentes, duos statim cum vase crystallino, inaurato speculo & pāno coccinei coloris ad vrbem ablegarunt, quos Sabander in palatium Gubernatoris adhuc prandentis introduxit, iussi igitur expectare cum tandem Gubernatori prodeunti munus offerrent, & de firmando fœdere ei compellarent, deliberationem sese hac de re habiturum respondit.

Iavani fœdus cum Hollandis ineunt.

Cæterum Gubernator postero die cum proceribus aliquot naues Hollandorum conscendit, cumque omnia probè inspexisset, tormentorum displosionem fieri petijt, aliquosque in terram pro instituendo & firmando fœdere prodire iussit. Hollandi igitur præfectum quēdam cum nouem socijs in terram miserunt qui cum à Gubernatore & proceribus regni alijs solenniter acceptus fuisset, diploma Principis Mauritij de solido fœdere & pace stabilienda, adeoque de tuta ad mercatorum cæterorum exemplum negotiatione exercenda in scriptas, ei exhibuit. Lectis igitur literis illi (Lusitanica enim & Arabica lingua scriptæ erant) fœdus initum & præstito vtrinque iuramento confirmatum est, in hanc generalem clausulam, vt fidem vtraque pars, sartam sanctamque seruaret, & si alterutri aliunde quid incommodi aut belli intētaretur, altera ex pedite ad hostem debellandum & fundēdum

fe

sese sisteret. Aduenit eodem tempore ad terrã illam illustris quidam & præpotens Dominus quem Imperatorem Lusitani dicebant, quod reliquis per Iavam Regibus ipse quasi imperitaret. Hic Hollandos firmato fœdere obuiantes sibi habuit, & secum ad palatium suum extra vrbem inuitatos abduxit; amicitiam eorũ vehementer sese hactenus desideraſſe ostendens. Vt autem ad naues iterum ventum est, adfuit statim qui Gubernatoris nomine Hollandis significaret, vt circumspectos & paratos sese gererent, Imperatorem enim illum, Raya Davina dictum, amicitiæ specie, incautos eos vti opprimeret cogitare, ad quod felicius peragendum, Lusitanos aliquot certo iã stipendio conduxerat. Hollandi hoc accepto nuncio, tormenta globis probe onerarunt & armis sese necessarijs probe instruxerunt. Imperator vero vt proditum Hollandis institutũ suum persentisceret, significari ipsis curabat: Conuiuium sibi paratum magnificum esse, & ad id omnes se nauarchas, naucleres, classiarios, officiarios, & Musicos inuitatos velle. At Hollandi de machinatione eius sibi probe cõstare respondentes, emansionem vario prætextu & colore excusarunt, itaque vt nihil perficere posse animaduertit; asserta innocentiæ suæ qualicunque persuasione, Iacatram inde profectus est, fœderisque ita inter Hollandos atque Gubernatorem initi repetitio renouatioque facta est.

Aa CAP.

CAP. XXXXII.

DE BANTAMO ET TVBANO, IAVAE maioris, ciuitatibus & emporijs celeberrimis.

Bantami ciuitatis descriptio.

INter ciuitates & regna Iavanica, principē facile locum obtinet Bantamum, quæ ciuitas in depreſſione quodam loco ad radices montis, ex quo deſuper duō riui per vtrumque ciuitatis latus defluunt, ſita eſt. Ex eodem præcipitio per mediam ciuitatem riuus quoque tertius maior deriuatur, eidem & commodum magnum & firmum munimentum miniſtrans. Muri ciuitatis orgya vna craſſiores, ex latere cocto rubro extructi ſunt. Sed ad portas quaſdam inacceſſas habet, ad quas cum noctu tum interdiu excubiæ aguntur attentiſſimæ. Ad quemlibet lapidis iactum, propugnaculum excitatum eſt, tormento æneo, rotis carente, munitum. Turres cæteroquin habent nullas, præter theatra quædam, trium tabulatorum ſpacio elata, & ex truncis craſſiſque lignis cōſertis erecta, ex quibus acclinatis ſcalis cōſcēdentes, & eaſdem poſt ad ſe attollentes, incurſantibus hoſtibus potentiſſimè reſiſtere poſſunt. Muri ciuitatis circumcirca eleganti ex arboribus longiſſimis firmiſſimiſque circuitu ſuccoronati ſunt, tanta latitudine, vt & ſupra illum tuto ambulare, & contra hoſtem pugnare liceat. Tota ciuitas tribus tantum latis ſeu regijs plateis peruia eſt, quæ omnes ante palatium Regis, quod Pacebam ipſi vocant, coeūt, vnde vnà quidam rectà ad mare properat, altera ad

ta ad portam terrestrem excurrit, tertia ad portam montis pertenditur. Lapidibus strata ciuitas non est, sed maximè arenosa & multo canali conspicua, ita vt vel scaphis adigendis aperta sit. Canales vero isti cum ad sordes euehendas non satis ampli, & ipsa quoque ciuitas per se paludosa sit, plærunque cœnosi & fœtidi inueniuntur. Templum capacissimum habent, ipsis Mesquita dictum, situm vero est iuxta palatium Regis ad latus occidentale. Ad orientale vero eiusdem Palatij latus, armamentarium, bellicis omnibus instrumentis instructum cernitur. Ad austrum palatij, aula iunioris Regis posita est, cui Gubernatoris domus adhæret, iuxta quam supra dicta, ad campestrē portam deducens platea, excurrit, qua vniuersi serui, mancipia & officiarij Regis habitant, & insuper stabulum equorum cum culina regia prostat.

Ciuitas porro in quatuor partes distincta est, quarum quælibet præfectum quondam nobilem habet, qui eam tempore belli, incendij &c. tueatur. Pars quælibet suis terminis à reliquis discreta est, in qualibet etiam parte suum peculiare tympanum, magnitudinem ingentis dolij, cadas nouem vel amplius capientis, referens, suspensum est, quod malleo appendente pulsatur, quoties vel incendium vel tumultus alius oboritur. Idem & circa meridiem & auroram & vesperam feriunt. Sed & peculiares pelues habent, quibus campanarum loco ad excitandum congregandumque in vnum locum populum vtuntur.

Bantami ciuitatis partes.

Tympanum ingens.

Singulis ciuitatis angulis, sui excubitores dati sunt, & nocte iam instante, ponticuli omnes remouentur, ita vt transitus per ciuitatem de nocte nemini pateat. In palatio singulis noctibus ad carcerem 50. viri excubant & ad nobilis cuiusuis domum viri decem vel duodecim vigilias agunt, quorum ædes ingressis, primo occursu area quadrilatera obuenit, vbi litigantium causæ audiuntur; tugurium vero quo excubiæ aguntur, arundinibus aut folijs palmarum contectum est. In areæ dictæ angulo quodam sacellum habent domesticum, vbi meridiei tempore preces suas fundunt. Introrsum pergentibus, aditus angustus offertur, angulis quamplurimis obseptus; vbi mancipia seu serui ipsorum habitant, dominos suos à nocturnis insultibus defensuri. Aedes eorum octo vel decem columnis ligneis artificiose sculptis superinstructæ sunt, supernè quidem palmarum folijs contectæ, infernè vero ad aërem captandum, totæ patentes. Cubicula nulla habent, nec ad recondenda necessaria, tabulata superiora vlla, conditorium saltem vnum habent contignationis vnicæ sine fenestris, ex lapidibus constructum & desuper stramine ob tectum, hoc bona sua omnia incendium aliquod exoriatur, conseruant, quod in hunc finem etiam crassis ramis intortum, & arena confertim inspersa munitum est, ne ignis penetrare profundius possit. Trabes vniuersæ ex arundinibus, Bambo dictis, assulatim dissectis constant, vnde exiguo labore sumptuque ædes suas extruere possunt.

Nobilium in Bantam ædificia.

Merces Bentami variæ venduntur, singulis enim

enim diebus triplex ibi forum est, primum in loco quodam spacioso, ab ortu solis ad horam circiter nonam agitur. Hoc finito incipit alterum iuxta palatium Regis, quod ad horam circiter primam durat, incipitque tum forum tertium non procul à Chinensium habitaculis agendum. Quilibet vero suo peculiari loco merces suas verum exponunt, noueruntque tam ementes quam vendentes, quo quidlibet deferendum & vbi inueniendum sit, sic in foro matutino, ad eius statim ingressum, vbi templum vallo cinctum adstat, fœminæ piper plenis saccis vendunt. Paulo post inueniuntur, qui Betele, folia nempe masticationi quotidianæ inseruientia & Areccam vendunt, quibus etiam assident qui liba & placentas venales habent. His præteritis, locus sese alius aperit, ad cuius dextram omnis generis arma & ferramenta cum santelo albo atque citrino prostant, ad sinistram vero saccharum & confectiones aliæ promuntur. Huic vicinum est forum fabarium, vbi albi, nigri, rubri, virides & cærulei, phaseoli venduntur. Hoc excipit forum cebarium, ante quod mercatores ambulare cernuntur, qui pannis lineis vendendis quæstum faciunt. Ad dextram huius loci, forum gallinarium est, vendendis gallinis, anatibus, columbis, psittacis & alijs id genus auibus destinatum. Ad huius limites, viæ dirimuntur, ita vt vna ad tabernas Chinensium, altera ad forum olitorium, tertia ad Carnarium deducat. Ad tabernas Chinensium iturus, cernit ad dextram Gemmarios aliquot, pyropos, Hiacynthos, spinellos, Granatos & preciosos lapides

Fori Bantamij & mercium variarum Bantami vendendarum ratio.

pides alios vendentes. Ad ſiniſtram variæ picturæ venales proſtant. Poſt Chinenſium tabernas ſunt qui ſericum omnis generis & coloris, itemque pannos ſericos, Damaſcenos, Holoſericos, ſatinum, filum aureum, vaſa procellina, ſportulas elegantiſſimas, Laccam, cupreas patinas & cantharos, hydrargyrum, præſtantes capſulas, papyrum, aurum foliatum, ſpecilla, pectines, ſpecula minuta, ſulphur, gladios Chinenſes radicem Chinæ, flabella, Vmbellas & alia vendunt. Alteram viam ingredientibus, ad dextram quidem forum lineariorum virorum, ad læuam vero fœminarum occurrit. Ex vtroque latere forum eſt pomarium, vbi pariter nuces, herbæque variæ, & fructus noſtris longè diſſimiles venduntur. In reditu forum eſt piſcarium, & ad eius ſiniſtram carnarium eſt, emendis carnibus bouillis, cerninis & alijs comparatum. Inde ad forum aromaticum peruenitur, vbi mulieres varia aromata ad petitionem cuiuslibet emetiuntur. Aromata autem hæc ferè ſunt, piper rotundum & longum, Caryophyllum, Nuces Muſcatæ, Macis, Cinnamum, Cuminum, zingiber, zedoaria, cubebæ, ſantalum, calamus aromaticus, Chinæ radix Rhebarbara, Galanga, zedoaria, fæniculum, aniſum, coriandrum, cum multis alijs nobis incognitis. Oryzæ forum ad dextram eſt, cuius ibi copia maxima ſaccis recondita cernitur. Hinc ſequitur forum ollarum, ſaccorum, ſtorearum & ſalis, cuius ibi prægrandes cumuli proſtant. Ad ſiniſtram forum olei eſt, & ſic conſequenter quælibet res peculiari ſuo & deſtinato loco deuenduntur. In

fore

foro altero quod circa palatium regium, & in tertio quod circa Chinensium habitacula haberi diximus, annona omnis generis & cibaria alia venum exposita quotidiè reperiuntur.

Si quando nobilis seu primas aliquis ad Regis Palatium pergit, tum præcedunt eum seruorum aliqui hastis & gladijs instructi, idque propterea ne mācipium forte aliquod sese inter eundem illi offerat. Fastuosè enim & arroganter admodum incedunt, pannis filo aureo intertextis vestiti, & caput sindone Bengalica subtilissima, telam cameracensem referente contecti. Palliola nonnulli manicata holosérica, coloris aut rubri aut atri gestant, vt & pugiones quos Crises vocant, post cingulum defixos. Sequuntur autem ipsos ministri aliquot, quorum vnus cistellam Betele refertam, alter vrceum aquarium, tertius vero vmbellam gestant, & nudis pedibus omnes incedunt, calceatos prodire ignominiosum existimantes. *Nobiles Bantamij quomodo per plateas incedant.*

Mercatores indigenæ apprimè versuti, fallaces, ingeniosi, insidiique sunt erga peregrinos & aduenas præcipue, nam inter seipsos aliquanto fidelius agunt, & qui opulentiores sunt, domi plerunq; manent, alijsq; qui nauibus mercatorijs abeuntes, negotiationes alibi locorum exercent, certam pecuniæ summā, in dupli vel maioris minorisve, prout peregrinatio longa futura sit, restitutionem dinumerant, ad quam rem firmandam syngraphis datis sese mutuo obligant, ita vt prosperè & feliciter itinere confecto, creditore, pro *Mercaturæ Bantamicæ qualis sit ratio.*

tenore cõtractus satisfiat, quod si reuersus creditor debitum soluere non possit, cogitur vxorem & liberos creditori pignoris loco tradere, donec debitum integre solutum sit, nisi forte nauis illa publicam calamitatem passa sit & creditor bona sua amiserit, tunc enim creditor commodatam pecuniam ex iure perdit, & exigere à debitore nihil potest. Mercatores alienigenæ peregrinis plus fauent quam alijs, cumque negotiandi causa in ciuitatem veniunt, mulierem sibi statim ad diurna nocturnaque officia emunt, eandemque discessuri alijs iterum diuendunt. Quod si interea grauidæ factæ sint, natos quidem secum abducũt, mulieres vero eas in libertatem asserunt, vt postea alijs nubere & rem familiarem propriã administrari possint.

Mulieres ad officia quilibet empta.

Lusitani quomodo sese Bantami gerant.

Lusitani, quamuis locis ferè omnibus, quæstum aliquem professis, arces & castella munita habeant, Bantami tamen dominium obtinere hactenus nullum potuerunt, itaque licet operose ibi cum mercatoribus alijs negotientur, extra tamen ciuitatem habitare cogũtur, vbi caryophyllum, nuces muscatas, piper, santalum & merces alias commercantur, non quidem pecunia numerata sed linteis & mercibus alijs, quæ ex Malaca ipsis transmittuntur. Nullum ibi nec templum nec sacellum habent, per plateas autem absque ministris & pedissequis non incedunt, grauitatem magnificentiamque suam vbique præferentes.

Bentamij quomodo causas in

Conuentus publicos quo tempore æstus solis intensior deferbuit, in palatio Regis instituũt, de causis vel priuatis vel publicis iudicaturi,

catauri,

caturi, vbi si qui lites forenses habeant, in persona comparare causamque suam dicere coguntur, Procuratores enim Aduocati quæstum ibi nullum sperare possunt. Causæ vero publicæ & Rempublicam cernentes, sub noctem ad Lunæ facem decernuntur, quod quidem ex veteri Persarum superstitione apud eos residuum est. Hinc ad orientis lunæ apparentiam, ædificiorum tecta & arborum cacumina conscendunt, pertinaci contuitu, donec oriatur luna cælum intuentes, qua postmodum exorta, in senatum procedunt. Congregati vero in terrã consident, Rege vel Gubernatore sese in primariorum medium collocante, causasque necessarias proponente & deliberationem sollicitante. In responsis audiendis à summo ad imum descenditur, collectisque singulorũ sententijs, tandem quid facto opus sit, decernitur.

Iudicio audiant & de rebus publicis deliberent.

Cum circa annum 1597. Hollandorum aliqui, quatuor nauibus ad ciuitatem hanc commerciorum suorum gratia appulissent, & à Gubernatore emendi vendendique licentiam obtinuissent, Lusitani nihil feriati, proditores eos esse apud Gubernatorem calumniebantur, qui terræ illius conditionem exploratum venissent, & prædatum, non vero commercia honesta tractatum egressi essent. Cum igitur suspiciones de Hollandis sinistras Gubernator concepisse videretur, & vero aliqui placãdi eius gratia in terram ablegarentur, ipse eos omnes captiuos secum detinuit, interpretemque cum nouem ministris significatum Hollãdis ad naues misit, ob vnius Hollandorum pri-

Hollandi aliqui à Gubernatore Bantami captiui detinentur.

primarij culpam eos detineri, itaque Hollan-
di interpretem eum, ipsi etiam detinuerunt,
quo cognito Gubernator, ira in tantum excan-
duit, vt sancte iuraret, velle se, nisi interpre-
ante solis occasum restitueretur, vno morti-
supplicio captiuos omnes conficere. Audien-
tes hoc qui in nauibus erant, interpretem qui-
dem dimiserunt, sed propius aduecti, ciuitat-
tormentis concutere, & hærentes in port-
Iuncos siue nauiculas vi occupare cœperunt.
Nihil autem proficiebant, cogebanturque ta-
dem duobus Ioachimicorum millibus eos re-
dimere, quo facto, fœdus nouum inter Hol-
landos & Gubernatorem factum, & negotia-
tiones hactenus intermissæ alacrius vrgeri cœ-
ptæ sunt.

Hollandi à Bantamijs amicè accipiuntur.

Anno 1598. cum naues rursus aliquæ sub Ia-
cobi Neccij imperio ad Bantamum appulis-
sent, omnem ad amicitiæ conciliationem a-
pud Bantamios firmandam, occasionem capta-
runt, arbitrabantur enim incolæ eosdem e-
esse, qui paulo ante inde soluerent, & apert-
murmure eos prædones nominabāt. Huic cri-
mini diluendo, cum interpretem sibi quend-
Indum conduxissent, ad Regem aliquos qui d-
intentata iniuria se purgarent miserunt. Hi f-
cile admissi Bantamiorum Regi, adhuc infan-
ti, sua secum allata dona obtulerunt, quæ Gu-
bernator Regius, Regis nomine accepit, erant
autem grande poculum cum patella inaura-
tum, specula aliquot & panni holoserici cu-
ornamentis id genus alijs. Deinde cum diplo-
ma Principis Mauritij sigillo insigni munitu-
protulissent & potestatem sibi commercia f-

ex-

ercendi in illis locis fieri petijssent, firma-
a deinceps & stabilita amicitia, libera ipsis
oteſtas,pro libitu in regione iſta agendi &
cōmercandi,facta eſt.Statim igitur Hollādi pi
ere & aromatibus alijs naues ſuas complere
& onerare cæperunt,cumque ſummam exper-
i Bantamiorum beneuolentiam,quotidie gal-
inarum aliarumque cibariorum & fructuum
ingentem acquirerent copiam, & pro cochle-
ari vno ſtanneo,tantum eſculentorum accipe-
ent,quantum vni viro ad ſui ſuſtentationem
integra ſeptimana ſufficeret, confectis breui
empore rebus ſuis omnibus,inde iterum ſol-
erunt,& in patriam directa velificatione bre
i reuerterunt.

Eiuſdem ſocietatis naues aliquæ Anno ſe-
quenti 1599. ad ciuitatem Iavæ aliam Tubanum
nempe appulerunt,moxque ſcaphas duas cum
viris aliquot,exploratum an quid ibi annonæ
parari liceret, emiſerunt. Hi circa veſperam
redeuntes,nobilem quendam virum, natione
Luſitanum quidem,ſed qui in gratiam incola-
rum fidem Chriſtianam abnegerat, ſecum ad-
uexerunt. Is, ſi menſes tres vel quatuor ibi
commorari Hollandi vellent, mercium ſatis
pro onerandis nauibus ſuis accipere eos poſſe
affirmauit.Sed & alij ſaccos aliquot oryza re-
pletos ad nauem prætoriam aduexerunt, quas
Rex Hollandis illis muneri dederat pro hono-
rarijs quæ pauca & leuia quidem, ſed tamen
gratiſſima illi miſerant.Cæterum cum ſpem i-
pſis feciſſet,ſe venturum & naues Hollandorū
contemplaturū,ſequenti die ſcaphas maiores
duas

Hollandi ad Tubanum honorificè excipiuntur.

duas multis socijs ad acceptandum Regem e-
miserunt. Admittebantur Hollandi ad Regi-
palatium, commonstrabanturque ipsis & Gy-
næceum & equi regij pulcherrimi. Tergiuer-
satus autem Rex ad naues prodire, filium suum
Hollandis adiunxit, in cuius postmodum gra-
tiam omnium quæ in nauibus quatuor erant
tormentorum displosio facta est.

Tubani ciuitatis Iauanensis descriptio. Cæterum ciuitas hæc Tubanum, emporium est pulcherrimum & opulentissimum, muris vndique cinctum & portis aliquot singulari forma extructis, munitum, Rex eius ditissimus & potentissimus in omni Iava censetur, cum enim aliquando expeditionem meditatur, viginti quatuor horarum spatio millenos aliquot milites, tum pedites tum equites numerare potest. Multis semper nobilibus stipatus visitur, cuius aula verè regia, visuque dignissima est. Ciuitas ipsa plurimis nobilibus incolitur, qui vendẽdis & emendis sericeis & gossypinis pannis vestibusque ex more patriæ eleganter paratis, amplas negotiationes tractant. Naues enim pipere onustas ad Balinum insulam mittunt, vbi piper illud pro vestibus & pannis gossypinis commutatur, postea pannos & vestes illas Bandam, Ternatem & ad alia loca transuehunt, & pro mace, nucibus myristicis, cariophyllis & alijs aromatibus permutant, quæ domum deinde secum reuehunt. Plebs communis piscatu fere & pecorũ pastu victum parat, omnis enim regio ista pecoribus abundat & piscium copia ibi maxima reperitur. Vestitu cum Bantamijs eodem vtuntur, panno nimirum lumbis circumdato &

ad

ad genua vsque demisso; corpore enim reliquo nudi incedunt, pugionesque post cingulũ reconditos gestant. Nobiles tunica plerunque nudulata vtuntur, & pugionibus suis non parum expediti minacesque deprehenduntur. Qui stemmate nobiliore prognati sunt, non nisi multis ministris & mancipijs stipati incedunt; adeò vt ne domo quidem egrediantur, quin pedissequos illico denos aut duodenos secum habeant.

Equorum & ludicrorum certaminum apud Tubanios vsitatorum descriptio.

Nobiles isti equorum educantorum peritissimi sunt, nec quisquam facile est, tam abiectæ sortis qui non equos aliquot domi alat. Equi vero ipsi staturæ humilis sunt, teneros pedes habet & cursu celerrimo incedunt. Ephippijs pretiosissimis ex holoserico aut corio Hispanico, quæ Draconibus horrendis aut cacodæmonorum faciebus terribilibus trisignita & inaurata sunt, & à nostris, nisi quod posterior pars nonnihil depressior sit, nihil discrepant, conteguntur. Frena eorum lapidibus instar alabastri candidissimis exornata sunt. Cæterum equos hosce suos ante portas crebro instituunt, nunc in gyrum eos agendo, nunc cursum incitando, nunc prorsum versumque stimulando, quæ omnia spectantibus valde iucunda obueniunt. Manibus hastam ligneam plerunque gestant valde gracilem leuemque, qua in certaminibus & ludis equestribus eleganter admodum vti sciunt; incitatis enim equis, alius alium non secus ac summabile æstuans insequitur, vt conuentum autem est, qui insequebatur, hastam demittens, incitatiore cursu alterum præuertit, hunc postea simili modo alius in-

us insequitur, & istum deinde rursus alius, qu
vicissitudines & permutationes tam diu con
tinuantur, dum lassi tandem & ad currendum
ignaui reddantur. Huiusmodi ludicrum à fre
quenti nobilium corona in publico foro mer
catoribus Hollandis exhibitum est 23. Ianua
rij Anno 1599. cui & ipse Rex eques interfuit
tunica ex holoserico optimo indutus, & ex l
tere pugione, cuius manubium ex solido aur
constabat & cacodæmonis faciem referebat
armatus, qui finito hoc ludicro certamine, n
uarchum etiam affabre facto pugione, cuiu
capulus ex mero auro gemmisque nitebat, ef
giemque Regis exhibebat, ita vt vel quinge
torum florenorum precium æquare videretu
donauit, & honorificentissimè à se iterum d
misit.

CAP. XXXXIII.

DE BALINO, MADVRA, BORNEO & Macazare, insulis inter Iauam & Sindas præcipuis.

Balini insulæ descriptio.

MEdio inter ortum & aquilonem loc
non procul à Iava, Balinum sese offer
insula valde montosa & populo abundantis
ma, quam in ambitu duodecim miliaria Ge
manica continere scribunt. Regionis huius h
mines, nigri sunt, capillo crispo. Regem hab
acrem & imperiosum, cæteroquin Ethnic
quodvis primo de mane obuium adorant, v
stitum Iauanis & finitimis alijs cõsimilem g
runt, & licet indies magnus hominum num
rus vendatur, nihilominus tamen ingens co
fo

sese copia offert, qui ex agricultura & textoria arte quęstum maximum faciunt. Armentorum ibi magna copia est, sed & equos habent Gallicanis similes, qui quod humiles & robore nostris longe inferiores, sunt cataphractum sessorem vix ferunt. Equi hi ex insula raro transferuntur, & non nisi pauperioribus vsui sunt, opulentiores enim & primarij quique vel sellis mancipiorum opera gestātur, vel curribus bubalorum opera vehuntur. Oryza admodū abundant, nihil enim eius inde efferri, ob Regis interdictum, licet, si quid igitur abundans sit, id ad horrea altis montibus super instructa aut pro sterilium annorum solatio, aut profanis, obsidionis forsitan alicuius tempore futuræ, remedio recondunt, cum ea omnium Indiæ orientalis locorum annona præcipua sit. Fructus eorum primarius, nuces sunt, quas cocas vocant, cibum enim optatissimum ipsis præbent. Cæteri sunt mala aurea, citria, limonia & alia id genus, quorum in syluis prouentus maximus est, sed & fructum alium insula profert, pyrum magnitudine referentem, & cortice tenui intectum, forma castaneę, minus tamen aculeatum, interius albicantem, saporē iucundum, nonnihil tamen astrictorium, linguæ offerentem. Solet hic fructus interdū vel sacchare condiri vel sale macerari, & si post coquatur, deposita salsugine iterum condulcescit. Aromata præterea & quicquid Iava promit, producit, negotiationes tamē maritimas incolæ nullas agunt, nisi quod forte pannos gossypinos ad loca alia traducant.

Balini insulæ fœcunditas.

Arma

Incolarum Batinicorũ arma varia. Arma incolæ gestant, prælongas hastas, pugioneique flammiformes, cumprimis vero cãnas sagittivomas, ex quibus teretes exilesque sagittulas valde noxias efflant, quæ ex corpore extractę, aculeũ relinquunt, qui postmodum putrefactus, veneno partes, vicinas omnes, inficit, & dolorem inflammationemque ciet, vnde mors tandem certissima sequitur.

Regis Baliniensis magnificentia. Rex huius insulæ infinitis argenteis aureisque poculis & vasis instructus est, & sese splẽdidè admodum gerit; ita vt nec proceribus summis cum eo colloqui, nisi complicatis manibus liceat. Habet autem Gubernatorem secum, qui insulæ ita dominatur, vt eius decretis omnia stent & cadent. Hic subiectos sibi proceres & primatos alios habet, quorũ quilibet ditionem a Rege sibi mandatam moderatur, tanta concordia & tranquillitate, vt si forte aliquis alteri sese temerè opponat, coniuncta manu reliqui eundem aut opprimant aut saltem insula eijciant atque proscribant. Cuius quidem rei exemplum ibi adhuc recens est, cum enim ante annos decem plus minus, ex causa quadam, Regis familiarissimus, contra eum rebellasset, factaque seditione ad eum suis in ædibus obtruncandum copias ingentes eduxisset, prodito instituto ipse cum socijs omnibus mortis supplicio addicti fuerunt, quorum tamen misertus Rex, pœnam mitigauit, in incultam eos insulam relegando; vbi manendum ipsis perpetuo fuit.

Religio apud Baliniẽses ethnica. Quod ad religionem incolarum huius insulæ attinet, sciendum est, eos superstitionibus Ethnicis addictos esse, vigetque apud eos adhuc

adhuc hodie mos ille, vt cum defunctis viris multæ simul muleres; coniuges nempe eius comburantur, idque eodem rogo, cui oleum affundunt, & lignum santalum inijciũt. Quod si quæ mulieres eundem cum viro rogum conscendere renuunt; parum probæ habentur, promptas autem & faciles ad admittendum ignem, honestissimas & viri amantissimas pronunciant, dignas quæ illi in altera quoque vitæ cohabitent. Consuetudo hæc à Rege quodã ideo introducta est, vt mulierũ proterviæ obuiam iretur, quæ viri, si qua præsentis societas acceperat, variè commixtis venenis, vel dolis & fraudibus alijs, eos è medio frequenter tollere non dubitarunt. Itaque cùm Rex hoc ipso flagitio quamplurimos subinde pessum ire videret, hoc ritu instituto, fore omnino putauit, vt malitia mulierum refrenaretur & cohiberetur, parcendo nimirum & violẽtas à maritis suis manus cohibendo, vtpote cum quibus & sibi simul moriendum esse scirent.

A Iava maiore Aquilonem versus tẽtẽndibus, Madura insula occurrit; cuius indigenæ cum Iavauis eodem vestitu amiciuntur, homines ingenij mentisque acerrimi. Terra oryzæ feracissima est, adeo vt hinc vicini omnes eam petant, cuius fundus tam pinguis est, vt meliorem ne apud nos quidem reperire liceat; perpetuis exundationibus ita mollescit & humectatur, vt eam araturi, bubali hominesque; ad suras vsque in aquã incedãnt, quod idem etiam oryzæ messem facturis vsu venire solet. Insula hac propter summam fertilitatem vicini carere non possunt, quamuis maiores naues ap-

Maduræ Insulæ descriptio.

propinquare propter breuia multiplicia nequaquam possint. Incolæ prædationibus ferè victitant, quas nauiculis suis in mari agere solent, suntque prædationibus illis tam vicini quam exteri simul expositi, ad quarum tamen vindictam nemo accingitur, quod omnibus is metus obuersetur, ne lacessiti terram suã claudant, & mercium deinceps nihil ad vicinos amplius emittant, vnde annonæ caritatem sequi necesse sit. Arma omnia cum Iauanis communia habent, Elephantos nempe, equos, hastas, clypeos, acinaces & Crises pugiones, quorum capita cacodæmonis imagine formidabilia sunt. Regis ministri omnes nobiles sunt, quorum Crises ex argento constant.

Arosbaiæ ciuitatis descriptio.

In parte huius insulæ occidentali, Arosbaia ciuitas est, muris circumductis & portis aliquot per circuitus suffirmatis munita, in his noctu excubias agunt, & belli tempore contra hostes inde depugnant. Accidit autem Anno 1599 vt nauibus aliquot Hollandorum ad Tubanum Iavæ hærentibus, duæ ad hanc insulam appellerent. Cum igitur scapham suam ad Arosbaiam ciuitatem, oryzam & necessaria alia coëmptum misissent, intercepti omnes suisq armis & vestibus exuti, in captiuitatem abducti sunt, qui cum Regem peterent, vt ex suis aliquot ad nauarchum mittere, eumque de statu suo certiorem facere sibi liceret, obtinere illud nisi data fide, quod vinculis sese iterum sistere vellent, non potuerunt. Nauarchus igitur de suorum statu edoctus, agendum cum Rege de liberationis precio censuit. Rex au-

Hollandorũ aliqui ad Maduram capti ui abducuntur.

tem in

tem initio pro captiuis illis, quorum 40. numerabantur, duo maiora prætoriæ nauis tormenta cum pannis aliquot holosericis] & millium Ioachimicorum summa sibi tradi postulabat. At Nauarchus considerata petitionis iniquitate si vel pecunia vel mercibus liberare vellet socios, libenter se cum Rege depacturum respondit, quod vero tormenta attineret, sua ea non esse, nec plenariam se in ea potestatem habere, statuere igitur de illis nihil posse. Tractatio hæc quinque vel sex dierum erat, & quo diutius agitabatur, eo confidentiores animosioresque incolas reddebat, itaque Nauarchus habito cum suis consilio, ad littus progrediendum & vi summa socios liberandos censuit, rumor enim erat, eos in illis ipsis, quibus abierant scaphis, nullis vinculis impeditos sed liberos detineri, & scaphas illas in portu paucis custoditas adhuc stare, vnde eos eruere & abducere haud magni laboris videbatur.

Funestus fuit huius consilij exitus, nam postquam centum & quinquaginta numero, cum tribus scaphis lembisque totidem, versus terram proueherentur, ingentem statim in littore hominum multitudinem conglobari viderunt, præcidentibus duobus Lusitanis, qui vexilla pacis præferentes pacifice se cum Hollandis transacturos innuebant. Nihil autem præter dolum agebant animo itaq; fraude illorum detecta, cum excensionem Hollandi fecissent, sclopis in eos defulminarunt, prostratisque in terram aliquibus, ad scaphas

Hollandica primos ad Maduranı liberaturi multis sese difficultatibus implicant.

 iterum

iterum reuerſi,propius ad captiuos eas appu-
lerunt.At vero cum ſcaphis ſuis ciuitatem id
proximè ſubijſſent,altera protinus porta effu-
ſi incolæ,incautos eos opprimere in portu ſta-
tuebant.Dum itaque mutuo conflictu acriter
vtrinque depugnaretur,& tormenta etiam ſua
ænea incolæ proferrent , ſagittarum tam fre-
quentium vibratione inſtantes,vt cælum illis
pluere videretur. ventus interea validior con-
ſurgens,ad naues eos redire coegit. In regreſ-
ſu cum nonnihil promouiſſent,ſcaphæ duæ cũ
49.hominibus ingenti maris æſtu euerſæ ſunt,
cumque qui in reliquis erant nauiculis,ſuppe-
tias eis, propter imminens periculum, ferre
non poſſent,plerique vndis partim abſorpti,
partim enatantes à barbaris confoſſi perierũt,
pœnis ad priores captiuos in Arasbaiam ab-
ductis.Paſſi igitur hoc infortunium Hollandi
cum naues ſuas hominibus ferè nudatas vide-
rent,conuentione cum Rege facta, Regalium
ſiue Ioachimicorum duorum millium ſumma
pro captiuis omnibus numerarunt & ad naues
eas ſuas iterũ traduxerũt. Aequatorem verſus
ingens excurrit inſula,lineam illam vna par-
te contingens,quam Borneã vocãt. Hanc ali
qui ambitum 2100. leucarum habere , aliqu
tantum in circuitu eſſe,ſcribunt, vt vix trium
menſium ſpatio circumnauigari poſſit.Qui ta-
men exactius omnia ſcrutati ſunt,ducentas e
& quinquaginta non amplius leucas ambitu
ſuo colligere aſſerunt.Hæc autem rebus ad vi-
ctum neceſſarijs admodum affluit,carnibus,o-
ryza & alimentis varijs abundans,copioſè cã-
phoram & primæ notæ adamantes profert

Borneum inſula magna & eius deſcriptio.

Habe

Habet & apprimè expetitum vicinis gentibus factitij cuiusdam vini genus, quod patrio vocabulo Tampoi dicitur, & cum veste Cambaica, ære, argento viuo, rubrica, minioque, &c. permutatur. Portus & oppida numerant multa, sed præcipua nobilitate Borneū regia vrbs est, lateritijs mœnibus & sumptuosis ædificijs mirum in modum exculta, scribunt enim viginti quinque ædiū millia in ea numerari. Insulæ certè ipsimet nomen dedit, & in palude aquæ maritimæ Venetiarum instar sita est. Incolæ colore albicante sunt acerrimo ingenio & mira probitate præditi, idola plerique colunt: licet non exiguus Mahumetanorum ibi quoque reperiatur numerus. Rex ipsemet Mahumetanus est, & cum eo nemini quicquam nisi mediante interprete loqui concessum. Cum hoc Rege, Consalvus Pereria, circa annū 1528. in Proregem Goæ destinatus, cum aliquamdiu Malacæ ex itinere subtitisset, idoneam nactus tempestatē & occasionem pacem hospitiumq; constituit.

Vinum factitium.

Lusitani cū Rege Bornei amicitiam instituunt.

Supra Iavam Sindas versus, Macazar insula magna admodum & populosa cernitur, quæ ab Aequatore ad Austrum gradibus quatuor distat, & montibus altissimis conspicua est, ex quibus fluuij nauigabiles oriuntur. Ab Aquilone autem in Africam perpetuo tractu excurrens, leucas fermè ducentas conficit, atque vt aliæ ferme vicinæ, plura in regna diuiditur. Abundat in alimenta mortalium, oryza, sale, carnibus, pisce, in reliquos vero vsus & delicias, candida veste, sandalo ebore auro, margaritis, & valentissimo excellentissimoque re-

Macazaris insulæ descriptio.

trige. Circa annum 1527. ex insula ista fratres duo germani, Ternatem profecti, baptismi sacramentum susceperunt, reuersique postea in patriam, Euangelio prædicando, magnam popularium partem ad contemptum fictilium Deorum, ac miram cupiditatem, nouæ, ipsis quidem ac perigrinæ religionis, impulerant. Permoti igitur illa re, legationis munus ijdem ad Antonium Galuanum gentis suæ nomine susceperunt, atque ad conciliandam facilius societatem, vario genere mercium, quas terra fert, in naues imposito, nobiles insuper aliquot adolescentes baptismi causa Ternatem adduxerunt. Periucunda Lusitanis ea legatio fuit, Macazares igitur cōfestim baptizati sunt, & Franciscus Castrius ad firmandam cum ea gente atque ineundam cum vicinis Regibus amicitiam, haud sine muneribus, à Galuano missus, ex itinere primum ad Celebiorum insulam Getiganum appulit, ibi clementer acceptus, Regem vnà cum fratribus coiuge ac filio, itemque ex nobilitate ad centum & triginta, & è plebe non paucos ab idolorum seruitute ad veri Dei cultum, ingenti omnium animi voluptate conuertit. Ad Macazares autem porro progressus, aduersis repente ventis ac sæua tempestate penè submersus, Ternatem necessariò redijt, expeditione hac in aliud tēpus dilata. Felicius deinde Antonius Paiva nauigauit, coëmendi Sundali causa in easdem insulas à Rhoderico Vasæo Pereria, Malacæ præfecto circa annū 1543. missus. Vbi enim ad insulæ huius regnum primum, quod Supanum vocant, peruentū est, Rex ipse iā septuagenarius,

Macazares duo baptizati, Euangelium in tota insula prædicant.

Getigani Celebiorum Rex baptizatur.

Lusitani à Rege Macazaris honorifi è excipiuntur.

tus, inprimis totius Macazaris potens & bellicosus, vltrò ad inuisendum aduenam accessit, filium ducens secum annos quindecim natū, itemq; adolescentulas aureis armillis ornatas triginta. Eo comitatu cum ad portum venisset, accepta redditaq; salutatione, varijs de rebus, vt fit, cum peregrino mercatore sermonem instituit, quærēs inter alia quid ita Lusitani Mauri, (sic enim vulgo Mahometanos appellant) infensi infestique potissimum essent. Ea occasione arrepta Lusitanus in hæresis, Mahometani vitia & ipsius autoris ambitionem, fraudes, auaritiamque, pro ea quam habebat dicendi copia, inuectus, ijs deinde vitijs fraudibusq; veritatem Christianæ religionis opposuit, deque Christo ipso veri Dei filio generisque humani liberatore nonnulla subiunxit, & inde nomini Christiano cū sceleratissima illa secta proprium ac perpetuū bellū esse susceptū affirmauit. Omnia Regi probabilia visa sunt verum enimuero cum nihil eum de Christiana religione capessenda tum statuere videret Paiua, peracta in eo emporio negotiatione ad Siani, ipsum etiam in Macazaribus sitū regnum, leucas inde quinquaginta processit. Cum Sianio Rege familiaritas intercedebat Paivæ, quippe apud quē ægrotus olim in hospitio fuerat, & cū quo multa de Christianis initijs egerat. Hunc vbi cognouit adesse Rex, cōfestim ad eū iactis procul à portu anchoris in mari stantē, prior visendi gratia traiecit & mirifica quadā ex eius aspectu perfusus voluptate, post mutuā salutationem, auguror, inquit, faustum & felicem mihi meisque tuum fore aduentum, quando-

Lusitani à Siano Rege honorificè excipiuntur.

quidem ex quo te aſpicio, tanta ac tam noua me gaudia pertentant. Multo deinde ac ſuaui cum peregrinis habito ſermone, digreſſus eſt. Poſtero die cum ad eum ſalutandum honoris cauſa viciſſim in vrbem Sianum Luſitani veniſſent, conuerſus ad Paiuam Rex, caue, inquit, putes excidiſſe mihi, quæ hic apud nos cum eſſes, de veſtræ nationis in vnum Deum fide ac pietate narraſti, hęrent ea mihi penitus infixa, neque vnquam ex eo tempore voluntas mihi eiuſdem amplectendæ ac profitendæ fidei defuit, ſed hactenus me popularium metus, ſi ab auitis inſtitutis abſcederem, nec non exiſtimationis ratio, ſi grandi iam ætate repente immutatus viderer, ab hoc tam honeſto conſilio retardarunt. Eaſdem ob cauſas cum adhuc animi pendeam, te pro amicitia conſulo quid mihi faciēdum putes, ac ſimul vti coram hiſce proceribus aliqua de fidei veſtræ myſterijs, deque hominis Chriſtiani officio diſſeras rogo. Paiva igitur, ſe indoctum præfectus ac minimè dignum qui tam ſublimia tamque diuina tractaret, nihilominus tamen incenſo pij Regis ſtudio pro ſua parte non defuturum dixit, moxque à primo Decalogi pręcepto orſus, per dies aliquot & præcepta pietatis & myſteria religionis Chriſtianæ, quam planiſſimè potuit, explicauit.

Cæterum cum magno Regis aſſenſu auditus eſſet. vrgere tandem Regem cæpit, vt in Chriſti verba ſine dubitatione iuraret, at ille nouē ſibi dies ad deliberandū dari petijt. Obſtabāt enim egregiæ ipſius voluntati maximè ſacrificuli, quos ipſe Becos vocant, teterrimum hominum

Sacriſculi mu ierem ſexum mentientes.

minum

minum genus, quemadmodum enim Satanæ ministros decet, ipso amictu ornatuque corporis, muliebrem sexum certatim ementiri nõ dubitant, expilant enim faciem, crines alunt comuntque, dentes artificio quodam inaurãt, denique fractis motibus gestibusque luxum atque mollitiem produnt, fœminam ipsis attigisse capitale est, viuus enim ardenti pice crematur, qui cum muliere rem habuisse depræhenditur, at vero ipsi (quod vix auditu fas sit) certis inter se legibus nubunt, & praua insuper ferentes dogmata, miseram plebem nefarijs superstitionibus seducunt. Hi igitur præcipuè à noua religione Regem absterrebant, quippe qui omnibus adsueti flagitijs, Christianæ seueritatis & castimoniæ nomen horrerent. Accedebant ad labefactãdum, si qua possent, Regis propositum, Mahometani quoque, qui mercaturæ causa in eius regnum aduenerant. Horum conatibus impijs dum obuiam itur, Supanus interim Rex, apud quem Paivam primo appulisse diximus, ornatissima classe aduectus superuenit, ac primum omnium interrogat Lusitanos, num Sianius Rex Christo se addixerit, cumque ab ijs responsum esset, Sianium deliberantem adhuc cunctari, atqui in re adeo salutari tam longa deliberatione quid opus est inquit? ego quidem nulla interposita mora, Christianum me fieri volo. Tum igitur Paiva, quod Sacerdotibus careret, ipse per se perque suos raptim ara excitata, quam maximè festo apparatu, Regem sacro baptismo ritè lustrandum curauit à quodam ex comitibus suis, cum cætero corporis habitu, tum ipsa ca-

niciev enerando. Post Regem alij quoque com plures amici & propinqui eodem sacramento expiati sunt, Regique Ludouici nomen impositum, alijs aliter vocatis. Hoc exemplo incitatus tandem & Sianius Rex, omni contemptu periculo, moras rupit, & à Paiva ipso baptizatus, Ioannem se appellari voluit. Magno bonorum gaudio dies hic celebratus est, Regesque ambo præter veterem amicitiam ac vicinitatem, nouo insuper sacræ necessitudinis ac societatis vinculo magis magisq; adstricti sunt. Abeunte vero Paiva, veriti Reges ne duce & doctore destituta gens, breui pristinos in errores ingeniumque recideret, oratores ad Malacæ Præfectum implorandi tam necessarij subsidij causa miserunt, quod etiam nulla difficultate obtinuerunt.

CAP. XXXXIV.

DE CELEBE, GILOLIO, ET AMBOINA insulis, quas Sindas Ptolomeus vocat.

Sindæ insulæ quot & quæ.

INter Macazaras & Molucas insulas Ptolomęus tres ponit, quas Sindas vocat, suntque vt Mercator & eum secuti alij volunt, Celebes, Gilolium & Amboina, quarum duæ priores ab Aequatore secantur, tertia ad meridiem vergit. Celebes insula ab occasu Molucarum iacet, cum nonnullis alijs, quæ sub eodem nomine comprehenduntur. Incolæ sunt colore albo, fuerunt olim Antropophagi, idololatræ & piratæ nudi omnino præter pudenda inceden-

Celebis insulæ descriptio.

tes.

tes. Molucarum Rex olim ad mortem damnatos eò, vti deuorarentur mittere ſolebat. Circa annum autem 1526. è Molucis Luſitani quidam ad hos populos commerciorum cum eis exercendorum cauſa profecti, ab eis non ſunt admiſſi. Verum cum poſt annos aliquot Macazares ſacro fonte luſtrati, Chriſtianam fidem amplecterentur, Franciſcus Caſtrius notę probitatis & induſtriæ vir, ad ineundam cum vicinis Regibus amicitiam, haud ſine muneribus miſſus eſt. Appulit is ad Getiganum Celebiorum inſulam primum, & clementer ibi acceptus, Regem vnà cum fratribus, coniuge ac filio itemque è nobilitate ad centum & triginta, atque ex plebe non paucos ab idolorum ſeruitute ad vnius Dei cultum ingenti omnium animi voluptate conuertit, alios aliter, Regem vero ipſum nouo nomine Franciſcum appellans. Duo & viginti non amplius dies in tam ſalutari negotio poſiti ſunt, deinde magno ſui deſiderio relicto, Caſtrius ad Mindanaum, quæ & ipſa Celebes inſula eſt, acceſſit, ac legens oram, denique ad inſigne oppidum Siliganum haud fruſtra delatus eſt. Quippe Regem (quem Antonium Galvanum vocarunt) Reginamque & filias duas, nec non è populo centum circiter & quinquaginta ad Euangelicam veritatem ab impia ſuperſtitione traduxit. Baptizati ſunt in eadem inſula cum vxoribus, fratribus, liberiſque & magna popularium turba Reges alij tres, Butuanius, Pimilaranus & Caniguinus, illorum vtrique Ioannis, huic Franciſci nomine indito.

Celebes populi ad Christum conuertuntur.

Gilolium,

Gilolij insulæ descriptio

Gilolium, aliàs Batochina & Maurica dicta, tantæ capacitatis est, vt dimidiam ferè Italiam æquare scribatur. Abundat oryza, & metulla cuiusdam arboris, quam Sagu vocant, ex qua panem conficiunt, quemadmodum etiam succum quendam ex illa colligunt, quo loco vini vtuntur, Gallinas syluestres complures mittit à nostris valde differentes, & vicinum mare magnam habet testudinum ingentium copiã, cuius caro eiusdem ferè saporis est cum carne veruecina. Ita autem naturæ muneribus diuina prouidentia ad conciliandam per mutuos vsus humanam societatem, distributis, factum est, vt Molucæ ingentis precij frugem caryophyllum, vnæ fere & solæ ferant, reliqua fere omnia ad victum & cultum necessaria, aliunde mutuari cogantur, quarum maximam partem Batochina suppetitat.

Gilolij Rex veneno sublatus.

Incolæ benè proportionati sunt barbari & caudeles, cum humanam etiam carnem vt celebij olim vorare assueti fuerint. Quo tempore celebij & alij fidem, vt dixi, Christianã amplecterentur, erat quidam CatubrunusGilolij regni procurator, Rege admodum puero existente, is cum Mahometanis addictus superstitionibus esset, adolescentulum Gilolij Regem veneno sustulit, regnumque per scelus ipsemet inuasit. Deinde ad occupandas in eo tumultu Mauricas insulas magna classe profectus, nouitios Christianos, vtpote præceptis Christianis leuiter admodum institutos, à recta in Deum fide, metu minisque abduxit, vno incassum reclamante Dynasta Ioanne, quippe qui Christianæ disciplinæ præcepta & Euangelij

gelij veritatem, in pectus altè demiserat. Is vbi obstinatos ad deditionem, atque à suscepta religione, per summam leuitatem atque perfidiam auersos populares animaduertit, locũ extra vrbem tumultuario opere munijt, frustraque hortatus Lusitanos aliquot, quos circa se habebat, ne asperis in rebus desponderent animum, ipse cum paucis familiaribus oppugnationem hostilem à matutino tempore ad vesperam præclarè sustinuit. Nocte deinde desperata corporum salute, ad animos prȩsertim domesticorum quacunque ratione seruandos incubuit. Vxorem habebat Christianis nuper sacris initiatam, hanc vna cum paruulis liberis, ne propter infirmitatem naturæ vel ætatis, de baptismi prȩmijs in fructu periclitarentur, sua ipse manu peremit, inde cum sibi quoque manus pararet afferre, domesticorum interuẽtu prohibitus, & non sine magno animi dolore catabruno traditus est. Ab eo cum interrogaretur, cur tam triste consilium cepisset, immeritam coniugem cum innoxia prole per summum nefas occidendi, vxori quidem ac filijs egregiè à se consultum esse respondit, quarum sexus ætasque à salutari Christi confessione abduci facile potuisset. Se vero vti virum deceret, nec tyranni minas horrere, neque extrema supplicia cruciatusve Christi causa defugere. Hac orationis libertate Mahometani sæuitiam acrius concitauit, veruntamen cum in eo iam esset, vt carnifici traderetur, amicorum ac procerum deprecatione seruatus est. Hanc quidem Ioannes ille constantiam ac fortitudinem præstitit, de cætera autem nouitiorum

Constantia in Christiana religione exemplum singulare.

rum Christianorum turba, an in fide mansérint nihil constat, estque periculum, accidisse illis quod ædificijs malè fundatis, quæ ingruentibus ventis atque procellis, facili momento soluuntur.

Amboinæ insulæ descriptio. Amboina insula, ad Molucanas à quibusdam refertur, cum vt illæ caryophyllum quoque producat, quem fructum Molucarum proprium esse volunt, Sciendum autem est non longe ab inuicem remotas & distinctas esse. quas Sindas & Molucas vocamus, & imo Molucas inter ipsas Sindas conclusas iacere, vt facile fieri potuerit, vt & Amboinæ insulæ habitatores à vicinis populis & fructu acceperint, & colendi eius rationem didicerint. Fuit certè ante hæc tempora insula hæc aspera & sterilis, habuitque incolas piratica & Anthropophagia infames, nam de illis scriptores referunt, quod alter alteri proprios parentes, vel senio confectos vel incurabili morbo laborantes, deuorandos exposuerint, & circumiacentes insulas omnes infestarint. Hodie autem caryophyllorum, aurantiorum, limoniorum, citriorum, nucum Indicarum, facchari & aliorum fructuum feracissima est. *Incolarum in Amboina mores.* Incolæ ingenij simplicis sunt, victum ex caryophyllis quærentes, quem parum admodum & tenuem ferre optimè possunt. Arma eorum sunt hastę ligneę, vnico ferro præpilatæ, quas tam præcisè ad metam conceptam vibrare norunt, vt & à præfixo Ioachimico raro aberrent, clypeos ferunt & pugiones, quibus in bello præcipuè valet. Qui pauperiores sunt, manibus cultrum plerunque

latum

fatum gerunt, quo operas suas conficiunt, Placentæ genus quoddam ex oryza, saccharo & amygdalis pinsunt, inque finitima loca diuendunt. Oryza multum vescuntur. Nauiculas habent, seu triremes, Dracones ferè exprimentes, quas incitatissimè proferre norunt, Prora certe caput draconis puppis vero caudam refert. Exornant autem eas affixis vexillis quibusdā, & non parum insolentes sese illis præbent.

Insulam hanc primus omnium detexit Antonius Abreus, qui circa annum 1515. cum socijs aliquot ab Albuquercio ad Molucas destinatus, ad Agacinum Iavæ insulæ oppidum, & inde leucas ad sexaginta, in Amboinam insulam delatus, vtrobique columnas quasdam, aduentus sui testes statuit. Profectus autem ad Rucutellū quod emporiū insulæ nobile erat, benigne admodum ab incolis acceptus est. Erāt autem Rucutellanis veteres inimicitiæ cum finitima ciuitate Veranula ad Batochinam insulam pertinente, ac tum inter vtrumque populum exorto certamine, Rucutellani aduenarum maximè ope superiores euaserunt.

Amboina insula à quo primum detecta.

Circa Annum 1538. Mahumetani nauigijs plurimis ex Iava, Macarare & alijs finitimis insulis, Amboinam & Molucas petebant. Ea re cognita, ne per huius classis aduentum Lusitana commercia turbarentur, Galuanus, cuius supra facta mentio est, Caracoris viginti quinque, Lusitanos haud amplius quadraginta, & auxiliares circiter quadringentos imposuit. Cum ea manu profectus Iacobus Lupius Azevedius, Molucensi mari præpositus, prope

Lusitani Mahometanos ad Amboinā superant.

Amboi-

Amboinam insulam hosti occurrit, neque vlla pugnandi mora est facta, fusi fugatique magna cum cæde barbari & ex ipsis iuncis aliquot in potestatem venerunt. In ijs tormenta complura, telorum vis ingens, & pecuniæ non parum inuentum est. Inde territis latè nationibus, victor Azevedius Amboineoram legens, accolas maris vniuersas partim voluntate, partim vi maxima ad nomen Lusitanum adiunxit; ijs qui Ativam, Mantelum & Nucivelem præcipua eius littoris oppida habent, enixè petentibus, Christiana sacra per sacerdotes impertijt, ac demum rebus è sententia gestis, magna cum præda ad Meleucas reuersus est.

Hollandi ab incolis Amboinæ insulæ honorificè excipiuntur.

Cum Anno 1599. Hollandi quatuor nauibus ad hanc insulam aduecti essent, Gubernator insulæ cum tribus instructissimis & ornatissimis triremibus, quas Caracoras vocant, eos accessit, quæ viris vndequaque pulcherrimè exornatis & armatis confertæ erant. Hi naues Hollandorum vniuersas obeundo lustrantes, sui gaudij & admirationis varia signa edebant, tum cantillaneo & vasa cuprea feriendo, tum vero tympana oblongiuscula sub axillis pressa, altera manu pulsando, ita vt ex peluibus & tympano harmonia non insuauis emergeret. Ipsa quoque mancipia, in medio remigationis opere, tam suauiter & concinne admodũ labãtur, vt singularis inde iucunditas perciperetur. In qualibet nauicula tria tormenta disposita habebant, quæ omnia in Hollandorum honorem eiaculabantur, in quorum gratiam & ipsi sua disploserunt. Quærebat autem Gubernator, quo animo & fine Hollandi aduenissent.

Hic cumque illi commerciorum gratia aduē-tasse se respondissent, responso acquiescens, in terram eos descendere, vt negotiari commodius possent iussit. Sequenti igitur die Subpræfectus Hollandorum cum socijs aliquot in terram scapha aduecti sunt, vt cum Gubernatore de futuro commerciorū statu plenius agerēt. In terram autem egressis primates statim occurrerunt, & de aduentu suo oppido gaudere sese innuerunt. Deducebant autem Hollandos in tentorium aliquod, extensis infra arbores velis raptim paratum, vbi mutuis colloquijs tres fere horas detriuerunt, & domum quandam mercibus suis vendendis idoneam petentes, facile obtinuerunt.

Malè habuit admodum Lusitanos, quod inita cum Hollandis amicitia, commercia iam à se auerti & ad nationes alias deriuari viderēt, itaque Anno 1601. sub Gubernatore Andrea Fortado de Mendoza, classem triremium octo biremium vero 22. extruxerunt, eo quidem fere, vt & Hollandis circa insulas illas frequentēr hærentes opprimerent, & in incolas Hollandis fauentes ita animaduerterent, vt illarū se subtrahere consuetudini non dubitarent amplius. Hærebant autem tum in portu ad Bādam quinque naues Hollandicæ, à quibus Lusitani ita excepti sunt, vt fugam arripere post pugnam admodum cruentam cogerentur. Itaque cum nihil proficere sese contra Hollandos posse viderent, irati admodum, ad Itovam Amboinæ insulæ ciuitatem primariam profecti sunt, incolisque eius loci miserè mulctatis, arbores caryophyllum terra eruerunt, ne fructi-

Lusitani caryophyllorū arbores ad Amboinam euertunt & terra eruunt.

bus illis Hollandi amplius potirentur. Sed &
castelle quod ibi habuerunt firmato, diligen-
tes agere excubias cœperunt ne Hollandis ac
cessus amplius ad insulam vllus pateret.

Castellum Lusitanorū ad Amboinam, ab Hollandis expugnatum.

Cæterum Hollandi de hostilibus illis Lusi
tanorum conatibus edocti, Anno 1603. clas
sem 12. nauium sub imperio Stephani ab Ha
gen, ad insulas illas destinarunt. Ex his naui
bus, cum Cambaiam quædam, quædam Coci
num, quædam & Ceilanum insulam petijs
sent, ad Bantamum Iavæ emporium Anno 1605
sese iterum omnes congregarunt, ibique ha
bito consilio ad Molucas tandem excurrer
decreuerunt. Sub vesperam autem 21. Februa
rij, in sinum Amboinæ ingressa classis, cum
nocte illa, proiectis ad latus septentrio
nale anchoris, quieuissent, postero die ad ca
stellum Lusitanorum applicare constituerun
Antequam autem eo venirent, duos ex castel
lo sibi obuios cum literis ad Præfectum dati
habebāt, quibus Gubernator quærebat, quā o
causam ad castellū illud venissent, cui ipse a
Hispaniæ Rege præpositus Gubernator esset
Præfectus Hollandorum venisse se responde
bat, missum à principe Mauritio, vt castell
per vim expugnato, insulam sibi subiectam fa
ceret. Perterrefacti igitur hoc responso lega
ti, ad Gubernatorem quidem suum reuers
sunt, at Hollandi velificationem acriter vr
gentes, magis magisque ad castellum appro
pinquarunt, vnde Gubernator & vires Hol
landorum perspiciens, & audaciam miratus
animum statim abiecit, & deditionem sine vl
laro

la reluctatione aut tormentorum displosione fecit, hac tamen conditione, vt Lusitanis omnibus cum armis suis decedendi potestas fieret, qui vero exorati essent & manere ibi cuperent, iuramentum fidelitatis principi Mauritio & Hollandiæ ordinibus præstarent. Facta hac conuentione classis Hollandicæ præfectus cum quinquaginta armatis castellum ingressus, vexillum ibi Principis sui explicauit, & Lusitanos inde sexcentos ferè duabus nauibus, quas Hollandi in mari antea expugnauerant, dimisit, remanentibus in insula ab vxoratis, qui iuramentum fidelitatis Mauritio & Ordinibus Hollandiæ præstiterunt. His ita peractis ingentem crebra tormentorum displosione lætitiam Hollandi declararunt, cumque triginta tormenta ænea resque alias ad munitionem necessarias in castello inuenissent, nouo illud militum præsidio firmarunt, & constituto ibi Friderico Holtzmanno Gubernatore, de rebus omnibus ad annum integrum abunde ei prospexerunt.

CAP. XXXXV.

DE MOLVCCARVM INSVLARVM situ, fertilitate, incolis, & primatam à Lusitanis, quam ab Hispanis facta detectione.

Molucarum insularum situs & numerus.

MOlucæ insulæ, ob ingentem aromatum maximè vero caryophyllorũ copiam, quam toti ferè orbi subministrant, celebres admodum, Aequatori subiectæ, & à Borea in Austrum vicenis fermè leucis inter se disiunctæ atque inter Sindas insulas conclusæ sunt. Numerantur vulgo quinque Ternate, Tideris, Motiera, Macianum & Bacianum. Ternate adiunctam sibi in septentrionali latere exiguam aliam, Hirri dictam, ad austrum autem Tidorem habet, quæ capacior quam Ternate putatur, tamque exiguo interuallo, ab illa distat, vt vel sclopi displosione ex vnius littore, ad littus alterius pertingere possis. Nihilominus tamen loco inter vtramque medio exigua quadam insula alia, quam Metarem vocant, cernitur, Ternatensi subiecta. Versus Austrum à Tidore progressis insula sterilis, Macre, vel à Lusitanis Piero Canello dicta, occurrit. Iuxta eam Motiera, & postmodo Macianum, tandemque Bacianum, quæ australissima omnium est, sitæ sunt. Nulla autem plus quam sex leucas ambitu colligit, circumfusasque habent plures alias quibus omnibus ad occidentem Batochina seu Gilolium insula prætenditur, vt vltra eam non excedant.

Fructus harum insularum vnde toti orbi innotu-

innotuerunt caryophylli sunt, nam quod ad fructus alios attinet, exiguus ibi eorum prouentus est, oryzæ & frumenti ager nihil mittit, idque incolarum partim negligentia, partim vero soli ipsius vitio quod aridum & spongiæ quasi similia est, vt licet non modo cadentes pluuias statim imbibat, sed etiam è montibus manantes aquas, antequam ad mare pertingère possint absorbeat, tamen purum semper conspiciatur, arboribus nempe caryophyllorum, succum omnem ad se attrahentibus. Fructus hic Arabibus caryophyllon, at Hispanis, quod capitatus est, clauus appellatur, crescit in proceris admodum arboribus, quæ ex decedentibus caryophyllis, citra culturam enascũtur. Stipitem & folia habent laurum æmulantia, nisi quod aliquanto tenuiora & in extremitatibus plus acuminata conspiciantur. Dẽtibus contrita saporem caryophyllorum expresse referunt. Fructum arbores semel tantũ in anno ferunt, quamuis omni fere tempore & flores & fructus, tam maturi quam immaturi in eis reperiantur. Florent arbores cum venti australes spirant, mensibus nempe Iunio, Iulio, Augusto & Septembri, quo tempore æstus ibi maximus est. Decerpuntur autem quarto postquam floruerunt mense, idque quatuordecim dierum spacio, si enim fructus maturi in arboribus iusto diutius relinquantur, virtutẽ omnem intumescens admodum amittunt. Itaque vt maturitatem assecutos animaduertunt incolę, nullis parcere laboribus solent, vt eos quamprimum decerpant, idque eo magis, quo

Molucarum insularum fertilitas.

prouentus maior cernitur, quod quolibet triennio fieri plerunque solet, tunc enim tanta copia fructus isti proueniunt, vt ab vna sæpe arbore duo Baria, quæ 1250. libras faciunt, colligantur. Frondes autem exteriores arboris, funibus coarctantur atque constringuntur, vt vndique ascensus eò melius pateat & fructus eò melius decerpi possint. Rubent initio, & si in sole siccentur, rubedinem istam retinent, verum propter continuas pluuias fieri interdũ solet, vt ad ignem siccari eos necesse sit, & tũc nigredinem ex fumo contrahunt, suntq; apud nostros in maiori precio, quamuis quoad substantiam & virtutem à rubentibus nihil differant. Cæterũ cum fructus hic ditiorum præcipue mensis & dapibus expetatur, ingenti cũ lucro ab incolis diuenditur, perq; vniuersam Asiam Europamque traducitur, quæ causa est, quod populus iste otio quammaximè deditus sit, & laborare, nisi seruus & mancipium sit, nemo facile animaduertatur. Opifices plane nullas habent, in omnibus enim mancipiorũ opera vtũtur, nec de vllis rebus solliciti sunt, supellectilem domesticam, præter ollas & patinas aliquot fictiles, storeamq; vnam atq; alteram ex arborum corticibus ingeniosè contextam, in qua dormiant, nullam habent. Aedificia vero sua, mancipiorum opera extruũt, materiam nullam præter ligna & arundines ad ea adhibentes, ita vt ne clauus quidem ferreus præterea accedat. Sunt autẽ incolæ statura medioœri bene proportionata, colore fusco non omninò nigro nec etiã flauo, barbæ habẽt plus quã alij per Indiã populi, eam enim senes quidem magno studio ad autoritatem & grauitatem

Incolarum in Molucis mores varij.

tatem aliquam sibi conciliandam, nutriunt. Vestitu vtuntur decoro admodum & honesto, tunica nempe oblonga & ad genua vsque demissa. Adolescentes & viri iuuenes annulos in capite gestant ex gossypio conuolutos, varijsque eos diebus festis floribus exornant, vestimenta simul iucundo fumo imbuentes, & bene olentes inueniantur, & eò vxoribus gratiores habeantur. Nam vxores quidem ducere quotquot libet ipsis licet, ardensque zelotypia suarum coniugum & filiarum tanta, vt ne domum quidem ad eas visendas quenquam secum adducant. Ducturus vxorem, spectatum eam nequaquam admittitur, donec inter parentes & consanguineos vtriusque partis, de dote & donatione propter nuptias conuentum sit, tunc enim puella ipsi per parẽtes affertur, quæ eum vel nunquã antehac visum, maritũ habere cogitur. Mulieres staturæ mediocris sunt, capillũq; variè circa caput conuolutũ & in nodũ posteriore capitis parte colligatũ gerũt, vt nullus in eis ornat⁹ cõspiciatur, interim tamẽ admodũ lasciuæ & procaces sunt, virisq; suis licet diligẽtissimè domi custodiãtur atq; asseruẽtur, fideles vero permanẽt. Religionẽ fouẽt Mahometicã, naturæ aũt sunt humaniores & minimè superbæ aut cõtumacis, vnde vitã quietã & pacificã agũt, maximè qui eiusdẽ sũt insulæ & ciuitatis incolæ. Cũ vicinis vero & alterius cuiusdã insulę habitatoribus, crebræ ipsis litesq́; contentiones & bella intercedunt. Armis suis vti nouerunt optimè, suntque tam fortes in pugna, vt sui similes per vniuersam Indiam non habere dicantur. Dedecus enim maximum esse putant, si quis hostem suũ

Vestitus Molucensiũ.

Molucensiũ zelotypia.

Molucensiũ mulierum cultus.

Religio Molucensium.

fugiat, & si is viribus prævaleat, tunc mortem pugnando oppetere honestum admodum existimant, quemadmodum honestum etiam ducunt contra multos simul pugnando subsistere. Arma ipsorum sunt gladius & clypeus, caput vero galea tegunt, & armis illis tam prudenter dextreque vti norunt, vt omnem in eis exercendis vitam posuisse putentur. Bella maximè maritima gerunt, triremibus & nauiculis alijs quas Caracoras vocant, vtentes. Naues istæ tam angustæ sunt, vt vix sine euersionis periculo, & non nisi multorum remigum opera promoueantur, itaque seruis remigibus opus habent, qui partim in naui, partim vero extra eam, leuibus transtris siue subsellijs ex arundinibus factis, insident, vt & pugnantibus impedimentum nullum faciant, & nauem tanta celeritate promoueant, vt vel alicuius sagittæ instar in mari feratur. Tympanis in bello vtũtur minoribus, quæ omnes remiges pulsare etiã in ipso opere possũt. In medio triremiũ tormẽta duo ænea cõstituta habẽt, quæ in partes varias cõuertere subinde possũt. Pugnã à iaculorũ proiectu exordiũtur, quæ ꝓijcere magna & celeritate & dexteritate possunt, postea ad gladios cõuersi, magna agilitate contra hostẽ depugnant. Domum autem vbi reuertuntur, de fortuna qua in bello vsi sunt, iudicari facilè ex tympanorum concentu potest, si enim victores sint, cum ingenti clangore & strepitu reuertuntur, multis hostium trucidatorum capitibus ad proram triremium appensis.

Moluccensiũ pecunia. Pecuniam nullam habent, sed opes & diuitias suas ex abundantia caryophyllorum æstimant

mant, pro quibus etiam quod opus est comparare sibi possunt, cæterum ad emendas res viliores Sago vtuntur, qui panis eorum est, ex arboribus quibusdam factus. Nam medulla quarundam apud illos arborum lente purgata & testaceis incocta formis, in vsum panis egregiè ipsis sufficit, quemadmodum etiam ex eiusdem arboris ramis artifici manu concisis, leuandæ siti, mirifico sapore simul & salubritate, candidus liquor exsudat, quem vulgo Tuacan appellant. Lingua vtuntur peculiari, quæ nullam cum alijs per totam Indiam affinitatē habet, scribentes vero literis Arabicis vtuntur. Sunt in hac insula aues, quas Passeres solis Lusitani, nostri vero corrupto inde vocabulo paradisi volucres vocant. De illis scribunt quidam, quod viuentes nemini vnquam visæ sint, sed mortuæ in insulas illas delapsæ ab insulanis conquirantur, Item quod ex aëre viuentes nunquam in terram subsideant, pedesque nullas, ex solo capite & corpore constantes, habeant. Hanc opinionem recentiores quidam falsam esse affirmant, scribunt enim, pedes eas reuera instar aliarum volucrum binas habere, sed aucupes solere eos vna cum potissima corporis parte præcidere & abripere ita vt nihil præter caput collumque cum exigua corporis particula plumis elegantissimis vestita remaneat, quæ ab æstu solis indurata & exsiccata ne vestigium quidem pedum vllum exhibeant, vt inde quasi ita creatæ videantur.

Moluccensis panis & vinum.

Lingua Moluccensium.

Cæterum insulas has olim desertas & qua planicies est, mari immersas fuisse, sunt qui ex conchis & arenis, quæ fodientibus passim ibi

Moluca insulæ veteribus ignota à

quo & qua ratione detectæ fuerint.

occurrunt,probari posse existiment.Hoc certe constat, Græcis antea Latinisque populis prorsus ignotas fuisse. A Lusitanis igitur tali ratione circa annum 1515.inuentæ & detectæ primum fuerunt.Postquam Antonius Abreus, Amboinam insulam aperuisset,Franciscus Serranus ex eiusdem Abrei comitatu,à socijs fœda tempestate distractus,ad infames & scopulis & latrocinijs Lucopinas insulas vltra Bandam,allisa naui,saluis socijs armisque in terram euasit,fame sitique ob solitudinem ac siccitatem loci, vna cum socijs vtique moriturus,nisi,quæ res exitio alijs esse solet, præsentem eis opem diuinitus attulisset. Prædonum erant in proximo stationes, excubantium eo fine,vt eiectos in littus aduenas improuiso aduentu caperent.Hi conspecto Serrani infortunio,ad prædam alacres pirato nauigio,ipsi Caracoram vocant,aduehebantur. Habebat Serranus secum nautas quosdam Malacenses, sceleris huius non ignaros, ab ijs præmonitus vt sibi consuleret,insidias prope littus occulto loco disposcit.Prædones in terram egressi,dũ naufragos venantur,interim exorti à tergo Lusitani Caracoram inuadunt, qua re animaduersa illi,ne abducto nauigio in deserta insula destituti perirent,confestim à latrocinio ad obtestationes versi,culpæ veniam suppliciter petierunt,polliciti,se,modo in Caracoram reciperentur,duces Lusitanis ad commodum hospitium haud procul inde futuros.Non abfuit dictis fides,moderantibus enim illis cursum, ad Amboinam atq; ipsas tandem Molucas Lusitani delati sunt.

Post

Post annos paucos, nempe circa Annũ Christi 1520. Fernandus Magalianes Lusitanus, ingenti animo vir, & rei naualis apprimè callens, quod in India sub Albũquercio stipẽdia multa fecisset, nequaquam pro spe prȩmiorum ab Emanuele tractari se quȩstus, ad opulẽtiorẽ Caroli Cæsaris, Castellæ siue Hispaniarum Regis aulam transit. Ibi cum Astronomis aliquot communicato consilio, Cæsarem & consiliarios docuit, Molucas insulas, quarum celeberrimis diuitijs Lusitani iam fruerentur, intra Castellanæ conquisitionis limites haud dubiè contineri, & occidentalibus insulis adnumerandas esse. Hoc vero non tantum pluribus argumentis è mathematica supputatione, sed etiam acceptis à Francisco Serrano, qui primus insulas illas Lusitanis patefecerat, literis, probare contendit, ostendens autem, si à fortibus & peritis hominibus tentetur ex occidente iter, haud ita magno negotio à Peruana terra in easdem insulas penetrari posse, opem deinde addit monitis, ac se, modo in eam expeditionem necessaria præbeantur, in omne discrimen, experiundi causa, paratum ostendit. Mouit Hispaniæ Regem & magnitudo promissi, & Fernandi autoritas, cum testimonio Serrani coniuncta, moxque nauibus quinque eximio & nauta & milite instructis, (quo in numero exules erant Lusitani complures,) vnus Magalianes cum summo imperio ac potestate præfectus est.

Fernandus Magalianes Molucas insulas & occidentis pertinere insulas contendit.

Cum illis ergo nauibus Magalianes Bæti fluuio in altum euectus oceanum, Canarias primum insulas, tum Brasiliam petijt, inde

velis

Fernandus Magalianes nouum ad Molucas iter inquisiturus proficiscitur.

velis in Austrum datis, cum ignota littora diu legisset, ad magni fluminis ostia ventum est, neque inde longè infesto rigore & æterno pressa gelu, niuosa montium cacumina in cælum exsurgunt. Ad eam oram explorandàm missa nauis vnà, cui præerat Ioannes Serranus, in scopulas illata, saluis tamen hominibus fracta est. Hisce rebus conterriti classiarij, & præter alia maris incommoda sæuissimo frigore enecti, incerta vitæ & perueniendi quo intenderant spe, reuersionem plerique suadere, & vel cum conuitio efflagitare cæperunt. Hosce Magalianes obfirmato ad omnem patientiam animo benignis adhortationibus aliquandiu sustentare conatus est, comperta autē postmodum coniuratione, partim capite, partim exilio puniuit, qua supplicij ac minarum acerbitate, obstupefactis iterum ab omni rerū nouarum conatu reliquorum animis, vltra eum locum leucas circiter quinquaginta processit, vbi sese demum euripus sinuoso admodum meatu oceanum vtrunque coniungens, ostendit. Ea re, cum ex incitatissimo aquarum æstu animaduersa, tum ex cetorum ossibus in littus eiectis, quasi peracto iam itinere, gratulatio ingens à Magaliane facta, & euripo ipsi ab inuentore, perpetuum ac nobile nomen inditum est, vt adhuc hodie fretum Magalianum vel Magellanicum dicatur.

Fretum Magellanicum à Magaliane superatum.

Cæterum imminutis valde commeatibus, cum denuo fremitum vel querimonias quorundam inaudiffet, capitis pœna proposita, ea de re sermones inferri vetuit. Præmisit autem

nauem

nauem aliam ad exitum inquirendum, at illa ducem suum frustrata, per tenebras, retro vnde venerat, Hispalim, octauo, quam inde discesserat mense, reuersa est. Cum igitur nauis illa non rediret, ipse cum reliquis tribus audacter progressus, per ambages & difficultates, angustiasque varias, crebro velorum flexu tandem ex altera parte vastissimum rursus in æquor euasit. Hoc facto, cum insulas Molucas in isto æquore sitas esse sciret, proras versus eas dirigere Magister iussit. Leucas igitur mille quingentas procul ab omni terræ conspectu prouecti, in desertas aliquot insulas inciderunt, inde continuato versus septentrionem itinere, ad Subum insulam leucarũ fermè duodecim ambitu, auri feracem & incolis frequẽtem ventum est, vbi Magellianis quidem labores, tali tandem ratione conclusi & finiti sunt. Insulæ istius Rex cum finitimo Mathani Rege bellum gerens, oblata recentis auxilij spe, aduenas non solum hospitio libenter excepit, sed etiam in eorum gratiam, sese cum vxore liberisque & popularibus circiter octingentis, Christianum fieri voluit, & honoris causa in sacro baptismate Fernandi nomen assumpsit. His necessitudinum vinculis magis magisque Magalianes obstrictus, cum semel atq; iterum hostes fudisset, tertio denique ex insidijs ipsemet circumventus occiditur. Cæteri circa eũ partim interfecti partim elapsi, vix ad naues cum tristi nuncio peruenerunt. Hoc facto Rex, qui temporis tantum causa Christianorũ susceperat sacra, qua mobilitate Christum induerat, eadem paulo post & Christũ ipsum, & vna

cum

cum Christo ius fœderum, humanitatem item fidemque omnem penitus exuit. Oblatam ab hoste pacem, ea conditione, si aduenas è medio sustulisset, recentia mereta & iunctas nuper dexteras oblitus, minimè recusauit. Tam scelerati autem facinoris perpetrandi cum in aperta vi nulla spes esset, primarios quosque è classe ad viginti, per officij & beneuolentię speciem ad conuiuium inuitatos, repente inter ipsas dapes & pocula trucidauit.

Hispani ad Molucas insulas ex occidente pertingunt.

Supererant in classe centum & octoginta non amplius viri. Cum igitur in tres istas naues, neque funes neque vela, neque nautæ sufficerent, vna quæ præ cæteris quassata erat incensa, turbam cum instrumentis omnibus ad reliquas duas distribuerunt, indeque discedentes cursum in occidentem direxerunt, vbi post diuturnum errorem ad Molucas tandem insulas peruentum est. Aberat tum classis Lusitana, itaque iuncta cum Tidoris Rege societate, corrasisque vndique cibarijs frugibusque, per tot ærumnas & pericula petitum ex insula specimen auexerunt, ac trito inde itinere vtraque primum nauis institit, deinde altera fluctibus quassata, cum omnibus compagibus aquã acciperet ad Molucas recurrit, ibique egressis in terram hominibus, ad scopulos allisa perijt. Altera vero India ad dextram relicta, rectà Bonæ spei promontorium petere intendit. Hoc superato, cum ad insulas virides vsq; processisset, inaudito post omnium seculorũ memoriam cursu totum orbem emensa, à Lusitanis tandem in portu isto detenta est, paucis qui superfuerant in custodiam traditis, è quibus

bus tamen aliqui, naui deinde recuperata, in Hispaniam reuersi sunt.

Naui huic non sine causa Victoriæ inditum nomen fuerat, Nauclerus erat Ioannes Sebastianus Canus, vir animi fortitudine, peritia gubernandi, & inaudita felicitate sane promeritus, vt nomen eius nullus vnquam casus, nullaque temporum longinquitas obruat. Ex eo deinde tempore sæpius in Molucas è Bætica primum, ac postmodum è noua Hispania nauigari cæptum est, quæ res ingentem discordiarum molem inter Lusitanos & Bæticos Hispanosque peperit, nec sine magno motu, cum in Europa legibus, tum in Asia ferro, de illarum insularum commerciorumque possessione certatum est.

CAP. XXXXVI.

DE TERNATE ET TIDORE, INsulis inter Molucas primarijs, & motibus Lusitanorum atque Hollandorum in eis varijs.

INsulas Moluccas quinque numerari supra annotatum est, harum quælibet ante hæc tempora peculiarem suum Regem habuit, hodiè autem Motiera & Macianũ ad Ternatensem pertinent, & duæ reliquæ Tidoris nempe & Bacianum suos adhuc peculiares Reges habent. Cæterum Reges isti omnes, quoad recordari subditi possunt, ex vna semper & eadem familia originem traxerunt, permagni enim id faciunt, & multum eo sibi

Moluccæ insulæ quot Reges habeant.

sibi placent,quod stemma suum à Regibus de-
riuare sciunt.Potentissimus vero omniũ Ter-
natensis est,nam præter tres Molucenses insu-
las, Amboinam etiam hodie & Gilolium, cum
multis alijs minoribus insulis suæ potestati &
imperio subiectas habet.In summo apud sub-
ditos suos honore & autoritate existit, qui eũ
in bellum proficiscentem,proprijs sumptibus
sequi,& absque vllo stipendio contra hostem
pugnare coguntur . Pecorũ pisciumq; ingen
in Ternate penuria est.Bubalos quidem habẽ
sed raros admodũ,capellæ similiter raræ sunt,
Aprorum autem magna copia,quorum tame
Mons ardẽs in insula Ternate carnibus vesce lege & statutis prohibentur.
Est autem in Ternate insula,mons quidam ex
celsus admodum & arduus, cuius inferior
densis nemoribus vestiuntur superiora ex in
cendijs glabra & horrida sunt.In vertice cra
ter,vasto hiatu,in plures circulos maiores mi
noribus circumductos,ad speciem amphithe
atri discedit.Inde æquinoctiorum maximè tẽ
pore & ventis septentrionalibus spirantibus
cum horrisono fremitu flammæ,atro fumo fa
uillisque permistæ erumpunt , & omnia lat
loca cineribus complent,cuius quidem mo
tis visendi annuæ vices sunt,verum non ni
per funes aut ferramenta quibusdam locis a
census ad illum patet.

Lusitani qua occasione ad Ternatem primum peruenerint Quo tempore Lusitani vt supra dictam Am
boinam delati,& ab incolis Rucutelli emp
rij benignè accepti erãt, Rucutellanis veter
inimicitiæ cum finitima insulæ Batochinæ c
uitate Veranula , itaque exortum inter
trumque populum certamine, Rucutella
adi

aduenarum maximè ope superiores facti sunt. Rex huius fama cum longe lateque manasset, ad Molucarum etiam insularum Tidoris atque Ternatis Reges tandem peruenit, quorum alteri Almansori, alteri Boleifi nomen erat. Ambo autem à patrijs ritibus ad Mahometicam superstitionem paulo ante transierant, ac de finibus inter se contendere soliti, cognito Lusitanorum ad Amboinam appulsu, tam inclytę gentis auxilio contra hostem augeri cupidus vterque, certatim naues ad præsidium ad inuitandos ac deducendos ad se peregrinos miserunt. Diligentior autem in eo officio fuit Boleifes, celeriter enim instructis in idipsum nauibus decem, custodia in mille fermè armatorum eis imposuit, à quibus abductis iam ad Ternatem Francisco Serrano & Lusitanijs alijs Tidorenses à Rucutello irriti redierunt. Hac igitur occasione cum Lusitani Ternatem primò venissent, multa de Molucensium natura, commercijs, moribusque per otium cognouerunt, & Serranus quidem magno apud Boleifem in honore habitus, non Emanuelem modo de rebus ijs accurate per literas docuit, verum etiam commeantibus deinceps eodem Lusitanis, non mediocri vel solatio vel adiumento fuit.

Pro conseruanda autem amicitia & commercijs etiam augendis ab Albuquercio paulo post Georgius Brittus ad has insulas destinatus est, cumq; is ad Acenum interfectus esset, frater eius Antonius in Georgij locum suffectus, cum quinque nauibus ad Molucas profectus est. Ad Bacianum autem primo applicans, cum *Bacianum à Lusitanis ferro & igni vastatum.*

ibi ex Simonis Correæ naui, Lusitani aliquot paulo ante perempti fuissent, eam fraudem necemque vlcisci placuit, itaque exposito statim milite, agros insulæ ferro ignique vastauit. Hinc Tidorem progressus, ab incolis comperit, Boleifem Ternatis Regem, Almansoris Tidorensis Regis filiam matrimonio sibi iunxisse, & Franciscum Serranũ è vita migrasse. Aduexerat autem secum Brittus fabros & instrumenta ad ædificandum castellum necessaria, & iam antea vltro Boleifes non modo, sed Almansor etiam in sua vterque ditione Lusitanis, quo potissimum vellent loco, arcis extruendæ optionem detulerant. Verum enimuero præcipua quædam nominis Lusitani charitas in Boleife eminebat, nam & Lusitanis, in eas regiones primum delatis, hospitio inuitandis Almansorem præuerterat, & Franciscum deinde Serranum aliosque apud se diu detentos, mira comitate officioque tractarat. Præterea morbo confectus, cum hæredem regni tenera etiamnum ætate relinqueret filium, nomine Boahatem, vxori tutoribusque & cognatis moriens præceperat, vt Lusitanam societatem summo studio retinerent, itaque Brittus insulam vtramque per otium contemplatus, Ternatem Tidori ad ædificationem & domiciliũ antetulit, non modo loci natura adductus, quod aliquanto commodiorẽ Ternate haberet portum, sed etiam haud obscurè infensus Almansori, quod post iũctas cũ Serrano dextras, nouis Bæticorũ siue Hispanorũ sese fœderibus illigasset. Defuncto interea Boleife, Aroizius Regis iunioris tutor, obuiã Britto profectus, ad he-

Lusitani arcem ad Ternatem ex[...]

ad hospitium eum, ingenti Reginæ Regisque & oppidanorũ gaudio perduxit. Deinde locus ad ædificandũ vrbi contiguus electus, materiaq; & cæmentis eo conuectis, Brittus lætitiæ causa, caput perinde ac cæteri, fertis & floribus redimitus, primus omnium & castello fudit humũ, & lapidem in fundimenta coniecit, Anno nimirum post natum Christum 1522.

Bellum inter Ternatiles & Tidorenses. Erat tum penes Aroëzium rerum Ternatensium summa, itaq; arx eo adnitente, non parũ excreuit, iamq; disposita in muris tormenta longè lateq; terrorem inferre cœpit. Regina vero id sibi suisque iugum per causam hospitij ac societatis impositum, sero ingemiscens, clam communicatis cum Almansore parente consilijs, fugam vnà cum liberis ac præcipuis amicorum parabat, vt per eam occasionem popularibus paulatim abductis vrbem desertam ac nudam Lusitanis relinqueret. Ea re per Indices comperta, Brittus arcis Præfectus, adiutore Aroëzio, regias ædes repente circumdat, prolatumque Boahatem Regem & paruulos fratres Aialum & Tabariam, in arcem transportat, Regina per occultos exitus inter tumultũ sese subducẽte. Cæterũ cũ consternatus Regis desiderio populus frequens ad arcẽ accurrisset, Aroëzij autoritate & Britti accommoda ad tempus oratione sedatus est, siquidem inter cætera persanctè ambo affirmarent, consilium id publicæ salutis causa necessario susceptum fuisse, fidemque obligarent suam, Bohati Regi diadema regnumque mansurum incolume. Tum pluribus in æmulum diuitiarum ac dignitatis Almansorem inuecti,

 barba-

barbaros natura belli cædiſque cupidos, ad in-
ferendum ei bellum haud magno negotio per-
pulerunt. Inde igitur inter vtramque inſulam,
vario ſucceſſu crebro poſtmodum certatū eſt,
Aroëzio tamen & Ternatenſibus palmam ple-
runque obtinentibus.

Luſitani cū Tidorenſe Rege pacem fecerunt.

Accidit interea, vt finita Antonij Britti præ-
fectura, Garzias Henricus ei ſuccederet. Is &
belli tædio feſſus & paucitate ſuorum addu-
ctus, Tidorenſi Regi expetenti pacem dederat,
hac conditione, vt intra ſex menſes, tormenta
& alias res omnes, per bellum Luſitanis abla-
tas, nec non fugitiua mancipia redderet. Læ-
tus autem optata pace Tidorenſis, id porro la-
borare cæpit, quomodo perpetuam tandem ac
ſtabilem faceret. In hac deliberatione verſan-
ti optimum viſum eſt Aroëzium, quam arctiſ-
ſimo neceſſitudinis vinculo ſibi coniungere,
quod is, cum apud populares opibus, tum apud
Luſitanos gratia & autoritate plurimum vale-
ret. Ergo per fideles internuncios cum egre-
giæ cuiuſdam voluntatis teſtificatione, Aroë-
zio filiam in matrimonium obtulit. Cæterum
Garzias id interpretatus ad labefactandam ei-
us potentiam haud dubiè pertinere, omni co-
natu dirimere atque impedire nouam affinita-
tem inſtituit. Ad eam autem rem aptius nihil
occurrit, quam arrepta qualibet occaſione re-
centia fœdera ſoluere, & eodem Aroëzio au-
tore, Tidorenſibus arma quamprimum in-
ferre.

Luſitani fœdus cum Rege Tidoren

Cum ea placuiſſet ſententia, extemplo per
legatos ab Almanſore, ex conditionibus effla-
gitare Garzias inſtitit, cum cæteras res, tum
vero

vero tormenta, quippe quarum partē ex insula abesse, atque haud ita facile restitui posse intellexerat. Rex ad ea benignè respondit, diem quidem in fœdere prestitutum nondum aduenisse, & sibi nihil maiori esse curæ, quam vt omnia sua Lusitani recipiant, cæteris quidem in rebus non magnám fore cunctationem, verum tormenta se Baciano Regi commodasse, ad ea exigenda reuehendaque spatio esse opus, daturum tamen operam, vt ad condictū atq; præstitutum tempus Ternatem cuncta adferantur, interim se, præter cætera incommoda, morbo etiam implicitum teneri, petere à Garzia & rogare pro reconciliata gratia, morā eam boni consulat, & simul vti medicum ad se mittere ne grauetur. Garzias excusationem se accipere simulans, medicamentarium aliquem ei submisit, qui, ex condicto videlicet, nihil minus metuenti ægroto, venenum pro pharmaco miscuit, ex quo paucis diebus per speciem ægrotationis fraude vtcunque celata decessit.

se initum rumpunt.

Tidorensis Rex per Lusitanos veneno extinguitur.

Defuncto Rege, magnus in vrbe luctus fuit, magnaque rerum omnium perturbatio, Garzias verò eò acrius mœrentibus ac perculsis instans, nisi tormenta extemplo restituant, bellū ipsis denunciat. Ad ea Tidorenses, coacto ægre concilio respondent, orbam ciuitatem in summa tristitia & mœrore versari, Almansoris insepultum adhuc iacere corpus, id vbi terræ mandarint, ac iusta suo Regi persoluerint, nihil habituros antiquius, quā vt Lusitanis omni ratione satisfiat. Hæc demisè ac suppliciter agebant ciues, & status erat rerum, qui vel fer-

Tidoris à Lusitanis direpta igne vastatur.

rea pectora lenire ad clementiam potuisset. At vero Garzias vno tantum interposito die, nauibus ad Tidorem accessit, paratasque ad cędem & rapinam copias confestim in terrā exposuit. Oppidani igitur tam subito oppressi, extemplo diffugiētes vrbem Lusitanis diripiēdam reliquerunt, qui desertam eam & direptam incendio statim deformarunt. Nihil eo facto grauius ad vicinorum aures accidere potuit, itaque ex eo tempore cum à cæteris littoribus, tum à Baciano præsertim Lusitani minis armisque arceri cæpti sunt.

Hispani Tidorem occupant & muniunt.

Sub idem tempus, ab Hispali naues Hispanorum quinque ad Molucas iterum intenderant, ducibus ijs, qui Magalianis è comitatu superant, hæ nondum probe explorato cursu, varijs casibus dissipatæ sunt, ita vt vna tantum oneraria optatos portus assequeretur. Præerat ei Martinus Ignatius quidam, cum propugnatoribus ferme trecentis, qui cognita Tidorensium clade, destitutam insulam, summa accolarum voluntate occupauit atque muniuit. Inde inter Ignatium & Garziam cum minis varijs internuncij commearunt, nam Molucense hoc emporium vterque sibi asserebant, alterumque alter & excedere ex ijs locis, & nihil negotiationis eius attingere iubebant, vnde iurgijs primum, tum leui etiam prælio non semel certatum est. Postremo tamen induciæ, quod ea de controuersia suum vterque Regem consuleret, factæ sunt.

Euersam igitur à Garzia vrbem Tidorenses

ses iuuantibus Hispanis, haud magna mole, quippe è lignea materia, folijsque refecerant, & in defuncti Almansoris locum adolescentulum eius filium suffecerāt, is dum ad puberem perueniret ætatem, tutela regni penes Radem quendam Cacilem erat, & in eadem insula Castellani extructum ab Ignatio ad portus fauces propugnaculum arcis instar, vallo & fossa munierant. Cæterum è trecentis bellatoribus ad centum fermè, varijs redacti gladibus cum alijs, vt in tam longinqua regione difficultatibus, tum paucitate maximè Hispani laborabant. Eadem autem Lusitanos quoque premebant incommoda, verùm eo meliore conditione, quod & à suis ipsi colonijs emporijsque non aberant longius, & Boleifis demortui Regis liberos omnes, quasi insulanorum fidei obsides, inclusos intra arcem secum habebant. Potuisset tamen à barbaris vtraque deleri natio, si communi consilio ad facinus conspirassent, sed socordia, lucri cupiditas & ciuile odium, ad mutuam perniciem præceps, adeo distrahebat animos, vt discordes infensique inter se domesticis certaminibus externa arma fouerent.

Hispanorū simul & Lusitanorum in Molucas difficultates maximæ.

Mauricæ sunt aliquot insulæ, de quibus supra dictum, harum partē cū singuli obtinerēt Reges, quod inprimis opulēta est terra, mutuo sese inde pellere conabantur. Ea res ad euertēdam Tidorem, ne receptum amplius Hispanis daret, aditum denuo Lusitanis aperuit. Nam vt fines Ternatensium inuaderet Rades assumptis Hispanis circiter quinquaginta, classe

Tidoris à Lusitanis iterum capta incendio vastatur.

in Mauricas profectus eſt. Vrbe arceque Tidorenſe, cum imbelli plebe & præſidio Caſtellanorum haud amplius quadraginta relictis. Ea re comperta Georgius Meneſius Garziæ ſucceſſor, confeſtim arce Gumezio Ario concredita, centum & viginti Luſitanos eduxit, & per ſpeciem occurrendi hoſtium nauibus, cum à Ternate ſoluiſſet, repente ad Tidorem iter reflexit, & copijs bipartito in terram expoſitis, vrbem, & male munitam & defenſoribus vacuam primo impetu cepit. Rege igitur cum oppidanis continuo delapſis, vrbs ea iterum direpta & incenſa eſt. Inde ad hiſpanos qui ſeſe in arcem capta vrbe receperant, miſſæ à Meneſio literæ ſunt, cum clementi adhortatione, vti rerum ſuarum ſtatum agnoſcentes, captiuos & cætera per bellum erepta redderent, & incolumes ipſi cum ſuis rebus abirent, neque barbaricum ſolum conſpergi amplius Chriſtiano ſanguine paterentur. Ad ea ferocius primo reſponſum à Caſtellanis, at vbi admoueri tormenta ſcalaſque viderunt, Fernandus præfectus, accepta fide, ad colloquium prodijt. In eo colloquio poſt multam concertationem pax denique ita conuenit: Caſtellani captiuos & cætera ablata Luſitanis cum fide redderent; inde ad Zamafum oppidum oræ Mauricæ cum ſuis rebus abirent; nullas præterea plagæ illius adirent inſulas, nec aliquam eius mercaturæ aut negotiationis partem amplius attingerent; Ternatenſi Regi ereptam paulo ante Macianum inſulam reſtituerent, & Tidorenſem hosteſque Ternatenſium nulla ope iuuarent, ſed ibidem quieti reſponſum ex Europa, ſuper com-

Hiſpani quibus conditionibus Tidorem inſulam relinquere coacti ſunt.

commercij controuersijs, vti cum Ignatio antea conuenerat, expectarent. Contra vero Menesius, naues eis præsidiumque, Zamufum vsque præberet, nec vel Castellanos, vel Tidorēses bello amplius lacesseret. In hasce leges iusiurandum vtrinque exactum, & datis qui eos prosequerentur, Hispani Zamufum sine mora transuecti sunt.

Post hæc Tidorensi quoque Regi pax data, & instaurandæ vrbis potestas facta est, ita tamē vt Ioanni Lusitaniæ Regi certum quotannis tributum penderet, neq; Castellanis imposterum alijsve nationibus contra Lusitanos adesset, præterea Lusitanos etiam aliquot secum haberet, ad gentem Europæis institutis & moribus imbuendam. Hunc in modum compositis in præsentia rebus, adulta iam ætate Boahates intra arcem emoritur, veneno per Aroëzium vti putabatur, sublatus, quod vereretur, ne maturo ad imperium adolescēte, dominari postmodum ipse desineret. Suffectus in Boahatis locum germanus frater natu minor Aialus, vt sibi tandem aliquando restitueretur summa ope Regina mater institit. Verū apud surdas aures nihil ea deprecatio valuit, Aroëzius enim continuandi imperij cupidus obstabat inprimis, sentiebatque ea in re cum Menesio, quāquam alioqui grauiter ei infensus esset, cum alias ob causas, tum vero quod Cacilem Vaiacū quendam, plus æquo fouere, sibique anteferre videretur.

Tidorensis Rex fit Lusitano tributarius.

Boahates Ternatensis Rex veneno interficitur.

Accidit aliquando, vt cum suem haberet Menesius extra muros forte pascentem, eaque ab oppidanis Mahometicis & Iudaicis supersti-

Petulantia Lusitanorū apud Ternatenses ex

tionibus addictis, interfecta esset, diligenti habita quæstione, Menesius cognoscens, affini eius culpæ Cacilem Vaiduam, qui & princeps sacrorum erat & Aroëzium Regemque ipsum arcta affinitate attingebat, fuisse eum nulla vel personæ vel affinium habita ratione in carcerem condiderit. Cęterum cum is expetentibus ita primoribus ciuitatis, custodia emittendus esset, minister inter soluendum, os eius ac faciem frustra quiritantis, petasone pingui inunxit, vnde cum ad arcis portam perductus, coram Aroëzio & alijs hac de re conquereretur, Ternatensibus lachrymæ obortæ sunt, tam enim indignũ id visum factũ est, vt nisi arcẽ atque tormenta ceruicibus imminentia metuissent, arma extẽplo capturi, iniuriãq; summi sui Antistitis vlturi fuissent. Longè autẽ atrocior ad exulcerandos omniũ animos cõsecuta res est. Erat in arce ingẽs & pecuniæ & cõmeatus penuria, cũq; indies cresceret inopia, ad cõquirẽda cibaria armati insulã peragrare Lusitani cęperunt. Cæterum ad Tabonã vicum progressi, cũ cibos per vim exigerẽt, multis acceptis plagis, in arcẽ ad Menesiũ reuersi sunt. Menesius conspectu & vociferatione eorum cõmotus, haud satis cognita causa, per irã, autores istius facti, præsidẽ nempe & duos alios eius pagi agricolas ab Aroëzio sibi tradi postulat, additis grauibus minis ni extẽplo dederentur. Cũ igitur Tabona citati Menesio sisterentur, ipse duos illos præcisis manibus domũ remisit, præsidẽ vero, brachijs post tergũ reuinctis, in littore destitutum ferocissimis duobus canibus obiecit, quorũ impetum ac dentes varia corporis incli-

Crudelitatis Lusitanicæ insignis apud Ternatenses exemplum.

inclinatione, aliquandiu frustra euitare conatus, fugã circumspectare cæpit, cumque terrestres omnes exitus milite obsessos cerneret, in mare se, ad incertam spem salutis immisit. Cęterum canes ab insequẽdo non abstiterunt, cũ igitur vel pedibus natanti inhærerent, dolore tandem ac desperatione in rabiẽ actus, repente sese conuertit, dentibusq; horribile dictu! certare cũ baluis cæpit, vbi ad extremũ canis vnius aure mordicus appræhensa, cum iã sanguis viresque deficerent, moribundus eum vnà secum ad ima detraxit.

Atrox & inhumanum id pœnæ genus haud immerito visum, Aroëzius autem eo facto ad implacabile Menesij Lusitanorumque odium efferatus, de illis simul & Castellanis è medio tollendis deliberare cæpit. Dum autẽ ad fraudem, quando in aperta vi spes non erat, tẽpus & ratio exquiritur, indiciũ interim cõspirationis ad Menesiũ defertur. Ille per summã dissimulationẽ Aroezium in arcem, (vti solebat) accersit, itemq; ex Aroëzij amicis, quos ille in sceleris communionem adsciuerat, præcipuos duos, quorũ alter iudicijs capitalib⁹, alter rei maritimę pręerat. Hi separatim interrogati de cõiuratione, primo satis cõstãter negabãt, sed postea tormentorum adhibito terrore, seriem totius rei aperuerunt. Itaque Menesius damnatum de consilij sententia Aroëzium, in tabulato quodam, toto spectante populo securi percussit. Hoc facto, Regina Aialum filium à MENESIO repetere summa ope perseuerauit, vbi autem clausas aures frustra tentari perspexit, venale quicquam ex agris *Aroezius capitali supplicio afficitur.*

ad

ad vrbem deferri vetuit, adeò vt penè obsessi, non modo penuriam, sed etiam famem Lusitani tum sentirent.

Consaluus Pereria à Ternatensibus interficitur.

Interea Consaluus Pereria successor Menesio destinatus, Ternatem aduenit, acceptaq; præfectura, vinctum Menesium in Indiam remisit, iuste vero & leniter cum incolis agendo, Regemque puerum liberalius habendo, Reginam & cæteros qui metu Menesij ex vrbe profugerant, reduxit. Simul autem etiam arcē absoluere aggressus est, quam rem quo enixius ipsimet oppidani adiuuarent, solenni cum iuramento Reginæ palàm promisit, ædificatione absoluta, sese confestim & filium incolumem fide optima redditurum. Posthæc ad Lusitani Regis negotia procuranda & prohibendum mercatura militem, toto pectore incubuit. Accidit id Lusitanis quidem acerbissimum, militiæ enim munia perosi, vetito commercio iamdudum assueuerant, itaque mutuis adhortationibus inflammati, non modo plebem sed magistratum etiam, atque adeo Reginam ipsam in præfectum accendere cœperunt. Hæc igitur vocatis ad concilium affinibus & amicis, demõstrat, Lusitanos iam capitali inter semet odio dissidere atque ipsius maximè Præfecti necem omnibus votis expetere, hortatur itaque vt ad interficiendum tyrannum ingenti sese animo parent, & innoxium tandem Regē sibi parenti, ciuibus vrbique deniqúe toti restituant. Persuasit Regina, effecitque vt arcem ingressi aliqui, cum sub meridiem quieti indulgentem inuenissent Pereriam, eum interfecerint.

Sub

Sublato è medio Pereria, Regina tandem filium suum Aialum recepit, sed eo regnante nihilo quietiores res fuerunt quam antea, dũ enim seuerius exerceret imperium, & à magistratibus rationes acrius deposceret, odium sibi apud principes conciliauit, quorum conspiratione factum est, vt tandem regno eiectus, & in locum eius Tabaria filius Boleifis Spurius substitutus sit. Res ea multitudinis animos vehementer offendit, cumque interea nouus præfectus Tristanus Ataidius, cum imperio ad arcem venisset, mox ab improbis cupidisque rerum nouarum, Tabariæ nomen ad eum delatum est, quasi de occupanda per dolum arce consilium iniret, ipsiusque præfecti vitæ inprimis strueret insidias. Itaque à Lusitanis repente in vincula coniectus, & cum valida custodia ad Proregem Indiæ missus est.

Ternatensi. Reges duo à Lusitanis regno exacti.

Iram hæc res multorum Regum & populorum in Lusitanos iterum accendit, ac vulgo in cœtibus concilijsque præter cæteras querimonias & maledicta, fremebant, indignam atque intolerabilem esse rem, ab ijs qui pene precariò nuper in eas regiones irrepserant, Reges incolis ex libidine dari & ademi. Reges igitur vicini ad extinguendum nomen Lusitanum, missis vltro citroque nuncijs, cum Ternatensi populo coniurarunt, quod nimium sparsos varijs locis Lusitanos ad internecionẽ delere, & Ternatensis arcis præsidia subtractis vndique alimentis fame conficere vellent, si vero id minus è sententia cessisset, felices omnes arbores vltrò succidere, & cum familijs longe inde migrare, vt quoniam noxia & inuisa natio

Ternatensium & Molucensium aduersus Lusitanos coniuratio.

cio armis ex ea terra pelli non posset, certe solitudine ipsa & inopia rerum omnium excedere cogeretur. Hisce rebus ita constitutis, initium belli factum à Ternatensibus. Hi quam occultissimè suis rebus in tutum egestis, nequid Lusitanis ad prædam superesset, postremò ante lucem omnes ex vrbe profecti sunt, frustraque Ataidius, vt primum id resciuit, abeuntes omni ope reuocare, eorumque iras pollicitationibus & blanditijs permulcere tentauit. Maritima igitur primum loca procul ab arce petierunt, deinde vero cum à Lusitanis nauibus vexarentur, in abditos saltus ac præaltas rupes sese receperunt. Inde furtiuis expeditionibus, in aquatores maximè & lignatores Lusitanos fiebat subinde impetus, & vt Ataidius intelligeret, nullam secum pacis conditionē fore, patriam ipsam Ternatem, subito aduentu iniectis ignibus concremarunt. Eodem ferè tempore cæteræ quoque gentes in arma coortæ, & Lusitani, qui alijs alijsque in regionibus, vt apud amicos agebant, repente circumuenti & cæsi sunt. Ingens autem per Ternatensium absentiam inopia & rerum omnium defectus in arce extitit, factumque est, iusto forsitan Dei, malitiam Lusitanorum punire volentis, iudicio est, vt plus integro anno, nihil ex Malaca nauium adueniret, itaque diuturna fame pressi Lusitani, castellum tandem deseruerunt, Tidorem sese recipientes, vbi castellum suum hactenus habuerunt, capitale Ternatensium odium & inimicitiam haud semel postmodum experti.

Lusitani Ternate relicta Tidorem petunt.

Factum

Factum autem est anno 1599. vt ad loca illa commeantes Bataui, in commerciorum societatem à Rege Ternatensi, totius populi approbatione, admissi sint, vnde cum Anno 1601. Hollandi, duabus nauibus reuerterentur, Rex ingéti perfusus lętitia in occursum eis processit, stipatusque paucis satellitibus, naues Hollandorum conscendit, & omnem illis beneuolentiam exhibuit. Cum autem aliquandiu ibi subsistentes mercium nihil, quod fructus caryophyllorum nondum maturi essent, accipere pro onerandis nauibus suis possent, & Præfectus Hollandorum veniam sibi dari peteret, si discedentes, alibi locorum commodum suum quærerent, Rex mœrore affectus, cur se tam cito deserere, & quo velificationé dirigere vellent quæsiuit, cumque Patanem se nauigaturos dixissent, Rex Præfecto Hollandorum in consilium vocato, constituisse se, ait, initum cum Hollandis fœdus, hoc quidem tempore iurejurando confirmare, petere igitur, vt ibi menses adhuc aliquot subsisterent & contra Lusitanos sese pugnantem iuuarent. Respondit Præfectus, se quidem sociosque paratissimos esse vel vitam pro salute Regis profundere, verum cum naues haberent varijs mercibus onustas, iterque illud non depugnandi, sed commercia sua exercendi gratia ingressi essent, commorari sese diutius & tempus inutiliter perdere non posse. Rogauit igitur Regem, ignosceret sibi, quod petitioni suæ satisfacere hoc quidem tempore non possent, obstare enim sibi etiam iuramentum,

Hollandi in commerciorum societatem à Rege Ternatensi admittuntur.

qua

quo Dominis suis ad maturandum iter,& peracta negotiatione quamprimum domum reuertendum obligati tenerentur. His & similibus licet persuasus tandem Rex, in abitum eorum consentire tamen noluit, priusquam prandio eos excepisset, quod post dies pauculos factum. Pridie igitur eius diei quo conuiuium illud habendum esset, misit Rex ex proceribus aliquem, qui præfecto Hollandorum significaret, vt die proximo ad aulam veniret, adduceretque secum quotquot sine nauium detrimento posset. Itaque Præfectus vt voluntati Regis satisfaceret distributis in duo agmina classiarijs, per sortem elegit , quos secum ad aulam assumeret, & dicta die in terram cum suis descendit. Vt peruentum ad locum prandio destinatum est, Rex quidem insignem erga omnes beneuolentiam vultu declarans, sedem suam occupauit, quæ in lectulo preciosissimo, tapedibus & puluinaribus ex holoserico viridi partim, partim panno attalico contextis ornato, parata erat, Lectus iste tabulato paulisper à terra eleuato insistebat, erantque ab eo mensæ aliquot in longitudinem ita dispositæ, vt Rex omnes intueri posset. Nam prior mensa lectulo proxima, reliquis pagis eleuata, reliquæ autem inferiores magisque depressæ erant. Rex postquam consedisset, innuit Præfecto, vt & ipse cum suis, mensæ accumberent. Postmodũ dapes impositæ sunt, erant autem mensæ omnes virentibus arborum folijs instratæ, suprema illa regia excepta, quæ elegantissima mappa, ex tenuissimo panno gossypino admodum dealbato, strata erat, orbiculis & ornamentis

alijs appositis. Mensæ superiori duo Regis filij, reliquis vero nobiles quidam alij ministrabant. Inter prandendum nobiles aliqui, ludos Hollandis varios exhibebant, palæstramque insigni agilitate & dexteritate exercebant. Finito autem prandio, Præfectus cum socijs suis consurgens, honorem Regi exhibuit, cumque literas ab eo ad principem Mauritium pro cõfirmanda amicitia & societate accepisset, salutato Rege cum socijs naues repetijt, posteroque die sublatis anchoris inde discessit.

Cæterum cum Anno 1603. Batauí, sub imperio Stephani ab Hagen, Amboinam (vt supra dictum est) expugnassent, rectà Tidorem insulam petere, & castellum Lusitanorum oppugnare decreuerunt. Itaque cum ad locum aulæ Tidorensi oppositum appulissent, significari Lusitanis curarunt, vti facta castelli deditione inde discederent. Hærebãt autẽ in littore iuxta castellum duæ naues Lusitanicæ insignis capacitatis, has igitur priusquam amplius quid tentarent, expugnandas Præfectus curauit, noxque habito cum Rege Ternatensi consilio, ad pugnam sese strenuè parauit, ipse cum 14. caracoris, quarum 140. armatos singulæ continebant, in auxilium Hollandis veniente. Cæterum Hollandi ad cauendam sanguinis profusionem, agendum cum Tidorensium Rege censebant, vti sese intra terminos suos contineret, nec Lusitanis auxilium ferret, idem enim Ternatensem etiam facturum, vt ita Hollandis solis pugnam hanc cum Lusitanis inire liceret. Hoc cum Tidorẽsis quamuis ægrè, se factu- rum recepisset, Ternatensis quidem cum quin-

Tidorense castellum à Batauis expugnatũ & Lusitani inde eiecti.

gentis plus minus armatis in terram, vt & pu-
gnam ſpectaret,& Tidorenſem ab auxilio Lu-
ſitanis ferendo eo magis abſterreret, deſcen-
dit. Interea centum & quinquaginta Hollandi
facta exſcenſione, vt terrorem Luſitanis incu-
terent, duos eorum pagos, igne accenderunt,
moxque ad caſtellum appropinquantes, mu-
nementum ſibi aliquod ex dolijs ſiue vaſis ali-
quot vinarijs terra oppletis excitarunt, inde
ad tormenta conuerſi caſtellum quatere cæpe-
runt, idem ab altera parte qui in nauibus ad-
huc conſtituti erant facientibus. Poſtero die,
cum diſiecta murorum parte, aditus ad caſtel-
lum patefactus eſſet, irruptionem ſtatim face-
re tentarunt, qua ſemel atque iterum repetita,
cum ex turri quadam tormentorum diſploſio-
ni nimis incumberent, factum eſt, igne in ni-
trati pulueris cadum ſiue vaſculum delapſo, v
turris illa cum ſeptingentis plus minus præſi-
diarijs in aërem magno cum intuentium ſtu-
pore diſſiparetur. Horrore igitur perculſi &
exanimati quaſi Luſitani, cum eodem momen-
to impreſſioné facere Hollandos viderét, vit
ſuæ vti parcerent deditioné facturi rogarunt
Atque hac tandem ratione propugnaculi hu-
ius expugnatio facta eſt, quod Hollandi poſt
modum euerſum, ſolo æquarunt, Luſitanis o-
mnibus, quorum quingenti adhuc cum
vxoribus & liberis numeraban-
tur, ſcaphis aliquot ad lo-
ca alia delatis.

CAP

CAP. XXXXVII.

DE BANDAE INSVLAE SITV, fertilitate, incolis, & ritibus varijs.

A Meridis Sindarum & Molucarum insularum, gradu circiter septimo latitudinis, Bandæ insula est, ab Amboina, 24. fere leucis distans, aromatum nobilissimorum, nempe macis & nucum myristicarum, de quibus paulo post dicemus, ferax. Sunt autem aliquot insulæ, quæ hoc nomen à potiori obtinent, siquidem hæc maritimum habet tractum, sylua felicissima viridantem, & ex insula media mons accliuis attollitur, cuius in ipso vertice, lucus eodem & frondium vestitu, & frugum copia satis amplum in campum patescit, atque inde splendidi aquarum riui, ad subiectam planiciem irrigandam, leni murmure defluunt. Insula tota ad equinæ soleæ speciem, à septentrione in Austrum excurrens, tres non amplius leucas in longitudinem & vnam in latitudinem obtinet. Oppida sex vel septem habet, quorum primarium, Nera est, cui quidem semper inimicitiæ intercedunt cum reliquorum oppidorum incolis, vtpote cum Labbetaccijs, Comberis, Vaieranis & alijs. Gens æneo colore, fusoque capillo, robur in membris, in animis vero feritatem ostentat, viri mercaturam, fœminæ vero agriculturam exercent. Hinc obambulantes subinde viri videntur, fœminæ vero domi ferè semper latent, & rem domesticam curant. Nullum habent Regem, *Bandæ insulæ situs & descriptio.*

ſed ſuis inſtitutis ac ritibus viuunt, ac vbi conſulto opus eſt, ad ſeniorum cœtus, res refertur.

Ad morum religio.

Quod ad religionem attinet, illata non ita pridem fabuloſa Mahometis dogmata vulgo ſectantur, tamque religioſos & diligentes ſe in eis præſtant, vt ad excubias nunquam abeāt, quin prius in Templis, quæ patria lingua Muſquitas vocant, precationes fecerint, precantes autem, vocem adeo extollunt, vt ſonitus inde ad viginti ædes deferatur, priuatas tamen preces tam ſubmiſſe dicunt, vt vix labra mouere videantur. Muris autem eas ritibus exequūtur, ſtoream enim ſupra terram extendunt, in qua ſtantes, bis terve oculos in cælum attollunt, mox in genua prouoluuntur, caput bis terve ad terram inclinantes. Cæterum ſingulis diebus & crebro id faciunt, tam domi quam foris & in plateis publicis. Concilia in templis frequentia inſtituunt, in quibus, quolibet ſuas dapes ad epulas conferente, conuiuantur, quod ipſum in ſyluis quoque nonnunquam inſtituunt, in quibus centeni & amplius conuenientes, vnà epulantur. Cum autem ordine in terrā conſederint, porrigitur cuilibet folium ex arbore quadam auulſum, cui cibos imponant, deinde apponitur illis Panis Sagu, de quo in ſuperioribus dictum, mox patella, itidem ex folijs arborum facta affertur, oryza cocta & modico iuſculi carnei perfuſa repleta. Hanc pecorum more ita auide vorant, vt plenis manibus eam ori ingerant. Interea dum conuiuium hoc publicum celebratur, nobiles alij, armis ſuis congreſſi digladiantur, alij ad tympani ſoni-

rũ sonitum peluiumque seu vasorum æneorũ strepitum, saltantes motus admodum compositos & decoros edunt.

Inimicitiæ, quas à multis iam annis fouere inuicem ciuitates huius insulæ dixi, principium leue admodum habuerunt. Labbetaccę oppidi habitatores, in ditione & territorio Neranorum, arbores quasdam felices aliquando deiecerant. Hanc iniuriam Nerani, vtpote ciuitatis primariæ habitatores, cum ferendam sibi non esse putarēt, res in bellum abijt, quod etiamnum hodiè inter eos durat, ita vt se canũ instar occidant lanientque quotiescunque alter alterius victor esse potest. Noctu tum in vrbibus, tum in syluis diligenter excubant, & mutuis inclamationibus sese inuicem excitāt, contraque somnum tuentur. Congressuri vero triremes adhibent, quas tanta velocitate promouere possunt, vt vel vento agi validissimo videantur. Triremes hæ Caracoræ sunt, ex tenui ligno pleræque conditæ, & funiculis colligatæ. Intus retinaculis ligneis vniuntur, vt asseres sibi probè inuicem respondeant. Ad rimas autem claudendas & obturandas, non vt nostri, picem adhibent, sed cortices Indicarũ nucum malleis tundunt, & in cannabis formā comminuunt, quæ filamenta deinde fissuris induunt, & calce, quam ita industriè parare norunt, vt contra vim aquæ persistat, superius oblinunt.

Bellum inter Bandanas ciuitates perpetuum.

Naues Bandanorum quales.

Ex his nauibus præliari commodissimè possint, quibus duo quoque plerunque ænea tormenta ferunt, quæ satis industriè tractare possunt. Sed & sclopeta pugnaturi minora habēt, & cly-

Bādanorum arma & belligerandi ratio.

& clypeos, acinacesque siue gladios maiores, ipsis Padanus dictos, quibus vti expeditissimè possunt. Præterea hastis quoque ex durissimo ligno factis vtuntur, quas ad scopum præfixum rectissime impellere norunt. Habent vero etiam aliud armorũ genus, vnco nauali simile, cui inserta pertica, vinculum aliquod angustũ connexum habet. In prælio ergo quando cominus pugnatur, vncos huiusmodi in aduersarios contorquent, & vinculi beneficio ad se eosdem retrahunt. Insuper & galeas habent, quibus bellum inituri capita contegunt, illarum summitati cristarum loco, auem Paradisi imponunt. Sed & nobilium aliqui thoracibus ex laminis ferreis constantibus induti visuntur, quibus se aduersus omnia vulnera tutos arbitrantur. Quoties ita armati in bellum cũ triremibus suis exeunt, ingentem strepitum peluibus tympanisque excitant. Nobiles qui in tabulis supremis stant, saltus miros edunt, in transtris vero seu subsellijs exterioribus, mancipia sedent & remos ducunt, assidentque illis tympanistæ & qui pelues pulsant.

Bandæ fertilitas & amœnitas. Aër ibi salutaris valde est, vnde multi ad tantam ætatem perueniunt, vt centum & triginta annos excedant, corpore nihilominus & animo satis vegeti firmique adhuc existentes. Quod vero ad fertilitatem loci attinet, insula hæc, cum vicinis aliquot, quæ ab ea denominantur, totius orbis terrarum solæ, sponte sua, in lautiores epulas & medicamenta mortalium, ex vna eademque arbore, macim & nucem myristicam fundunt, suntque plantæ & herbæ ibi varij generis, è quibus vniuer-

sis

ftis mirificus & incomparabilis cuiusdam suauitatis odor existit, atque eo ipso tempore Psittaci & aliæ nobis ignotæ aues, eximiæ pulchritudinis, ad gratissimum sibi pastum aduolantes, oblectationem augent, cùm folia & fructus & alites ipsæ varijs colorũ picturis in certamen vsque luxurient. Cæterum arbor quæ fructum hunc profert, pyri facie est, folijs tamen angustioribus & rotundioribus, Fructus, magni & rotundi Persici quantitate atque facie est, cuius intimum nux est, hanc proximè circumcircà cortex duriusculus ambit Macis dictus, culinis & pharmacopolijs notissimus, inuolucrum autem extimum viridi glãdium cortici simile cernitur. Nux interior cum maturescere incipit, adeo intumescit & grandescit, vt cortex exterior necessario rumpatur, ex quo Macis deinde iucundissimo & amoenissimo coccini colore relucet, spectaculo sane vbi præsertim arbor fructibus apprimè prægnans est admodum delectabili. Sunt autem nucum myristicarum duo genera, vnum oblongum masculum, & alterum rotundũ fœmineũ, & hoc quidem priore illo melius atq; nobilius censetur. Nã quod ad virtutẽ & efficaciã huius fruct⁹ attinet, nuces quidẽ cerebrũ reficiũt, memoriã firmant, ventriculũ vomentem roborantq;, flatus discutiũt, serũ educũt, aluũ obstipant, in genere frigidis affectibus omnibus, tũ capitis & cerebri, tũ vẽtriculi, hepatis, matricisq; succurrunt. Flores autem siue macis singulariter refrigerato vẽtriculo conducũt, coctionẽ eius & digestionẽ promouent, intestinorumque lentorem absumunt ac flatus dissipant.

Macis & nux myristica quomodo crescant.

Bāda à quo primum detecta.

Cæterum insula hæc ignota Europæis fuit, donec circa annum 1512. ab Antonio Abræo est inuenta & patefacta, qui haud quidem difficili negotio, quod fama nominis Lusitanici ad omnes ferè nationes iam peruaserat, fœdus amicitiæ hospitijque cum incolis fecit, ac lapideum eius rei monumentum in littore posuit. Deinde magna vi frugis pretiosæ coëmpta, Malacam reuersus est, cumque Lusitaniam inde repetens, apertæ Bandæ nuncium ad Emanuelem Lusitaniæ Regem, ipsemet perferre vellet, inani spe delusus, in itinere perijt.

Hollandi quomodo à Bandanis accepti.

Cum Anno 1599. Hollandi aliqui ad insulã hanc venissent, obuios statim aliquos sibi cum scaphis habuerunt; qui nuces aliquot myristicas cum mace ipsis probandas obtulerunt, addentes, si ita placeret, pro onerandis nauibus suis, sat ibi mercium sese accepturos. Sed & Præfectus ciuitatis cum scapha aduectus est, cui cum Hollandi honoraria quædam obtulissent, ea accipere detrectauit, potestatem vero ipsis fecit commercia publica ibi exercendi, domo quadam negotiationibus eorum destinata, quam Hollandi statim sequenti die, per fabros & tignarios suos, adornari curarunt, vt commercia eorum eo expeditiora essent. Nam quas ipsi quidem aduexerant merces, omnibus gratæ erant, ea tam auidè ab incolis emebantur, vt expromendarum illarum tempus eos ferè deficeret, recipiebantque pro illis tantum macis & myristicarum nucum, quantum continuo labore duabus lancibus ponderata poterant.

Accidit autem interea vt Labbetaccēses quatuor

tuor triremibus aduecti, pugna terrestri apud Neram concernerent. Nerani igitur cum ex suis multos vulneratos vidissent, sequenti statim die, ad Vvaigeram insulam, cuius incolæ præterita nocte ad Labbetaccam confœderatam vrbem excubias egerant, quinque triremibus aduecti, Insulanis omnibus quotquot corripere potuerunt, contrucidatis, capita eorum pro singulari ornamento, triremibus suis affixa Neram secum attulerunt. Sed & mulieres quasdam captiuas secum adduxerunt, quas pro mancipijs Sabander postmodum asseruauit. Ex illis autem vnam, adacto acinace, quidam mediam dissecuit, vt colligere inde difficile non esset, gentem illam valde barbarum ac crudelem esse, cum præsertim etiam distructis & cruentis suis gladijs ferocientes & discurrentes per omnes plateas sese spectandos offerrent. Cæterum capita trucidatorum hostium, ad ædes Sabandri comportata, in mensam lapideam sub eleganti arbore extructam, ordine disposuerunt, vt omnes viderent, quid virtute sua bellica effecissent, tandem vero cũ ad horæ spacium spectantium oculis exposita patuissent, panno gossypino inuoluta, & terræ mandata sunt, suffitu ex thure & lignis odoratis alijs adhibito.

Bãdanorum ad Neram habitantiũ crudelitas.

Senes insula ista alit prouectioris ætatis homines complures. Fuerunt enim qui centum & triginta annos iam superrasse sese gloriarẽtur, corpore tamen animoque satis adhuc vegeti & valentes. Viri fere semper otiantur, & per plateas obambulant, mulieres vero interim, domi plerũque latent & rem domesticam

Pilæ lusus apud Bandanos mirabilis.

curant operaſque alias conficiunt. Delectan-
tur omnium maximè pilæ ludo, ea autem luſu-
ri, in orbem vel circulum ſe diſponunt, ita vt
vnus in medio conſtituatur, qui primus omni-
um pilam in ſublime mittit, ea decidens exci-
pitur proijciturq; iterum ab alio, qui proxime
pilæ cadenti aſſiſtit, delapſa denuo ab alio ex-
cipitur, miſſio autem pedibus abſque vllo ma-
nuum auxilio perficitur, in qua ita quidam ex-
ercitati ſunt, vt vel ſubſilientes, vel in orbem
ſeſe rotantes, aduolitantem pilam mira indu-
ſtria excipere & impellere rurſus ad alium
poſſint, à qua ſi fortè quis aberret, is riſu publi-
co ſibilatur & exploditur.

Bădanni quomodo mortuos ſuos ſepeliant.

Mortuus vbi quis fuerit, mulieres conueni-
entes, clamorem vehementiſſimum edunt, re-
uocare eum & excitare iterum conantes, qu
non reuiuiſcente, patrio more conuiuium pa
rant, ad quod omnes defuncti amici conuocā-
tur, qui ſepeliendo comites iuerunt, ſepultu-
ræ enim eodem ferè modo quo apud nos fiunt
defunctum namque veſte goſſypina candid
contegunt, humeriſque ſuſceptum ad ſepul-
chrum ferunt, viris primo, deinde mulieribu
funus inſequentibus, quod vbi ſepultum eſt
thuribulum ibi die nocteque accenſum fumi-
gat, lampade ſimul etiam nocte, ſub tuguriolo
ſepulchro ſuperinſtructo, accenſa, & amici
poſtmodum per dies proximos aliquot ſub or-
tum occaſumq; ſolis accedentibus, & pre-
culas ſupra tumulum aliquas de-
murmurantibus.

CAP

CAP. XXXXVIII.

DE INSVLIS PHILIPPINIS, REGNO Cauchinchinæ, & Macao civitate ad Chinam vsque pertingente.

SVpra Sindas & Molucas insulas, de quibus hactenus dictum est, ingens Septentrionẽ versus insularum cumulus cernitur, quæ Philippinæ hodie dicuntur, à Philippi Regis Hispaniarum nomine, sub cuius auspicio, Hispani, ex noua Hispania vela facientes, eas detexerunt & aperuerunt, Anno Christi 1564. Dicuntur alias etiam Manilæ, à præcipuo portu atque ciuitate, quam Hispani ibi condiderunt, cui Manilæ nomen est. Sunt qui Lussones eas vocant, à Lussone insula primaria, cuius ambitus mille propemodum leucarum esse prohibetur, in qua ipsa vrbs Manila sita est, iuxta quam innumeræ visuntur insulæ, quas omnes generali appellatione Manilas & Lussones vocant. Omnes istæ insulæ ad regnum Chinæ olim spectarunt, à quo cum leuibus de causis defecissent, in statum perturbatissimum inciderunt, potentioribus in inferiores pro libitu sæuientibus & tyrannidem intolerabilẽ exercentibus. Collapso igitur regimine politico, expeditum & facile fuit Hispanis, eas occupare & sibi subiectas reddere, cum præsertim cateruatim cõfluerent, qui baptizati, Christianos sese profiterentur.

Philippinæ insulæ vbi sitæ & cur sic dicantur.

Chinenses in his insulis frequenter negotiantur, aduehuntq; ex China merces quæcunq;, vtpote sericum omnis generis, gossypiũ, vasa porcellina, puluerem itẽ tormentariũ, nitrum sulphur,

Philippinarum insularum fertilitas.

ſulphur,ferrum,cuprum, chalybem, argētum viuum & alia. Cum autem optima ſit illis inſulis aëris conſtitutio,non nimis feruida nec frigida nimis, ager ibi magnam affert rerum ad victum neceſſariarum copiam, oryzam nēpe,legumina varia,ſacchari cannas, mel, cerā & fructus varios.Feras alit magna copia, ceruos nempe,vros,bubalos, vaccas, porcos, capras & alias,ſed & piſcium ibi volucrumque mira affluentia eſt,& feles ibi zibetariæ ſunt, ex quibus zibetum præſtantiſſimum colligitur.

Lusitani cuiuſdam in Philippinis perfidia.

Circa annum 1536. miſſus eſt à Luſitanis, Molucas tenentibus, ad explorandum haſce inſulas, Pintus quidam Luſitanus, is cum ad Mindanaum primo & poſtea ad Siriagum,quæ præ cæteris nobiles habentur,appuliſſet,ibiq; clementer acceptus,cum Rege hoſpitium ac ſocietatem mutuo ſanguinis hauſtu, (qui genti ſolennis fœderum ritus eſt)ſanxiſſet, ſecuri Inſulani quaſi ad amicum & ſocium, vel contrahendi vel etiam viſendi cauſa,familiariter ipſam ingredi nauem cæperunt. At ille, aliquot ex illis repente correptos, abdito loco infra tabulata,aſportandi ſecum cauſa,coniecit.Non latuit autem fraus ea incolas, dum enim ſeſe ad iter expedirent nautæ,ſenſim vnus ex captiuis in mare deſilijt,nandoque cum ad ſuos perueniſſet, rei geſtæ ſeriem Regi expoſuit,qui accenſus ira,extemplo celoces deduci,& in eas armatos imponi iuſſit. Ab illis Luſitanus propè inter moliendum oppreſſus, & ſæua poſtmodum coorta procella penè ſubmerſus

mersus est, ita vt vix abiectis in mare tormentis, Ternatem rursus aduenerit.

E regione Philippinarum, continentem Cauchinchina occupat, in duas vel tres prouincias diuisum regnum, quæ omnes Chinensibus tributariç, homines habent forma, moribusque non absimiles Chinensibus. Sunt autẽ idololatræ & bellicosi admodum, maximè tamen terrestri acie valẽtes, multos enim equos ad bellum assuefactos alunt. Regio abundat auro, argento, & fructibus plurimis. Conficiũtur ibi etiam vasa procellina, quæ in maximo habentur precio. De illarũ præparatione Scaliger in libro de Subtilitat. sic scribit: Putamina ouorum cum marina glarea, quam Porcellinam vocant, vnde & ipsum vasculi genus denominatur, contrita minutissimè atque aqua macerata, rediguntur in massam, ex qua formantur lances & vascula vsui accommoda. Ea defodiuntur sub terram, nec nisi post annos centum inde eruuntur, quando nimirum iustã suam perfectionem assecuta fuerint vt diuendi possint. Sunt qui non ipsa vasa iam perfecta, sed materiam rudem & informatam defodi in terram solere dictitant, verum Ioannis Hugonis Lindschottani modus, veritati magis consentire videtur, affirmantis, ex ea luto fieri nõ secus ac alia fictilia in nostris regionibus. Finguntur, inquit, vasa hæc ex materia admodum dura & tenaci, minutim contusa & attrita, quç deinde infunditur in aquam maceranda, inde vbi macerata satis fuerit, agitatur eo modo quo lac butyro parando agitari solet. Hoc facto cremor eius supernatans preciosioribus

Cauchinchinæ regni descriptio.

Procellina vasa quomodo parentur.

vasis

vasis seruatur, quod post cremorem remanet vasis minus puris suppetit, & quo fundo propior materia fuerit, eò crassior est, vasisque crassioribus conuenit. Vbi ficta fuerint vasa, coloribus varijs vel historiæ vel imagines aliæ in illis depinguntur, & tandem induratæ exsiccataque in furno coquuntur.

Ligni Aloes præstantia maxima.

Reperitur in hoc regno etiam lignum Aloës, in India Calamba & Palo d'Aguilla vocatum, quod propter singularem odoris gratiam, tanti persæpe æstimatur, vt cum auro argentove deponderetur. Ligno hoc Indi ad Brachmanos & Reges suos defunctos comburendos vtuntur, cum enim inæstimabilis quasi pretij sit, pro singulari honore ducunt, eo illos cremari, non secus ac si nostrum quis tumulo marmoreo conderetur. Recens detruncatæ arboris lignum, propter abundantem humorem, non tam suauem odorem exhibet, nam quo siccius, eo fragrantius existit, & substantia arboris interior, odore, exteriorem vincit. Genera eius varia reperiuntur, omnia tamen iucundi odoris, & maculis quibusdam conspersa, oleosa iuxta & pinguia, densa itidem & grauia. Conuenit hoc lignum ventriculo frigido humidoque & ingesti cibi incontinenti, vtile etiam illis est, qui epatis imbecillitate, dysenteria, pleuresi & similibus morbis laborant, vt non immerito in tanto passim precio habeatur.

Margarita quomodo nascantur & ex mari extrahantur.

Celebris in littore huius regni vnionum atque margaritarum est piscatio, quæ generantur omnes ex pluuia, quæ in Aprili cadit. Est enim in mari genus aliquod ostreorum siue concharum, vim aliquam naturalem sese commouendi

ādendi habentium. Hæc oſtrea in Aprili ad ſuperficiem aquæ ex mari eleuata, ſeſe aperiunt, conceptiſque de pluuia aliquot guttulis, conclusa iterum ad fundum maris ſe demittunt, vbi omnes iſtæ guttulæ in vniones ſiue margaritas commutantur. Non capiuntur autem niſi ſub finem Iulij & per totum Auguſtum, non enim citius mateſcunt, ſed crudæ & molles inſtar viſci & lituminis, in conchis reperiuntur. Cæterum quando iam piſcationis huius inſtat, ſolent incolæ peritiſſimos quoſque natandi, ſub aquas demittere, exploratum nimirum, quo loco quamplurimum oſtrearum margariti ferarum contineatur, hoc enim cognito, mox tabernas & tuguria quædam ex ſtramine & alia leui materia ad eum locum exciant, aſſumptiſque rebus ad victum neceſſarijs, toto capturæ tempore ibi commorantur, præsidiarijs interim nauibus, quibus à piratis vrinatores & piſcatores illi defendantur in mari conſtitutis. Congregati autem in vnum locum vrinatores, nauigijs ſuis in altum deferūtur, ibique ſubſiſtentes, funiculos aliquot lapidibus aggrauatos ex nauigijs ad fundum vſque demittūt, poſtmodo aptato ad nares clauſtro corneo auribus vero oleo quod aquam non admittit perunctis, cum appenſo ad collum ſacco, funiculorum iſtorum beneficio ad imū maris deſcēdūt, ſumma feſtinatione ſaccū oſtreis replentes, & ſignum reliquis qui in nauigijs conſtituti ſunt, cōmoto funiculo, præbētes, qui viſa commotione iſta, vrinatorem nihil cunctantes extrahūt, ne iuſto diutius ſub aquis

aquis manens suffocetur, hoc enim vsu ipsis venire haud raro solet, vnde peracta piscatione, planctus eiulatusque viduarum & liberorum, propter eos qui perierunt plurimus passim auditur. Conchæ deinde soli expositæ aperiuntur, vt margaritæ & vniones eximij inde facilimè possint, quas incolę postmodum massa quadam & oryza & sale constante probè perfricant, dum vel crystalli instar candescát & nitidissimæ efficiantur. Ex conchis verò quas matres vnionum vocant, cochlearia patinasque & suppellectilem aliam parant, tanta copia, vt nulla ferè domus sit, quæ non exornatam huiusmodi conchis suppellectilem ostendere satis multam possit.

Macau ciuitatis descriptio.

Ad Cauchinchinæ regnum refert Ioannes Hugo etiam Macaum ciuitatem, quam metropolim eius regni vocat sub 22. gradu latitudinis sitam. Est autem emporium frequentissimũ vbi omnis negociatio Lusitanorum cum Chinensibus conficitur. Residet ibi Episcopus quidam Lusitanus, qui Archiepiscopi in Goa Suffraganeus est, cũq; Lusitanis pariter & Chinẽsib⁹ vrbs hęc habitetur, appellit eo quotannis nauis aliqua ex India, specialibus priuilegijs à Rege Lusitaniæ instructa, cuius præfectura contingit plerisq; primatibus quales sunt munitorum præfecti, qui lucrum inde ducentorũ millium Ducatorũ & amplius percipere possunt: Nam ab hac ciuitate in Iaponiam pergit, indeque cum mercibus varijs reuersa, Malacam & postmodo Goam reuertitur, cursum suum vnoquolibet triẽnio semel tantum perficiens, cum tempus vbique oportunum &

Mon-

Monsonios siue ventos fauentes expectare co-
gatur. Commercia autem sua Lusitani in hac
vrbe degentes, cum Cantonensibus agunt, qui
merces ex China quascunque afferunt, & Lusi-
tanis diuendunt. Nam præter negotiorum su-
orum procuratorem aliquem, neminem Can-
tonium mittere Lusitanis licet, cui & ipsi sub
grauissima pœna pernoctare in vrbe non per-
mittitur, sed necesse est vt in suburbio diuer-
sorium habeat. Nauem autem vbi Macaum ap-
pellit, metiuntur statim Chinenses secundum
longitudinem & latitudinem, & ad eam men-
suram vectigal postmodum exigunt, quod vbi
persolutum est, mercibus quibuscunque eam
onerare Lusitanis licet.

Cum Anno 1601. Hollandi quidam, sub præ-
fecto Iacobo Neccio, ad Ternatem per septi-
manas aliquot hærentes; nihil ibi proficere
possent, constituerunt velificationem suã Chi-
nam versus dirigere. Itaque per infinitas insu-
las multo cum periculo transeuntes, ad Coiũ
eandem Philippinarum insularum non postre-
mam appulerunt, stationem nauibus suis ad-
modum conuenientem ibi inuenientes. Inco-
læ eos satis amicè & liberaliter acceperunt,
e oryza in futuram necessitatem ipsis prospi-
ientes, cum vero inde iterum discessissent, in-
ens eos tempestas excepit, ita vt mortem sin-
ulis momentis metuerent, eò quod quantum
romouissent interdiu, tantum de nocte regre-
erentur. Factum est autem, vt cum ipsimet ig-
orarent, quo loco iam versarentur, tuguria
sis subito quædam ad radices prææalti alicu-
s montis excitata apparerent, speciem pagi

Hollandi ad Macaum malè excipiuntur.

Ff alicuius

alicuius præ se ferentia. Occurrebant eis ſi-
mul cum duabus ſcaphis piſcatores quidam,
verum cum linguam præter natiuam nullam
intelligerent, nihil ab eis cognoſcere poterāt,
de Macao tamen interrogati nutu ad montem
illos remittebant. Non videbatur Hollandis
veriſimile, ædificia & tuguria illa ad radices
montis excitata, ad vrbem Macaum pertinere,
cum præſertim nulla nauigia in portu appare-
rent, quibus emporia eiuſmodi non facile ali-
às deſtituuntur, putabant igitur trans montem
illum Macaum fortè ſitum eſſe, vtque rationē
& qualitatem loci illius rectius cognoſcerēt,
ſcapham ſuam ſocijs aliquot inſtructam, tra-
ctum & oram illam exploratum ablegarunt.
Hoc facto aduolarunt ſtatim Luſitani, & inter-
ceptam ſcapham ſecum abduxerunt. Poſterō
die cum mirarentur Hollandi, qui fieret, quod
ſocij illi nō reuerterentur, ſcapham aliam ab-
legarūt, quæ cum nimis procul à claſſe abiſſet
& ipſa, ſpectantis Hollandis alijs, intercepta &
abrepta eſt. Hollandi igitur cum certi iam eſ-
ſent, ad Macaum vrbem ædificia illa pertiner
nec dubitarent etiam Luſitanorum inſidijs ſo-
cios ſuos interceptos eſſe, propius ad portum
accedere non audientes, conſilij omnis exper-
tos, diſcedere inde coacti ſunt, ſocijs 20. poſt ſ
relictis, quorum duo primarij Goam captiu
poſtmodum tranſmiſſi, reliqui vero omnes la-
queo miſerè ſuffocati & ab arbore ſuſpen
ſunt, quemadmodum poſtea ex literis in expu
gnata quadam naui Luſitanica inuentis, ſati
manifeſtè cognoſcere ipſis licuit.

CA

CAP. XXXXIX.

DE INDIA EXTRA GANGEM, DEQVE Chinensis regni finibus prouincijs, vrbibus flumi-nibus, opulentia & fertilitate.

INdiam supra, duplicem fecimus, ratione interſecantis eam celebratiſſimi fluuij Gan gis, qui in ſacris literis Philon vocatus, omni- um toto orbe maximus creditur, & Indiam ita diſcernit, vt alia dicatur intra Gangem alia extra Gangem. Illa, alio nomine Indoſtan, du- bus hactenus partibus, inferiore, tam occi- dentali quam orientali, & ſuperiore, pertra- ctata nobis fuit. Reſtat pars altera, nimirum ndia extra Gangem, quæ Mangi prouincia Marco Polo, & Sinarum regio Ptolemæo, vul- go vero, Chinæ regnum vocatur. Vltima autẽ errarum Aſiæ regio eſt, quæ fines ſeu termi- nos habet, ab Oriente quidem, mare ſericum vel Eoum, à meridie Cauchinchinæ regnũ, ab Occidente Indiam intra Gangem, à ſeptentri- ne vero Maſſagetarũ Scytharumque ſeuCha- ni Tartarici regnum. *China ad quam India partem pertineat.* *Chinenſis regni fines & quantitas.*

Multo quidem latius imperaſſe olim gen- em, annales ipſorum, literæque & veterum dificiorum illuſtria monumenta, nec non omplures, in India ab ijs denominatæ natio- es, haud obſcurè teſtantur, verum cum ſua ſi mole viribuſque, (quod à Carthaginenſi- us in re ſimili factum legimus) frangeren- ur, ſponte, miſſo veluti ſanguine & caſti- ata luxuria, intra hoſce fines ſeſe recepe- int, qui à tropico cancri ad gradum 53. lati-

latitudinis se extendunt, continentque iuxta longitudinem omnes meridianos inter gradū centesimum tricesimum, & centesimum sexagesimum inclusos. Inter Chinæ regnum & Tartariam murus est perpetuus, qui vtrimque regnum ab inuicem separat, porrigiturque per 300. miliaria. Fuerunt enim Tartari olim hostes Chinensium capitales, qui incursionibus suis non parum damni huic regno dederunt, cum igitur animaduerterent Chinenses regnū suum ab altero illo naturæ beneficio, montibus nimium altissimis seiungi, valles lacunasque interiacentes lapidibus cæmentisque explerunt, donec cum montibus complanarentur atque murus inde existeret continuus, arte & natura excitatus, quo tanquam vallo & propugnaculo firmissimo à Tartarorum incursionibus iam defenduntur.

Murus Chinam & Tartariam separans.

Constat hoc regnum quindecim prouincijs vastæ admodum magnitudinis, estque sua cuilibet Metropolis, inde denominationem habent. Numerantur enim sex, maritimæ, nempe Cantonium, Foquium, Quiocium, Chiqueum, Nauchinum, & Pachinum, reliquæ mediterraneę sunt, nempe Sincaium, Susuanum, Xauchinum, Hoaum, Sancium, Olaiaum, Oquianum, Quancium & Ayanum.

Chinense regnum quot prouincijs constet.

Vrbes in hisce prouincijs ad ripas solum, nauigabilis cuiusdam fluuij, quidam ducentas quadraginta numerant, Ioannes Hugo autem contineri in prouincijs illis primarias vrbes 591. secundarias vero 1593. scribit, præter vicos & pagos, oppidis, magnitudine sua compar-

Vrbes & oppida in China quot.

do

dos. Præcipuæ autem ciuitates ad ripas fluminis conditæ, fossis latis, murisque ex solido lapide firmissimis constant, habentq; ad muros pomæria tantæ capacitatis, vt sex equites iunctim circumquaque vrbes obequitare possint. Viæ regiæ per vniuersum regnū lapidibus stratæ sunt, planicie passim ad montes vsque directa. Vrbium ingressus sunt admodum magnificè & opere vario artificiosè exornati, portæ ternæ & quaternæ sunt ferratæ atque obæratæ, viæ & plateæ passim eleganter complanatæ, lapidibusque stratæ, tam in vicis quam in vrbibus, eæque tam latæ & rectæ conspiciuntur, vt prospectus ab vna extremitate ad alteram vsque pateat, quantumuis sint longissimæ. Per plateas passim tabernæ constitutæ sunt, vbi & merces venales exponantur, & opifices operas suas exerceant. Sed & fornices per plateas passim ex lapide mira arte incisi, & vario emblemate depicti consurgunt, quorum vsus est, cū aut festa, aut ludi aliæve solennitates ritusque Ecclesiastici fiunt, quæ nocturno plerunque tempore celebrantur, & tunc fornices collucent facibus atque candelis plurimis, vt spectantibus lumen præbeant & admirationem moueant. Aedificia contignationibus carent, areas vero habent patentes, & viridaria arte atque natura pulcherrima. Vrbium magnitudinem ex eo colligere licet, quod Cantonium, quæ vna ex minoribus est, in circuitu, amplius quam duodecim millia passuum habet, præter suburbia quæ magna admodum sunt & populosa, nullum enim in vrbibus lupanar ex-

iſtit, ſed omne meretricum genus in ſuburbia relegatur.

Flumina & naues in China. Locus ingens ſeu mare vaſtum eſt in regni medio, ex quo deriuantur fluuij complures, per totum regnum diffuſi, alueis tam vaſtis, vt quibuſcunque nauigijs portandis ſufficiant, vnde incolis rerum omnium affluentia commoditaſque maxima exiſtit, cum videlicet vltro citroque nauigationis commoditate perfrui atque inuicem oportunius negotiari poſſint. Nauium enim triremium, ſcapharũ, cymbarumque omnis generis, infinitus ibi numerus eſt, reperiunturque in ſolo Cantonẽſi portu tot nauigia, quot per omnem Hiſpaniæ orã vix inuenias, & , (quod mireris) haud minor populorum frequentia in nauibus, quam in ædibus habitare conſpicitur. Vrbis nomen, vbi *Aula regia in China.* ſedes regia eſt, Pachinum vocatur, & Xunciũ, quod idem ſonat atque cæleſtis ciuitas. Hanc ſtupendæ magnitudinis eſſe Ioannes Hugo ſcribit, cum porta altera ab altera per mediam ciuitatem in directum tanto abſit ſpacio, vt equo inſidens illud integro die vix conficere poſſit. Antonius Pigafetta, & poſt eum Antonius Maginus, regiam hanc ſeptemplici muro munitam, ſatellitum habere decem millium militum, & Regem non niſi belli tempore eo egredi teſtantur.

Villæ nobilium in China. Atque vt de ædificijs priuatiſque & publicis operibus paucula adhuc annotem, Diſperſæ ſeſe paſſim offerũt in æſtiuos maximè receſſus nobilium villæ, opere inprimis eleganti,

qua

quæ vel ad opacas amnium ripas, garrulas auium conuentus & fugientis aquæ lene murmur excipiunt, vel è montium iugis verticibusque subiectos vallium anfractus & vasta maris atque terrarum spacia, longè lateque despectãt. Sed ipsarum præcipuè vrbium pulchritudo mira. Nauigabilibus impositæ fluuijs, admodum profunda & lata fossa, mœnibusque cinguntur quadrati ab imo lapidis, lateritiæ ad summum structuræ. Lateres autem ex eodem argillæ genere, quo procellina vasa confecti & calce optima interliti, in eam duritiem ac firmitatem breui tempore coalescunt, vt ferramentis postmodum labefactari vix possint. Crassitudo murorum quatuor & alicubi sex homines capit, additis ad prospectum pergulis & occultis inambulationibus, quibus præfecti oblectationis causa pererrent. Ad obliquos autem ictus, modico interuallo, turres & propugnacula prominent, artificiosis contecta fastigijs. Ex ijs mœnibus, cum quædam constet, ante bis mille annos extructa, nullam tamen in eis rimam, aut sinum, aut labem aspicias, adeò seuerè acriterque sarta tecta à regijs curatoribus conseruantur.

Muri & mœnia vrbium in China quam firma sint.

Vrbium ea ferme dimensio & dispositio est: Latissimæ viæ duæ, se interfecantes, perpetuo tractu, qui lustrari oculis possit, præcipuas quatuor portas aperiunt, præferratas ornatu magnifico, adituque ad aspectum præclaro. Ab hisce rectis vijs aliæ deinde aliæque transuersæ, priuata & publica ædificia vicosque distinguunt, & ab vtroque latere viarum, excurrunt porticus, quæ commeantem plebem,

Vrbium in China dimensio & dispositio.

fabrorúmque & institorum tabernas & tempestatum iniuria vindicent. Iam vero è quadrato lapide trifores vt plurimum & quidem summo artificio perfecti cum inscriptionibus varijs, fornices item passim visuntur, quæ monumenta, magistratu abeuntes Regij Præfecti relinquũt, magistratibus autẽ ipsis, celeberrimo loco stant ampla & operosa prætoria, cultissimis hortis, capacibus piscinis fontibusq́; pellucidis & varijs aquarum deriuationibus ad omnem animi remissionem instructà. Nec desunt auiaria itemque ferarum septa, & operis topiarij syluæ tonsiles lucique densissimi, ac distincta floribus prata, vt singulæ præfectorũ domus oppidi propemodum instar obtineãt.

Prætoria Chinensium ampla & amœna.

Priuatorum ædes circa maritimam oram, vt dixi humiles sunt, sed locis mediterraneis multiplici contignatione extolluntur, vel pictura, vel opere albario candorijs eximij decoratæ. A primo ingressu panditur atrium, armis circumquaque dispositis, in quibus inanium Deorum & idolorum statuæ collocantur. Accedunt lacus pleni piscium & horti pensiles varij. Materia in ædificationes vtuntur mirè læuigata & certo lenocinij genere in auri colorem ac splendorem adducta. Pari læuore tectum est, calce spissatum, atque commissum ad pluuias arcendas, durantque seculo integro tecta talia, extremis imbricibus è marmore perquam eleganter elaboratis, ad singulas vero ianuas viridi opacitate arbores quædam ad lineam directæ consurgunt, quarum gratissimo aspectu, quasi pabulo quodam oculorum acies quamlibet fatigata reficitur.

Aedificiorũ priuatorum in China ratio.

Porro

Porro vrbes præterquam quod magnis, vti dixi, fluminibus pleræque alluũtur, sunt etiã, quæ ad subuectionis euectionisque commoditatem, canales nauium capaces introrsum admittant, quales multis locis apud Belgas cernimus, marginatis vtrinque semitis ad terrestre iter adstructis, lapidei quoque pontes egregiè facti, non ad oppida solum, sed etiam in agris plurimi, quæ vero flumina propter altitudinem, pilas arcusque respuunt, ea consertis & contabulatis nauibus pro ponte iunguntur, sin ex imbri vehementius intumuerint, solutis interim ordinibus viatorem, gratuitæ cymbæ, Regis impensa transmittunt. Iam voraginibus & hiatibus terræ stagnantibusque aquis, quæque alia ad iter impedimento sunt, publicè occurritur, quin etiam asperrimis locis ad montium latera excisis cautibus, viæ patescunt, ea molitione sumptuque, vt Romanam in eo genere magnificentiam non requiras. Templa etiam cum turribus culminibusque spectantur pulcherrima atque maxima. Trans pomæria deinde, præsertim in maritimis ciuitatibus, suburbia, eodem ornatu & laxitate viarum, aduenas fermè & negotiatores, frequentissimis diuersorijs accipiunt, in quibus præter delicatas, id gentis more, potiones omnium etiã generum cocti crudique prostant cibi & exquisita cupedia. Arces non habent, sed supra singulas ciuitatis portas, turres extructæ sunt, tormentis bellicis formidabiles.

Canales pontes & via publicæ in China.

De nauium copia supra dixi, Totius autem maritimæ rei apparatus penè incredibilis ibi reperitur, adeo largè materiam & omne instru-

Nauium in China genera varia.

mentum cæduæ ſyluæ & ferri optimi venæ, li-
niq́ue item & goſſypij frequentiſſimæ texti-
næ ſuppeditant. Maximas habent naues, quas
iuncos vulgo appellant, ex ijſq́ue ad bellum
quaſdam adhibent, eminẽtibus nempe ad pro-
ram puppimq́ue caſtellis paratas; quaſdam, de-
preſſiores nimirum, ad mercaturam & onera.
Sunt quas Lanteas, ſunt etiam quas Bancones
vocant. Illæ ſex remis ingentibus, hæ tribus
tantum, quaterno vel ſeno in ſcalmum remige
ad vtrumque latus inſtructæ. Longis etiam na-
uibus, triremium inſtar, vtuntur, ſed ſine ro-
ſtro & ad amnes ac vada ſulcanda plano alueo
fabricatis. Conſpiciuntur etiam quædam per-
agrandis maximè animi cauſa littoribus, auro
& argento cælatæ, puppi, cubiculis, reticula-
tis feneſtris, porticibus, penſilibuſq́ue hortis
penè in maris contumeliam exornatę. Poſſunt
ibi maritimæ oræ præfecti, ſed quid vrgeat
ſubitæ rei, militares iuncos à quingentis ad
mille vel momento contrahere. Neque vllo
tempore deſunt claſſes, ad tuenda & purganda
piratis maria pluribus locis paratæ, quæ mag-
no totius regni bono, mercatoribus & naui-
cularijs omnium nationum, tuta & ſecura cõ-
mercia præſtare conantur. Carinas oblinunt
certo bituminis generę mirè fideli, cum ad ex-
plendas rimas, tum ad teredinem & noxia li-
gnis animalia prohibenda. Purgandæ vero na-
ui, pluribus conſertam vaſculis antliam, ad la-
tera introrſum applicant, eo artificio, vt vnuſ-
quiſque ſedens, per leui alternoque pedũ mo-
tu, paucis horis quantamlibet ſentiam ex-
hauriat.

Naui-

Nauigiorum fluuialium similiter ingens ibi copia, magna enim in ijs (vt supra etiam dixi) pars hominum cum coniugibus & liberis degunt, è quibus alij vecturam exercent, alij pro cauponibus & institoribus in perpetua statione sunt, nec solum in cibos, verũ etiam in cultum & vestitum ipsasq; delicias, cuncta venalia habent, vt in ipso itinere ac fluuijs, vrbana commoda & copiam nõ requiras. Sunt qui intra eas naues altilium, atq; anatum præsertim, ingentes alant turmas. Hi noctu eas intra septa nauium cohibent, manè vt diluxit, in campos oryzæ feraces emittunt, ibi non paruo cum agricolarum commodo, noxias frugibus herbas, mira quadam auiditate depastæ, sub noctẽ ad cymbali seu tympani pulsum, in suas quæq; cohortes ac receptacula redeũt. Præterea cymbæ istæ, non fluuiatilem modo, sed ne marinũ quidem saporis egregij piscem, mediterraneis incolis deesse patiuntur, deuehentes eum nimirum magna copia ad loca varia, mutata subinde aqua & iniecto pabulo, incolumem, vbi postmodum ex angustijs in ampla transfusus riuaria & latas vrbium fossas, ad lautiora conuiuia popinasque toto anno sufficiens est.

Homines in nauibus habitantes, & eorum commercia in China.

Tellus ob aëris temperatissimam saluberrimamque constitutionem, alimentorum frugumq; feracissima est, maxima enim ex parte, intra temperatę plagæ terminos cõtinetur, radiosque solis suapte natura vitales puro ac patenti excipit sinu. Hinc fit, vt saluberrimo cælo & purioris auræ dulcedine perfruatur, ac simul inclytæ fertilitatis globa, frugum omnis

Chinensis terræ fertilitas.

mnis

mnis generis copiam fundat bifero triferoqu
prouentu. Oryzę quater in anno sementem fa
ciunt, & affirmante Ioanne Hugone, per toti
anni circulum legumina varia serunt metunt
que. Accedit ad eximiam soli foecunditatem
summa cultorum industria in tanta enim mo
talium turba cessare nemini licet, non priuat
dedecore tantum & proximi cuiusque iurgij
probrisque, quod mendicare omnium turpis
simum existimant, verum etiam publicis mo
ribus legibusque illud sedulo cauentibus. Ita
que rustici homines, nullam agri partem, pe
incuriam squalere patiuntur, saltus & colle
pinu vitibusq́; campi vero & planicies oryza
hordeo, siligine, alijsq́; segetib⁹ & frumētis ni
tēt, quanquā enim è vitibus more nostro vin
non exprimant, vuas tamen quodam condi
menti genere in hyemem asseruare mos est.

Potus Chinensium vnde paretur. Potum ex oryza habent, nostro hordeaceo si
milem, sed & ex herba quadam expressus li
quor admodum salutaris, nomine Chia, cali
dus hauritur, de quo quidem vbi ad Iaponia
peruenerimus plura dicemus. Oleis alicub
carent, sed earum vice non desunt plantæ, qua
humorem vnctui præbeant. Pascua sunt etiam
gregibus alendis vberrima, & in hortis egre
giè cultis, cum alia nostri orbis poma, tum sa
pidissimos melopepones, suauissima & opti
ma pruna ficusque, & medica citreaque varia
formæ atque saporis, apprimè vero generosa
mala aurea inuenias. Adhæc perspicui fontes,
& miro colorum decore odorumque fragran
tia flores ac rosæ perennāt, flumina vero, qua
magnas quoque patiantur naues piscosa & a

mæna,

mæna, viridiſſimo riparum veſtitu, pinguibus
ruis interfluunt, ex quorum inundatione om-
nis regni fertilitas exiſtit. Ingentem præterea
volucrum & ferarum vim ad aucupium & ve-
natum, paludes luci ſaltuſque ſuppeditant, vn-
de Antonius Maginus ſcribere non veretur,
quod in vrbe Cantonio, ad decem vel duode-
cim anatum millia ſingulis diebus in menſis
abſumantur.

Nullus omnino locus incultus, ſyluas & ne-
mora incolunt apri, vulpes, lepores, cuniculi,
zebellini, Martes. Elephantes tanta ibi copia
ſunt, vt Rex vltra decem mille in vſum belli e-
nutrire dicatur, leones præterea tygreſque &
feræ aliæ ibi non deſunt. Eſt animalculum ibi
vulpeculas vel canes minores magnitudine æ-
mulans, ipſis Moſſeliac dictum, ex quo Muſcus
colligitur odoramenti genus veteribus pror-
ſus incognitum. Hoc odoramentum ſunt qui
exiſtiment. certo anni tempore ad vmbilicum
animalculi iſtius, vomicæ ſimilitudine enaſci,
Ioannes Hugo vero & alij, eius parandi ratio-
nem ita deſcribunt. Animal illud fuſtibus pro-
be comminutum & contuſum occidunt, & ad
dies aliquot ſub terram, donec computreſcat
defodiunt, putrefactum deinde effodiunt, pla-
giſque tamdiu contundunt, donec tractabile
fiat ſanguis cum carne in vnam maſſam redi-
gatur, quam poſtmodo in certas particulas di-
uiſam ſacculis inſuunt, vnam plerunque vnci-
am pendentibus, quos ſacculos Luſitani papos
vocant & à Chinenſibus coëmptos, ad varia
loca venum peruehunt. Habent præterea Chi-
nenſes Algalliam etiam ſeu animalculum, ex
quo

Animalia & feræ beſtiæ in China variæ.

Muſcus à Chinenſibus quomodo paretur.

quo zibetum colligitur, quod nihil aliud eſt, quam ſudor circa teſticulos animalis illius emanans & ex abundanti calore humoreque eius expreſſus. Sed & feras alias habent, ex quibus pelles conficiunt pretioſiſſimas ad arcendum frigus accommodatas.

Rhabarbarũ in China proueniens quomodo ad nos perferatur.

Abundat in China ſaccharum etiam, itemque mel & cera, ſed & herbæ atque radices plurimæ ibi reperiuntur, vtpote Rhabarbarũ, quod tametſi qua ratione & forma proueniat, paucis notum ſit, hoc tamen certum eſt, nullibi illud præterquam in Chinæ penetralibus ſuccreſcere, & poſtea per Tartariam in Turciam, terreſtri magna ex parte itinere, indeque Venetias deferri, vnde poſtremo nobis etiam communicatur, licet nauibus etiam in Indiam & inde in Luſitaniam perferatur, ſed terreſtri tamen itinere allatum Luſitanico illo præſtantius eſt. Luem veneream, quæ Indiæ quaſi propria fuit, ſola ante hæc tempora Guaiaco ligno curarunt, Chinenſibus autem Deus ſingulari quadam bonitate, radicem quandam, quę inde Chinæ radix vocatur, efficaciſſimum huic malo remedium monſtrauit & largitus eſt, quam promptiſſimam & valentiſſimam expugnando huic malo non ita pridem inuenerũt, lima nimirum eam in ſcobem redigentes, & decoctum eius per dies aliquot bibentes, diæta bona obſeruata. Hinc enim corpus tam vegetum, alacre & promptum expeditumq; redditur, ac ſi nulli vnquam morbo obnoxium & infectum fuiſſet. Non ſolum autem huic lui radix iſta medetur, ſed frigidis etiam & reſolutorijs morbis quibuſcunque medelam tutiſſimam

Radix Chinæ & eius natiũ, præſtantia atque vtilitas.

tiſſimam

tissimam præstat, modo de consilio periti alicuius medici, conuenienti tempore adhibeatur, nam intempestiuus eius vsus, valetudini officit, tempestiuus vero, adeo salutaris est, vt etiam decocti eius spuma, apostemata & tumores ex lue interius latente enatos sanet atque percuret. Præterea Ambarum China suppeditat, quod nonnulli Balænarum vel semen vel excrementum esse, quidam, terram fungosam ex insulis quibusdam depressis aut latentibus scopulis, violento maris agitatu abrasam atq; excussam, quæ propter leuitatem aut raritatẽ, pumicis alicuius instar in mari supernatet, falso crediderunt, cum nihil sit aliud, quam bituminis alicuius genus, quod ex imis fluctuantis oceani fontibus eructatum superficiei quæ obnatat. Reges & magnates in India cibis suis id commiscent, vt ad conflictum maritalem fortius armentur. Sed & musco, zibetho & odoramentis alijs permixtum ad poma vel pyra conficienda adhibetur, quæ aureis argenteisque inclusa fabriculis, odorem naribus suauissimum exhibeant.

Ambarũ ex China prouenies quid sit.

Præterea Camphoræ etiam apud Chinenses prouentus maximus, ex arboribus quibusdam iuglandis magnitudinem habentibus colligitur. Nihil enim est aliud, quam gummi quoddam ex caudice arboris illius pugnatum & stillatum, quod cribri beneficio percolatum & purgatum, quo grandius perlabitur, eo nobilius censetur.

Camphora ex China proueniens quid sit.

Latent in China ingentes auri argentique thesauri venis terræ absconditi, qui Regũ interdicto non effodiuntur, eos in abscõdito sib. asser-

Metalla omnis generis in China.

aſſeruantium. ſupellectilem enim auream ar-
genteamque quam domi ſuæ paſſim ampliſſi-
mam habent, aliunde ſibi comparant & petũt.
Habent Chinenſes margaritas magna copia,
habent item argentum viuum, ferrum, chaly-
bem, ſtannum, plumbum, ſulphur, Lithargirũ,
& id genus metalla alia. Goſſypij, lini, lanæ,
bombyciſque & ſerici fila atque veſtem om
nis generis mittunt innumerabilem. Sericum
adeo ibi abundat, vt omnibus ſit parabile, &
licet ex ſola Cantonij prouincia, ad ter mill
centenarios ſerici in ſolam Indiam quotanni
(vt de Iaponia & locis alijs nihil dicam) deue
hant, interim tamen defectus in prouincia il
la nullus depræhenditur. Si ſpectes vaſorũ fi
ctilium, quæ procellina vocant copiã, quæ in
de in Hiſpaniam Luſitaniamque & ad loca ali
transfertur, rem ſtupendam eſſe dixeris, qua
uis quæ ex materia optima conſtant, ſplendid
nempe illa & inſtar vitri cryſtallini pelluc
da, ſub capitis pœna inde auehere omnibu
interdictum ſit Denique nihil aliunde, nõ a
victum modo cultumq;, ſed ne ad delicias qu
dem & voluptates requirũt Chinenſes, ac pr
inde nulla ſub ſole gens eſt, apud quam alia
gentium opes æque conſiſtant. Neque etiam
rat externo commercio locus, ni Chinẽſes i
finita quædam teneret argenti cupiditas, quo
auro quidem præferunt, cum aurum aliud ali
vilius ſit, nec in certo valore permaneat, arg
tum vero ſibi ſemper ſimile, precium
ſuum æqualiter retineat.

Sericum in China copioſum.

Argentum à Chinenſibus auru præfertur.

CA

CAPVT L.

DE PRIMA CHINENSIS REGNI *detectione, & politica eiusdem administratione.*

ANno qui Alphonsi Albuquercij, cuius iam sæpe mentionem fecimus, mortē, secutus est, cum Lupus Soarius Indiæ Prorex ab Emanuele Lusitaniæ Rege designatus, magistratum inijsset, renouata cum finitimis Regibus amicitia, Fernandum Petreium Andradium, cum nauibus octo in Chinarum regnū ablegauit, vt & regiones eas cognosceret & cum Chinensibus commercium institueret. Profectus est simul etiam Thomas Petreius cū donis & literis, Emanuelis Regis nomine, ad Regem Chinensem legatus, cuius quæ fortuna fuerit, paulo post dicemus. Andradius quidem, cum ad Tamum insulam peruenisset, post diuturnam moram, ægrè tandem impetrato transitu, cum duobus expeditis & egregiè ornatis nauigijs, cætera classe ad Tamum relicta, Cantonis, quæ Chinensium prouinciarum occidua maximè est, portum inuectus est, magistratusque permissu, Thomam legatum ibi exposuit. Postmodo mira lenitate & iusticia cōtrahendo cum incolis, haud ita difficili negotio aditum ad ea commercia Lusitanis aperuit. Auxit probitatis existimationem, quod cum peracta negotiatione, reditum ad suos pararet de suo discessu per præconem tota vrbe denunciari iussit, vt si quis aliquid vel à se vel à suorum quopiam, vel crediti vel commodati

Lusitani quando & cuius opera ad Chinense Regnum aditum sibi patefecerint.

vel quouis alio nomine repetere vellet, mat[u]re ad naues veniens nomē suum profiteretu[r]. Ea res magni & innocentis animi visa, & e[x] viri istius moribus de totius nationis virtut[e] iudicatum est, vt inde appareret maximo cu[m] Lusitanicæ rei incremēto societatem hanc in[]stitutam esse.

Lusitani Chinensium amicitia excidunt.

At vero post Fernandi illius discessum, al[i]orum deinde nauarchorum cupiditas atq; au[]dacia, qui Malaca ad spem ingentis lucri, i[n] eadem loca venerunt, opinionem hanc Lusita[]nicæ iustitiæ fideique propemodum omne[m] sustulit. Ex ijs enim quidam ad Tamum insul[am] in terram egressi, ne appellatis quidem mag[i]stratibus, castellum excitare, tormentis vigil[i]jsque dispositis imperium vsurpare, negotiati[]onem communem interuertere, ad se omni[a] pertrahere, externos æquè atque incolas iniu[]rijs & contumelijs afficere, virginibus vim in[]ferre, & non Regi solum Lusitanico, sed Chri[]stianæ etiam religioni dedecori & probro es[se] cæperunt. Itaque paucis diebus id flagitijs su[is] effecerunt, vt non iam pro socijs & amicis, sed pro immanibus piratis hostibusque habe[]rentur, & à Præfectis Chinensibus valida clas[]se obsiderentur, à quibus etiam expugnati & interempti proculdubio fuissent, nisi exort[a] repente tempestas, naues & classem Chinensi[]um dissipasset atque distraxisset. Hoc enim fa[]cto, elapsi Lusitani isti Malacam reuersi sunt.

Lusitanorū legatus à Chinensibus

Erat tum adhuc in itinere Thomas Petreius nihil aliud die nocteque laborans, quam vt le[]gatione sua recte apud Regem fungeretur. A[t] vero

ero exitus eius longe fuit tristissimus. Mag- *malè acce-*
o enim labore, quadrimestre iter emensus, *ptus.*
m ad regiam tandem venisset, præoccupatas
m aliorum, tum vero Cantonensium literis
criminationibus, Regis & Satraparum au-
s inuenit. Itaque ei non modo conueniendi
egis potestas & copia facta nulla est, sed et-
n de procerum omnium sententia pro ex-
oratore compræhensus & Cantonium re-
ssus est, vbi cum in carcerem coniectus es-
, omnibus fortunis paulatim absumptis, in-
maleficos furesque nocturnos vitam mise-
ili mortis genere finiuit. Hunc igitur in
dum, paucorum scelere alienati Chinensi-
animi, famæ fideique Lusitanicæ damnum
inæstimabile factum est, vt postmodum
nplures in annos Lusitano & Christiano
nini ora nulla infestior fuerit.
Cæterum legatum hunc, tam nefariè acce- *Legatos ex-*
m fuisse, mirum non est, nam & externo- *teriorum Re-*
Regum oratores, quos quidem iure bene- *gum quomo-*
rio sibi habent obnoxios, per summum *do Chinenses*
um & superbiam miserè admodum tra- *excipiant.*
t. Non audent illi nisi humili equo insi-
tes, qui pro habenis vili tegatur fune, regi-
vrbem despicatissimi ingredi. Deinde pe-
s intra palatij aditum accepti, ad partem
, in qua versari Regem audierint, (aspe-
enim eius prorsus arcentur) cum quina
nteruallis adoratione procedere cogun-
Tum elata voce legationem, nixi genibus
gunt. Adest autem Regius apparitor, qui
cta per scribam excipiat, idemque ve-

luti numinis internuncius postmodum à Re
responsum affert, quo accepto Oratores flect
tes subinde genua, plane inhonorati, iteru
discedunt. Rex enim barbara & stulta quada
arrogantia, sese mundi Dominum & cæli fi
um, quin imo solem totius firmamenti app
lare non veretur, habetque effigiem suum p
sim appensam in vrbibus, vt subditi ei tanq
præsenti Regi honorem & reuerentiam ex
beant. Præterea in singulis Prouincijs tab
aurea, in qua Regis nomen scriptum est, se
co obleuata custoditur, & eam tabulam sing
lis nouilunijs, velo reducto, Præfecti & G
bernatores Regij omnes, honoris causa ac
dentes, æquè ac Regem ipsum adorant.

Regis Chinensium fastus & insolentia.

Causa huius insolentiæ ex nimia poten
& opulentia existit, Nam de thesauris eius
coaceruatis auri argentique laminis, admi
da & stupenda narrantur, nec desunt, qui,
nostræ monetæ supputationem, aureorum
nuorum millies fermè ac ducenties cente
millia Regem capere pro certo perhibean
Ingens omnino summa, & in cuius contem
tione haud immerito laboret fides, cum
tantum Imperator Vespasianus, diligenti
mus ille pecuniarum asseruator, moriens in
rario Romano reliquerit. Hoc tamen certe
stat, in vno Cantonis emporio, quod alijs e
plagæ multis, & celebritate & diuitijs lon
inferius est, ex vnico salis vectigali, cent
& octoginta millia coronatorum; & in me
ocri quodam oppido eiusdem prouinciæ C
toniæ, è decimis oryzæ duntaxat, amplius c
tum millia coronatorum ad Regem quota

Chinensium Regis potentia & opulentia.

r

s peruenire, vt minimè dubitandum sit, quin
fiscum immanes pecuniarum aceruí quot-
is perueniant, si imperij magnitudinem, fre
entiam populorum, exactiones capitum &
iorum, portoria mercium, frugum omnium
cimas, fructus metallorum & id genus ve-
galia alia reputare velimus. Accedit nō me-
ocre ad summam opulentiam momentum,
od more Turcico & sectæ Mahometanæ to-
is, per vniuersum Chinarum imperium tri-
ta & vectigalia præter vnum Regem nemo
orsus decernit & accipit. Nulli ibi, vt apud
s, Comites, nulli Duces, Marchiones, Baro-
s, Principes censentur. Magistratus & præfe-
uræ non tam in beneficij ac præmij, quam in
oris ac muneris loco, à Rege distribuuntur,
que splendida honorum vocabula & opimi
litus hæredem sequuntur, sed suas sibi quis-
e diuitias & dignitatem, studio labore & di
gentia parat, vt virorum fortium & vigilan-
im loca per nobilitatis fucum, ignauia occu
re non possit. Auget & illud opulentiam Re
s, quod priuatorum fortunas & partem su-
re atque vigilantia rem, per publicanos &
actores suos durissimos atterere, & ex ipsis
iam capturis impudicarum mulierum, quod
Caligula olim factum legimus, vectigal fœ-
issimum percipere perhibeatur.

Comites, Barones, Principes &c apud Chinenses nulli.

Cæterum vt omnis administrādæ apud Chi-
enses Reipub. ratio intelligatur, sciendum
t, magnam hominum multitudinem rei lite-
riæ vacare. Habent enim leges & iura, ante
nnos bis mille scripta, neque vnquam, (vt fe-
unt) exinde mutata. His, quod fermè ad ho-

Studia literarum aditū ad honores & dignitates maximas patefaciunt.

nores & magistratns dignitatem,aditum pa
faciant,plerique certatim insudant, Medic
Gymnasia & scholæ in China. Physicisque & Astronomicis artibus passi
neglectis.Gymnasia cum egregijs doctorib
oppidatim ferè,ampla & copiosa Rex suste
tat.In ea gymnasia ex ludo literario primi
rudimentis pueri & adolescentes legũtur.St
diorũ præfecti,quos cessatores vel tardos a
maduerterint,obiurgant primum,deinde p
gis afficiunt,ad extremum ignominia notat
expellunt.Cæteros pro cuiusque profectu
Magistri in China quomodo creentur. diligentia laudibus tollentes. Cæterum Ce
sores Regij,tertio quoq; anno,Gymnasia pu
licè recognoscunt, & à studiosis ingenij d
ctrinæque specimen hoc ferè modo sumũt.
celeberrimis Regni prouincijs,ampla & spa
osa ad eam rem parata palatia,mensis subsel
ijsque instructa sunt.Ad ea ex alijs prouinci
(ne quis gratiæ locus sit) euocati adolescent
prætentato sinu & vestimentis exploratis
quem secum librum inferant,mane cum pug
laribus,charta nempe & calamo,includunt
ibi à Censoribus themata de controuersijs p
licis & priuatis proponuntur ex tempore c
ponenda.Postmodo claussis ostijs, adhibitis
custodibus,pro sua quisque copia & faculta
scribunt,eo intentiore studio, quod in ei
modi certamine non dignitas modo,sed etia
res vniuscuiusque versetur. Sub noctem ape
tis foribus,pensa exiguntur, adscriptis aut
rum nomine,origine & patria. Deinde adol
scentibus dimissis, Censores per otium scri
ta illa perpendunt, & ex vniuerso numer
tria primum millia,rursum ex hisce trecent
& po

z postmodo ex trecentis nonaginta præstan-
issima seligunt. Atque is demum habetur flos
apientiæ, neque vltra subcernitur, totidem e-
im iurisperitos ad supplementum in singulas
rouincias describi solenne est. Posthæc edi-
itur dies, quo victorum nomina voce præco-
is pronuncianda sint. Fit denuo ex omni par-
e concursus, ibique qui palmam tulerunt, cũ
xquisito verborum honore magistri appel-
antur, atque is dies magna conuiuiorum & lu-
orum pompa atque celebritate peragitur. No
i magistri multa cum solennitate per publi-
um deducuntur. Præcedunt tubicines & mu-
ci alij cum satellitibus multis, sequuntur qui
ceptra gerunt, & post eos Loitij siue nobiles,
octores & Censores Regij, qui examen insti-
ierunt. Hi sellis insidentes gestantur, sequen-
bus promotis iam nouis Magistris, qui Pha-
eratis equis insidentes, ingenti omnium or-
inum studio & comitatu per vrbem ferun-
ir.

Peracta autem hac solennitate in regiam
Censoribus mittuntur, vbi præstito iura-
iento quod regnum regiamque dignitatem
mni fide tueri velint, de mandato Regis in
oitiorum siue nobilium numerum referun-
ir, donati cingulo aureo & pileo alato, quæ
nsignia sunt nobilitatis. Sed & annuum sin-
ulis honorarium ad eam personam cum dig-
itate tuendam Rex attribuit, ac tum denique
ese inuicem amplexãtur, collegij eius neces-
tudinem sanctam admodum & venerandam
xistimantes.

Nobiles in China qui & quomodo creentur.

Magiſtratus in China ex qualibus perſonis conſtet.

Porro ex Loitiorũ corpore iudices, Conſiliarios & Magiſtratus creari mos eſt, non tamē per ambitionem aut corruptelas, ita vt ad ſumma ſtatim tranſiliant, ſed ita vt in inferioribus primum verſentur, & in illis probati ſpectatique gradatim ad ſuperiora conſcendunt. Magiſtratuum igitur minorum ingens vbique numerus eſt, maiores vero in vnaquaque metropoli cum ampliſſima poteſtate quinque, non tamē indigenæ ſed alienigenæ. Lege enim cautum apud illos eſt, ne quis in patria ſua magiſtratum obeat, ne ſcilicet amicorum affectibus indulgentes vel à iuſtitia deflectant, vel Regi rebelles fiant, ſed vt eo magis inter ignotos odio & amore vacui, rectā in adminiſtrādo & gubernando rationem ſequantur. Omnium autem conſenſu, primum dignitatis & imperij locum, in vnaqualibet prouincia, qui ipſis Tutanus vocatur, obtinet. Is quaſi vicario Regis munere vniuerſæ prouinciæ præpoſitus eſt, atque dignitatis cauſa, proprio ac ſeparato à reliquis præfectis loco habitat. Ad hunc grauiſſima quæque & maxima referuntur. Pleraque decidit ipſe, ac de toto rerum ſtatu ſubinde Regem per literas edocet. Proximus huic honore habetur Ponchaſius, penes quem vectigalium & fiſci Regij cura eſt. Is cum ingenti ſcribarum & cuſtodum ſiue vigilum copia, ærarium tuetur, rationes & codices recognoſcit, & annua ſtipendia, ſolaria, mercedeſque inter adminiſtros diſtribuit. Tertium locum Anchaſius obtinet, qui cum conſilio delectorum virorum, non de ciuilibus modo contro-

Magiſtratuū in China ratio & differentia.

uersijs ac litibus iudicat, ſed etiam rei capitalis quæſtiones exercet. Atque ad hoc tribunal toto eo regno in cauſis grauioribus prouocatio fieri conſueuit. Porro Aitanus rem bellicã adminiſtrat, conſcribit exercitum, comparat claſſes, ac præcipuè in id incumbit, ne peregrini in vrbes ac mediterranea loca ſenſim irrepant, peregrinis enim ſine permiſſu & adſenſu Magiſtratuum, acceſſus & ingreſſus in hoc regnum nullus patet, quemadmodum contra etiam, ſine conſenſu & venia Magiſtratus, excedere inde ſub graui pœna permiſſum nemini eſt. Aitano ſubeſt poſtremus omnium Luitiſius, militaris rei peritus, qui ad Aitani arbitriũ, prout opus eſt, varias in expeditiones cum exercitu proficiſcitur.

Sunt qui Præfectorum & Magiſtratuum alia quædam tradant nomina & plura, ſed curioſius de illis inquirere operæ precium non videtur. Magna autem omnibus & mira maieſtas eſt, ſinguliſque, excepto Luitiſio, à conſilio adſunt decem lectiſſimi viri, verum impari dignitate. Superioris enim ordinis quini à dextra ſedent, quod apud Chinenſes honori ducitur, aureo baltheo ſiue cingulo & pileo ſiue galero alato croceo, (qui Regius color eſt) inſigniti. Inferioris claſſis, à ſiniſtra totidem ſedent, cingulo argenteo & galero alato cæruleo diſtincti. Si Præſidem in Prouincia mori contigerit, antiquiſſimus ex Conſiliarijs ſiue Senatoribus (vt noſtri vocant) in locum eius ſuccedit. Ex eodem item numero ad obeundam & luſtrandam Regis iuſſu prouinciam, legati mittũtur, *Chinenſium conſilia ſiue Senatus.*

Cæterum cuncti peræque Præsides & Consiliarij regium insigne gestant ad pectus humerosque, serpentem nimirum ex auro textili, neque minoribus præfectis, alijsve, magistro custodiarum excepto, quenquam è superioribus hisce, nisi flexis genibus alloqui aut compellare fas est.

Chinensium Præfecti qua solennitate prouinciam adeāt.

Euntibus in prouinciam, præter vestimenta & famulos aliquot, nihil omnino, vel ad iter, vel ad hospitium, vel ad cæteros vitæ vsus parandum, in singulis enim oppidis Regij sunt Parochij, ab ijs cuique pro dignitate cuncta benignè præbentur, quod si tamen priuatis amicorum hospitijs vti malint pecuniæ ipsis numerantur. Ineuntibus magistratum, obuiam primum sub signis peditum cohortes & equitum turmæ, deinde reliqui ordines cum insigni pompa & vario Symphoniæ cantu procedunt. Ea frequentia, per vicos & plateas vrbis, magnifico peristromate ornati, non sine honore florum odorumque præstantissimorum, noui præfecti in prætorium vsque deducūtur. Ibi præsto sunt Regij famuli & curatores, qui sine vlla eorum molestia cibos, instrumentum & suppellectilem omnem pro maiestate & dignitate suppeditent. Intra easdem ædes proprijs conclauibus ac cænationibus asseclæ, scribæ, accensi, lictores & forense ministerium omne, Regis solius impensa alitur, vt eo plures omnium actionum & vitæ quotidianæ arbitros testesque habere se magistratus intelligat. Porro præfectis, cum in publicum prodeunt, multo cum satellitio, gregibusque clientum & amicorum, sella magnifica gestari

Præfectorū Chinensium in publicum

mos

mos est,& quidem defixis in vno obtutu oculis,ac toto vultu ad seueritatem grauitatemque composito. Frenati sequuntur equi, circumstant vmbellas gestantes plurimi, lictorum anteit manus,quorum hi regia vexilla,illi arundines tostas & ad verbera paratas,itemque clauas argenteas ferunt, alij pendente ex humero tabella gypsata, cum sericis floccis, inscriptum Præfecti istius imperium atque potestatem ostentant.Hi omnes bini & bini procedentes,magnis clamoribus plebem submouent,quæ vel in domos festina se proripit, vel etiam honoris causa, vias euertit. In transitu vero mirum silentium,cum non modo interpellare præfectum, sed ne contra quidem intueri cuiquam liceat.

prodeuntis maiestas.

Iura hoc fere pacto redduntur : A primo mane ad vesperam,paucis horis ad meridiandum intermissis,præcelso in tribunali considet Prætor,cingunt latera iudices, cohors ad imperium parata circumstat. Qui ad ius petendum accedunt, intromissi à ianitoribus procumbunt illico,& vel eminus ipsi,quid velint, clara voce pronunciant,vel supplicem libellum scribis recitandum offerunt. Prætor, agitata de deliberata re,consilij siue senatus sententia,respondet,ipsúq; responsum literis cõsignatum à scriba , ipsemet deinde rubricato pigmento,sua manu confirmat. Ex aperto administrantur omnia,secreta colloquia & arcani susurri vetantur,quo minor flagatijs fraudibusque præbeatur occasio.

Iuris administrandi apud Chinenses ratio.

Capitalis noxæ reos comperendinant, nec nisi

Delicta quo modo à Chinensibus puniantur.

nisi lente quæsita & ad liquidum cognita causa, condemnant, vnde fit, vt pauci admodum in tanta hominum multitudine, vitam carnificis manu finiant. Interea vero vincti, quam diligentissimè asseruantur, loco amplo, & instar oppidi alicuius spacioso, celsis admodum parietibus circumsepto, & rerum venalium copia, tabernis opificijsque, ne quid extra petendum sit ad omnes vitæ vsus, abunde instructo. Loco huic magno cum vigilum numero præest, non exiguæ autoritatis vir. Is per se, perque suos, custodiarum seriem ordinemque quotidiè recognoscit, & quam intentissima excubat cura, ne cui, delinitis precio ministris, vel perfuso pariete, suspensisve alicunde funibus, aut alia quapiam ratione effugium pateat. Fori vero i-

Fori Chinensium disciplina sæuissima

psius & prætoriæ turbæ seuera admodum disciplina, graui enim pœna erratum quodlibet atque adeò murmur omne compescitur, & vere qui dereliquerūt, ijs, quo conspectior ignominia sit, vexillum quoddam in manus datur, cum eo, donec consilium finiatur & senatus consurgat, genibus nixi persistunt, ac tum demum ad Prætoris arbitrium verberibus acerbè mulctātur. Cognitores capitalium rerum, per speciem lenitatis, diram crudelitatem exercent. Rei enim, (quorum magna semper multitudo est) onusti catenis, noctu præsertim, arctissimè inter se constipati & constricti, adeo sæua ac tetra custodia detinentur, vt dilatam à Iudicibus (velut ante dixi) mortem, haud pauci execrantes, vim sibijpsis inferant. Interea in conspectu commessantis ac lutibundi sæpe Iudicis, seriæ quæstiones per tormenta exercentur,

tur,quorum cum alia ſunt genera,tum illud in foro vſitatum & quotidianum, de quo paulo ante dixi.Pro virgarum enim faſcibus cubitali arundine digitos quatuor lata & vnum craſſa,vtuntur,& ea quidem igne toſta, quo grauiorem plagam faciat.Hoc ſæuitiæ inſtrumento humi ſtratorum ac ſæpe inſontium artus & plantæ,adeo acriter & acerbè cæduntur, vt qui non robuſto admodum ſunt corpore, vel fracti & debilitati diſcedant,vel etiam inter ipſa verbera nonnunquam expirent. Hinc multos paſſim vibicibus liuida & medicamentis oblita facie videas, quod quidem propter aſſuetudinem probro nemini vertitur.

Ad rem militarem quod attinet, eam non tam audacia & firmitate,quam numero & machinis egregiaque inprimis diſciplina ſuſtentant.Præter extraordinarias copias,quæ varijs locis,vbi res poſtulat,comparantur, in ſingulis vrbibus firma ac certa præſidia ſunt, pro mūris aguntur excubiæ, quas identidem obit circiter,itemque validæ ſtationes ad portas, quarum fores, præter alia repagula ſeraſque, impreſſo chartæ & commiſſuris agglutinato ſigno,quotidiè muniunt,nec niſi eodem à miniſtris inſpecto & probe agnito, aperire conceſſum eſt.Ad limites regni crebra propugnacula viſuntur,qua vero Scythæ & Tartari contigui ſunt,inſanę ſubſtructionis murus ad multas,(vt ſupra dixi,)leucas excurrit. Hæc regionis clauſtra ſunt firmiſſima.Vbi ex aliqua parte belli rumor increbuit,dato confeſtim à cuſtodibus ſigno, è vicinis caſtellis & oppidis concurſus ad munimēta fit,quoad Duces à Re-

Bellicæ rei apud Chinenſes adminiſtratio.

ge cum

ge cum iusto exercitu superueniant. Equites elegantissimo ornatu armatuque prælium ineunt, quaternis ex ephippio gladijs pendentibus, quorum duobus simul & semel, scienter admodum & dextrè vtuntur. Pedites item egregiè armati pugnam capessunt. Largum vnicuique stipendium optima fide persoluitur, spectatæ insuper virtuti certus ab Imperatore seu Duce belli honos, ignauiæ vero cōtra perfidiæque supplicium assignatur. Qui ad militiam adscripti non sunt, arma domi suæ habere non audent, vt ab intestinis tumultibus otium Reipub. præstetur. Vt autem cæteri magistratus quo magis castè Rempub. administrent, & in iudicando sententiam incorruptam ferant, è longinquis locis petuntur, ita ordinum ductores ac militares præfecti, ex alijs itidem locis, ea de causa leguntur, vt eos ipsum liberorum & coniugum desiderium, ad subeunda belli pericula, & acrius pro aris & focis dimicandum, accendat atque impellat. Cæterum in re bellica alijs nationibus inferiores Chinenses existimantur, & propterea ad grauiores expeditiones externum plerunque militem conducunt, cuius rei hanc esse causam volūt, quod leges & edicta Chinensium, ad seruitutem & ad abiectionem magis, quam ad virtutem & magnitudinem animi, populos informare depræhendantur.

Regij apud Chinenses vicarij dignitas & officium.

Porro hisce tot Præfectis, iudicibus, populisque, cum regio nomine & potestate vnus aliquis præest, vitæ necisque omnium Dominus. Huius, vel ex satellitum & apparitorum frequentia, vel ex ædium admirabili ornatu & ampli-

amplitudine, vel ex ipſo genere domeſticæ diſciplinæ veneranda admodum maieſtas eſt. Octo habet à conſilijs, ex toto Loitiorum ſiue nobilium ordine viros lectiſſimos. Is à Rege ſecundus dignitatis gradus, ſummumque totius gentis oraculum habetur. Sexaginta circiter vxores alit, Regia vero, niſi vel mutandæ ſedis, vel in bellum proficiſcendi cauſa, nunquam excedit. De omni ſtatu prouinciarum, & perfectorum actis, fit aſſiduè certior, veredarijs ſeu curſoribus ita diſtributis, vt in ſingulos menſes ex qualibet prouincia literæ in Regiam perferantur, equis enim paribus fermè interuallis in via diſpoſitis, celerrime peruolãt, ſuumque in ſingulas poſitiones aduentum, quò recentes equi, aut ad flumina traijcienda naues illico expediantur, & tintinnabulis ab equi ceruice pendentibus, vel cornu etiam ſæpius inflato prænunciant.

Vicarius hic Regius ſtatis temporibus, idoneos quoſdam viros ad cuncta coram inſpicienda, per omnes Regni partes cum ampla poteſtate dimittit. Sed & extra ordinem, certos è ſuorum fideliun numero, eam ipſam in rem deſtinare interdũ ſolet, ſacramento primũ, de munere cum cura & fide recte obeũdo, adſtrictos. Cæterum hoc vt quam occultiſſimè fiat, multa apud ſe diplomata habet, Regiſque chirographo & ſigno notata, inde vbi tempus eſt, illam accepto diplomate inſpector idem & cenſor, quam Vicarius Regis iuſſerit prouinciam, tanquam vnus de populo ingreditur, Præfectiſque & Prætoribus inter publicæ *Magiſtratus Chinenſium quomodo in officio contineantur.*

rei

rei administrationem, vbi nimirum ius dicendum est, dissimulanter ita vt præ cæteris nullo modo internoscatur, assistit. Vbi quæ voluit probè cognouit, tum demum consilium siue Senatum adit, prolatoque repente diplomate, mira omnium veneratione, summus totius consilij iudex ex arbiter in solio collocatur. Vnde, prout exigit res, alios laudibus ornat, atque ad altiores gradus extollit, alios absque vlla cuiusquam tergiuersatione, vel in ordinē cogit, vel supplicijs etiam grauioribus afficit. Atque hoc præcipuè metu magistratus & iudices in officio à Rege continentur, cui tandem demortuo, è filijs natu maximus, sin desint autem liberi, (quod in tanta vxorum copia perrarum est,) proximus è regia stirpe succedit, cæteri, ne quid eorum causa tumultus existat, remotis inde palatijs ad oppidorum instar, incredibili magnificentia, regioque cultu & apparatu, in libera custodia detinentur, capitis proposita pœna; si extra eos fines non iussi pedem extulerint.

CAP. LI.

DE CHINENSIVM MORIBVS, artificijs, & opificijs varijs.

Chinensium Arma & corporis constitutio.

CHinenses, quemadmodum eiusdem plagæ etiam alij, populi sunt, prout ad Septētrionem vel ad Meridiem vergunt, magis aut minus æneo colore vel cādido, simis naribus, exiguis admodum oculis, rara barba, longis crinibus, quos accuratè comptos & in verticem coactos

coactos illaqueant, oblongumque ex argento clauum in laqueum inserunt, neque tamen vna est omnibus capillamenti ratio, cælibes enim comam à fronte discriminant, mariti vero cõfundunt, atque hæc præcipuè nota vtrumque distinguit ordinem. Primarij ac diuites, quiq; militiam exercent, versicolore serico, plebeij vero & pauperes lino vel gossypio corpus tegunt, lana enim cùm maximè suppetat, minimè texitur, & nemo est in toto regno qui vestes ex lana parare didicerit, vnde admiratione initio summa tenebantur, videntes pannos laneos à Lusitanis aduectos. Simili modo nec holosericum habent, nisi aliunde allatum, texere enim illud non possunt. Viri sagis ad veterem Hispaniæ consuetudinem vtuntur, media sui parte crispis atque rugosis, cæterum fusa & explicata lacinia & laxis manicis, ipsum vero sagum à læua parte confibulant. Accedit talaris tunica, quã qui ex regia stirpe sunt, vel superiore aliquo magistratu funguntur, circa baltheum maximè, cæteri limbotenus acu pingunt. Milites in prælium accincti, vestibus vtuntur ad genua vsque demissis, gossypio circumquaque subducto, ea densitate, vt hastile vel acutus gladius nusquam penetret. Caligas viri communiter induunt affabrè factas, & elegantes calceos bombycino obstragulo perpolitos. Caput operiunt præcelso ac rotundo pileo, è tenuissimis virgulis atro filo prætextis. Stipendiarij siue satellites Regij, in signũ, gestant pileum flauum vel rubrum, omnes enim ad militiam adscripti, certis suis signis distinguuntur, vt sciant, ad quem Decurionem

Vestitus Chinensium virilis.

vel centurionem atque præfectũ quisque pertineat. Vestimenta per hyemem pretiosis murium Scythicorum, pellibus; quas vulgo martas vel Sabelinas vocamus, impenetrabili ventis densitate suffulciunt, iidéq; separatim pellibus colla circumfouent. Molestias flatuum munitis egregiè fenestris prohibent, per æstatem vero ad reliqua remedia coloribus laniendis, illud etiam accedit, subterraneos idoneo loco effodiunt specus, inde conceptam auram, intensiorem aut remissiorem, prout libuerit, per omnes ædium partes admirabili machinatione dispensant.

Vestitus Chinensium mulierū. Mulieres laxis vestibus & ad talos vsque demissis splendide induuntur, circa curam capitis multæ sunt, crines diu pexos concinnatosque in summo circumligant, vitta gemmis auroque distincta, quibus & reliqua corporis membra pari modo exornant, ita tamen ne ornatus reliqui corporis nimis lasciuus depræhendatur. Præcipuam decoris ac formæ laudẽ in pedum breuitate & exilitate constituunt, vnde à teneris eos fascijs per quam arctè constringunt. Hinc autem ægrè admodum ambulãt pedibus, ita vt si incedẽtes videas semiclaudas eas dixeris, atque hoc virorum est inuentum, vt eas scilicet à cursationibus prohibeat, quamuis plantas habere exiles & strictas, ad ornatum muliebrem aliàs etiam referatur. *Matronarū Chinensium pudicitia.* Matronæ quæ in lautiore aliqua re, aut in aliqua ob maritos suos dignitate constitutæ sunt, per publicum raro obambulant, sed semper sese domi continent, magnus enim apud eas pudicitiæ

citiæ honos est, & propterea, si quando in publicum prodeundum est, sella gestatoria, prætẽtis ex omni parte velis sericis, &, occultæ speculationis causa, reticulatis ex ebore fenestellis ad latera appositis, à seruis gestantur, magna vndique stipãte familia. Depræhensum adulterium, æquè viri ac fœminæ, capite luunt. Ad nuptias dotem non viro fœmina, sed vir fœminæ defert. Singulæ vxores in matrisfamilias loco numerantur. Pellices procul à cõspectu varijs locis aluntur. Prostitutis vero & meretricibus proprium atque separatum in suburbijs domicilium est.

Anni principium à Martij mensis nouilunio auspicantur. Eo die, publica hilaritate natalẽ quisque suum, concelebrant, munera sibi & sportulas inuicem mittunt, apparatissimis deinde epulis noctu præsertim, exquisitissimi interponuntur ludi, comœdias & tragœdias exhibent sumptuosas, vel fabulis recenter à Poëta quodam confictis, vel actionibus ex veteri historia repetitis. Non desunt ibi aretalogi, mimi & præstigiatores varij. Parietes fonitesque, viridi fronde pulcherrimis rosis, & preciosa peristromate vestiũtur, fragrant odorantis floribusque viæ, accensis funalibus atque laternis, arbores, pergulæ, fenestræque omnes collucent, fidium item pulsu, tibiarũq; vocum concentu vario omnia personant. Conuiuiorum autem ratio talis est. Inuitatis singulis quotquot fuerint, aut ad summum binis, mẽsa propria apponitur, ex ligno ad instar aheni splendidissimo, varijs, syluestrium maximè rerum, figuris ac certis linearũ ductibus,

Annum quãdo & quo modo Chinẽses inchoent.

Conuiuiorum apud Chinẽses ratio qualis.

capreolatim ex argento vel auro diſcurrenti-
bus depicta, pictura ea nitorque pro mappa eſt
menſalia enim nulla inſternunt, ſed ad oras ta
bulæ appendunt frontalia ſerica vndulata, au-
rea, argenteave, pro cuiuſque ſtatu & conditi-
one, ad terram vſque demiſſa. Conuiuæ fuca-
tis conſident cathedris, præmolli, vt apud nos
culcitra ad gratiorem quietem obductis. Inde
elegantiſſimi primum caniſtri, ſertis redimi-
ti, baccis item pomiſve, aut bellarijs ex ſacch
ro deaurato & depicto onuſti, toto margin
diſponuntur. Intra id veluti ſeptum, admira
bili ſtructura, cæteræ exſurgunt dapes, quæ i
lancibus vel procellinis vel argenteis appo
nuntur, cumque carnibus omnis generis, feri
nis atque domeſticis, piſcibus item oſtreiſqu
& cunctis fermè illecebris atque condimenti
abundent, Suilla tamen præcipuè caro ſummo
rum pariter & infimorum menſis expetitur
neque ex vllo alio animali copioſiora fercul
cernuntur.

Mores Chinenſium in menſa.

Cibos digitis attrectare (vt ſunt vulgò mun
ditiarũ ſtudioſiſſimi) ruſticitatis putant, bra
cteatis paxillis, vel argenteis aureiſve fuſcin
lis, conciſa minutim fruſta, in os ingerunt. Sũ
qui duo parua ligna rotunda nigra habent, ijſ
que loco furcularum tam peritè vtuntur, vt ne
mica quidem inde decidat. Hinc abſtergendi
manibus ſtrophiolum adhibere neceſſe non
eſt, cum neque manus neque os vllo mdo pol-
luant. Exiguis poculis crebro hauſtu ſitim ſe
dant, & magno cum honore verborum ea ſib
inuicem propinant. Miro interim ſilentio at-
que ordine lances ab atriẽſibus inferuntur, &

in ſin

in singula fercula mensæ instrumentum omne mutatur. Atque hac ratione separatim viri, matronæque item seorsim, eodem apparatu in penetralibus conuiuantur.

Salutandi ritus inter plebeios est eiusmodi: Læuam in pugnum compressam obtegunt dextra, eique includunt, & iunctim ambas pectori admouent, accommodato ad gestum sermone demonstrantes, amicum sibi in medullis hęrere, & mutua sese coniunctione, quemadmodum manus manui implicata est, deuinctos esse. At vero nobiles & primores alij, brachijs arcuatim supra caput extensis, & digitis vtriusque manus implexis, identidem sese ad terram vsque incuruantes submittunt, certantq; verborum officijs inter se, vter posterior, alterius honoris causa quiescat. *Salutandi ritus apud Chinenses.*

Opificum & sellulariorum ingens vbique numerus & certus ordini cuique vicus est, sculpendi ac pingendi artem, itemque plasticen, toreuticen, &c. nec non fabricas, ærariam, ferrariam, cæterasque metallicas artes egregiè callent. Ad conflandos vero ignes (quod inprimis mireris) nullius indigēt opera, certa quippe ratione, ita libratis tubulis quibusdam atque ad caminum aptatis, vt acceptam è cauernis & locis subterraneis auram perpetuo reddant. Mechanica quælibet, vel ibidem excogitata, vel ex alijs locis inuecta, celerrime arripiunt atque addiscunt, sunt enim ingenio & intellectu miro præditi, vt vel ex operibus etiam ad nos deportatis apparet. Nati ex opificibus, non nisi parentum opificia tractare possunt. Hinc ænea tormenta cōflare, literas imaginesque *Opificia in China var ia.*

ginesque subiectis prælio typis excudere, vetustissimo apud eos in vsu esse compertum est, non enim viuit apud eos qui à memoria sua repetere possit, vel in typographia vel in tormentorum conflandorum arte, quicquam de nouo inuentum inter eos fuisse. Est typographia res apud ipsos antiqua, habent enim libros annis quingentis sexcentisve priusquam ea in Europa inueniretur, excusos. Ad artificium vero tormentorum hoc etiam accedit, quod ex ijs quædam solutilia faciunt, perque partes baiulis aut iumentis imposita, quocunque opus est, circumferunt.

Typographi[illegible] & tor[illegible] [illegible] tant.

Papyrus in China similis est Europææ, colore tamen minus candido, verum subtilitate & paritate superior, Calami scriptorij ex arundinibus fiunt, in quas penicilla more pictorū nostratium indunt. Hisce, chartis nihil non mandant, describentes artes liberales, leges, iura, statuta sua, res gestas item priuatas & publicas, neque Græcis neque Latinis quicquam concedentes. Pagellas faciunt arctas & oblongas, scribūtque, nec à sinistra ad dextram, vt Græci & Latini, neque à dextra versus sinistrā, vt Hæbræi, procedunt, sed à vertice ad calcem, seu à summo ad imum peculiari quadam ratione lineas perducūnt, cuius generis impressa volumina & libros meis egomet oculis aliquoties vidi & inspexi. Literis vtuntur velut Aegyptijs, quas hieroglyphicas Græci dixerunt. Eæ singulæ singulis nominibus seruiunt, atque etiam integris interdum sensibus. Hinc fit, vt licet Chinenses varia lingua, quippe tam mul-

Papyrus & [illegible] Chinen[illegible] ratio.

Literæ Chinensium quales.

multis regionibus, tamque disiunctis, vtantur, (sunt enim pro locorum distantia varia, variæ etiam ibi & multæ idiomatum dialectorumque differentiæ) tamen quæ literis consignata sunt, peræque omnes intelligant, Alphabetum enim omnibus vnum & idem est, constans nimirum amplius quinque millibus rerum & verborum notulis, pro quibus comprehendendis, felici memoria & longa exercitatione opus habent. Vnde etiam causa aliqua apparet, cur docti apud eos in tanto precio habeantur, præter enim cuiusque nationis atque prouinciæ proprium, certus insuper & communis eruditorum sermo est, latinæ apud nos linguæ respondens, quem vulgo Mandarinum appellant. Hoc aulici, scribæ, Iurisconsulti, iudices, magistratusque alij vtuntur, qui inde etiã Mandarinorum vulgo nomen obtinent.

Lingua eruditorũ apud Chinenses.

Labores subterfugere, aut in ocio vitam degere, nemini concessum est, mendicare & ad stipem manus porrigere, apud ipsos inauditum, diligenter enim ne hoc fiat cauetur, & propterea morbo implicitos grauiore, aut aliqua corporis parte debiles, qui sibi victum parare non possunt, cognatis, affinibusque alẽdi attribuuntur, si propinqui desint, vel propter inopiam eos alere non possint, causa probè cognita, ne quid subsit fraudis, in regia valetudinaria deportantur. Luminibus capti & cæci, si premat egestas, pristino, manci vero & & quoquo modo mutili, dum suppetunt vires alijs alij ministerijs adhibentur, vt nullus ita inertiæ vel ignauiæ cuiquam locus pateat.

Mendici in China nulli.

Vſurarij apud Chinenſes puniũtur. Fœneratores, vtpote Reipub. noxij, cum alijs pœnis, tum pecunia mulctantur in fœnore depræhenſa. Debilibus tamen, aut cæcis, ex infima plebe, ad ſuſtentandam inopiam, aliquid vſuræ nomine exegiſſe impune eſt. Suarum quiſque mercium inſtitor deſcriptum indicem, pharmacopolæ etiam ſingulorum ſimplicium, quæ appellant, ſpecimen tabernæ foribus habere præpoſitum coguntur. Ea ſæpe ab Aedilibus inſpiciuntur, neque componendi, miſcendive, niſi præſens neceſſitas vrgeat, neque compoſita diutius aſſeruandi cuiquam facultas permittitur.

Pecunia Chinenſiũ qualis ſit. Pretia rerum, non moneta nummiſve, ſed, ne locus adulterandi ea pateat, conciſi maximè argenti vel auri pondere metiuntur, quo quidem vſu forfices, habilemque trutinam, ligneæ incluſam thecæ, in ſinu circumferunt, ad maiora vero pondera libram quandam publice probatam obſignatamque cum lancibus domi continent. Teruncios duntaxat ex ære, publica forma percutiunt, geſtantque pertuſos in linea, ſupplendis argenti aurique pretijs, vel etiam ad quiſquilias coemendas idoneos. Nihil enim quod vlli vſui eſſe poſſit, perire per incuriam ſinunt, ita vt excrementa etiam & ſordes ad ſtercorandum agrum, viliſſima ſcruta ad chartarias officinas, & ipſa denique canũ oſſa in cælaturam & ſculptilia conferant.

Volucres capiendis piſcibus aſſuetæ. Vocales & geſticulatorias aues enutriunt impenſa cura, venduntque præter naturalem colorem vario etiam veſtitu ornatuque diſtinctas. Inter alias vero, prægrandes ac domeſticos coruos habent, capiẽdis piſcibus aſſuetos.

Horum

Horum colla nodo ita laxo constringunt, vt nequaquam interclusa respiratione, cibos tamen transmittere ac deglutire non valeant, ita è caueis dimissi, admirabili solertia sese in aquas immergunt, pisciculos minutos ore cõceptos, maiores autem rostro appræhensos, domum, vnde abierant, identidem referunt, piscationemque hanc tamdiu continuant, donec solutis omnino faucibus, ad satietatem ipsis vesci, (saturata prius omni familia) piscibus allatis permittatur. Et ea quidem magistratuum oblectamenta sunt præcipua. Peregrinationibus, si quas forte quis instituere velit, nõ iumenta modo, sed etiam varij generis cisia, lecticæ, pilanta & currus deseruiunt, accedunt thedæ & vehicula, partim equis iuncta, partim etiam, vbi camparum planicies & æqualitas patitur, velis euntia, tanta enim est eorum prudentia & sagacitas, vt currus fabricarint rotis & velis aptos, qui nullo impellente, vẽtis mediocriter spirantibus per campos & loca plana, æque ad nauigia per mare, iucudo astantiũ spectaculo ferantur, aurigis non minus peritè atque scienter, quam à nautis fieri solet, gubernacula moderantibus, & varia velorum inflexione, prolato vel reducto, prout opus est, pede, ventos excipientibus.

Peregrinationes in China quomodo fiant.

Currus instar nauigiorum volantes.

CAPVT LII.

DE RELIGIONE ET SVPERSTITIONIbus Chinensium varijs, deque summa, fidem Christianam propagandi, difficultate.

DE religione & ritibus ceremonijsque

Religionem Chinenses paruum curant.

Chinensium varijs vt aliquid etiam dicamus, eius quidem quæ prima & præcipua esse debebant, postrema gēti cura est, sacrificulis, (quos patrio sermone Hoxones vocant,) exiguus admodum honos exhibetur. Templa vulgo adeunt consuetudine magis & instituto quodam, quam quod mortalia curari à Dijs, vel humanis etiam dictis, factis & cogitatis interesse cæleste aliquod nomen existiment. Euangelium sane, sunt qui credant, ab Apostolo Thoma eos accepisse, quod ipsum quidem etiam imago proceræ alicuius mulieris, paruulum in sinu infantem fouētis, testatur, cui etiam hodie lychnos & candelas accendunt: Verum nec Apostoli vlla ibi amplius mentio, nec cuiusnam ea effigies sit interrogati, respondere possunt, adeò vel ipsa regionum longinquitate, vel diuturno operariorum desiderio, in ea terra semen omne Christianæ pietatis interijt. Qui sapientiores habentur, ij arcanis, & quæ non temerè vulgent, decretis, Pythagoræ fermè somnia de transmigratione animorum amplectuntur & sequuntur.

Chinensium de mundi & primorum hominum origine opinio.

Mundum vniuersum ex aqua initio conditū affirmant, quæ vehementius agitata, è spumis ampullisq;, cælo, ex imis vero & crassioribus partibus, terræ materiam præbuerit, reliquis sibi reseruatis. Interrogati quisnā initio aquas agitarit? sponte ciendi vim ijs inditam fuisse respondent. Rursus vbi quæritur à quo eam ipsā vim atque virtutem acceperint? subrident quasi planè ibi subsistendum, neque amplius procedendum sit. Primos homines, vnà cum cæteris animantibus ac plantis, aiunt, è terra extitisse,

tiſſe,ac ſine legibus aut vllo iure,vagos, feroſque arborum baccis,terræ radicibus, crudiſq́ carnibus veſci,& ſanguinem potare initio ſolitos fuiſſe,donec ratione duce & magiſtra,frugibus ali,tecta moliri,& vrbes condere didicerint,adhibitoque ſtudio, à barbara & agreſti paulatim vitæ,ad cultum & manſuetudinē traducti ſint. Immortalitatem animæ credunt, vtq́ue pro meritis actæ vitæ,ſua cuique pręmia atque ſupplicia, ex communi omnium gentium opinione conſtituunt,& ſedes fingunt,cūctis ijs,quæ vulgo vel ad felicitatem prima,vel ad miſeriam extrema dicuntur,refertas. Hinc capillum tam diligenter nutriunt, quod credant ea ſe tanquam anſa in cælum aliquando ſublatum iri,ſacrificuli tamen contra eum abradunt,quod ſine tali adiumento ſydera ſeſe conſcenſuros eſſe confidant.

Muta plerique ſimulachra vel etiam informes lapides adorant, namque ij fermè Ethnicorum Dij ſunt, præterea artis cuiuslibet inuentores,alioſque priuatim aut publicè bene meritos,ſimiliter etiam parentes amicoſque ſuos,quos in hac vita charos habuerunt, inter numina poſt mortem referunt,ſtatuas & templa ipſis ponunt,& thura adolent. Alij ſolem & lunam,ſtellaſq́ue & cælum præcipuè ipſum, unde cuncta in terras bona promanent, omni ſtudio colendum exiſtimant,& hi quidem ſolem lunamq́ue coniuges eſſe aſſerunt, defectū eorum,& quādo is fortè in Eclipſibus accidat, multis ſacrificijs,ne de vita periclitentur, expiantes. *Dij Chinenſium quales.*

Sunt qui inferna venerentur monſtra,colu-

mis

mis succincta & igneo vomitu horrenda, cuiusmod: Cacodæmones in Europa depingimus. Habent etiam in templis suis, Cacodæmonis quandam statuam, editiore quadam, sed obscuro tamen & tenebricoso loco constitutam, horrendo admodum aspectu, caput enim tribus coronis cum exertis vastis cornibus cinctum est, facie terribili & formidolosa, pedũ manuumque loco vngues exerit, & faciem insuper ventri impositam ostentat. Ad idolum hoc flexis genibus in faciem prouoluuntur, & capite terram aliquoties feriunt. Hoc facto, quicquid forte attulere, seu fructus seu res aliæ sint, supra aram eidem offerunt & pedibus eius subijciunt. Postea in genua confidentes, capite, quasi dormitantes, nutare incipiunt, dum Cacodæmonem satiatum esse oblatis suspicantur, tum enim quod in ara adhuc superest, donum secum auferunt, eoque postmodum cum suis, magna lætitia vescuntur. Hoc autem omne, non tam impetrandi cuiuspiam commodi quam depellendi maleficij & incommodi causa faciunt. Obuersantia enim interdum eiusmodi visa maiorẽ in modum extimescũt, & ad Deum quidem placandum, nulla oblatione opus esse, cum is natura sua optimus sit, Cacodæmonem vero, tanquam Genium malũ & ad nocendum paratum, sacrificijs eiusmodi leniendum & placandum esse, ne quid sibi dãni intentet, afferunt.

Idolum Chinensium horribile, & cur ab eis colatur.

Qui simulachris vel idolis diuinos honores habent, hoc inter cætera vel inprimis ridiculo superstitionis genere vtuntur. Idolum humana forma tribus capitibus effigiatum passim

Superstitiones Chinensium ridiculæ & variæ.

ſim in templis habent. Ad captanda igitur terra marive itinera, vel grauiores quaslibet res auſpicandas, adhibita ad ſtatuam precatione, ſortes obſeruant, quarum ritus huiuſmodi eſt: Dimidiata duo ligna, quorum vtrumque ex vna parte planum, ex altera rotundum ſit, filo vel traiecta vel colligata, coram idolo temerè & fortuito in altum proijciunt. Quod ſi ambo in planum latus decidant, omen fauſtum erit, ſi vero vel ambo in rotundum latus, vel alterũ in planum, alterum in rotundum decidant, infauſtum omen exiſtimant, vnde idolum verbis & iurgijs malè admodum accipiunt, deinde quaſi pœnitudine contumeliarũ ducti, delinimentis rurſus votiſque & ſupplicationibus illud propitiare contendunt, petentes vt ſortem ſuam fauſto nutu ſecundet. At ſi porro ligna inæquali poſitu decidant ſorteſque aduerſæ appareant, idolum illud acerbius plectitur, ad verba enim accedunt verbera, in aquas proijcitur, amburitur igne &c. Deinde blanditijs denuo & promiſſis placatur. Atque in hac viciſſitudine tamdiu perſiſtunt, donec ligna illa optato iactu in planum vtraque decidant. Tũ vero modulato carmine, laudes grateſque inani & fictitio Deo agunt, mox etiam egregiè cõditas coctaſque gallinas, anates, anſeres, oryzam, & quod præcipuo in honore menſarum eſt, ſuillum caput, cantharumque vini ſiue potus ſui idolo offerunt. Ex ijs vbi ſingulis aliquid in diſco, porcini nempe capitis imas auriculas, reliquarum altilium vngues, & potus ſui guttas aliquot, in ara idolo appoſuerint, (qui vetus libandi mos eſt) cæteras ipſi dapes

magno

Oracula apud Chinenses quomodo fiant.

magno cum tripudio & effuſa lætitia comedũt & abſumunt. Oracula tali modo conſulunt. Hoxionum ſiue ſacrificulorum aliquis, pronus in terram procumbens, manus pedeſque expandit, adſtat alius qui in libro legat, legenti reſpondent cæteri cantu & nolarum pulſibus. Interea ſpiritus malus procumbentem in terra inuadit, qui facie horrendum diſtorta, quærentibus reſponſa dat pro oraculo. Quod ſi vero hoc modo reſponſum impetrare non poſſint, inſternunt pauimentum rubro ſtragulo, oryzamque ſuper illud diſſeminant, hoc facto, alicui ex aſtãtibus, qui nec legere nec ſcribere ſciat, lignum in manus porrigunt, qui dũ legunt, canuntque & nolis pulſant alij, characteres incipit in oryzam pingere, quos Hoxionum aliqui depictos colligunt, & reſponſum inde poſtmodum eliciunt. Si fortè naues quædam primum deducendæ ſint, eas Lunæ vel alij cuipiam fictitio Deo dicatas, varijs expiamentis & ſupplicationibus luſtrare moris eſt.

Aegrotos quomodo conſolentur Chinenſes.

Agonizantibus & morituris idolum Hoxiones exhibent, ita pictum, vt comminanti ſimile ſit, & vna manu ſolem, altera pugionem ſtrictum teneat, hortanturque ægrotum, vt fixis illud oculis intueatur, quo in altero mundo magis propitium atque amicum experiatur.

Mortuorum Chinenſium exequiæ.

Mortuorum exſequiæ hunc ferè in modum celebrantur. Patrem familias, vt expirauit, abluunt propinqui, inuolutumque inuolucris beneolentibus, in cathedra vel ſella collocãt. Huic ad pedes procumbens vxor primum, deinde liberi, reliquiq; propinqui & amici, cum lamentis & lachrymis vltimum vale dicunt.

Poſtea

Poſtea corpus in arcam includunt, ex odoratis & tardè putreſcentibus lignis paratam, cõmiſſuris cum alio ſpiſſamento ne fœtor exeat, tum lamina ferrea diligenter obſtructis. Eam arcem in amplo conclaui, veſtitis linteo albo parietibus, conſtituunt, linteoque peculiari tegunt, in quo picta defuncti imago cernitur. Ante id conclaue, aut in ipſo ędiũ veſtibulo, ſtant menſæ opiparis dapibus onuſtæ. Arca vero per quindecim dies domi aſſeruatur, interea cognati & amici, locum iſtum officij cauſa frequentãt. Hoxiones vero ſiue ſacrificuli, noctu præſertim, piacularia ſacra Dijs manibus faciũnt, & chartam illuminatam ſiue pictam vel ſuper demortui cadauer. Cum certis carminũ decantationibus cremant, vel prætentis toto conclaui funibus, appenſam, agitant, eo motu animam defuncti ad aſtra tolli dicentes. Peractis hiſce ceremonijs, ſacrificuli ſeſe cibo ingurgitant, eaq; illecti ſagina, locupletum præcipue funeribus inhiant. Poſt decimum quintum diem, arca in campum ſepulturæ dicatum ſolenni pompa devehitur, & ſepulchro pinea incidua infigitur, quæ donec exareſcat, ibi permanet. Proximi agnati defunctos biennium vel triennium lugent, craſſiorem tunicam eo tempore induentes & horrida ſeſe reſte ſiue fune præcingentes. Si quis ex proceribus moriatur, eiuſdem vxores famuloſque ſimul vita priuant, & vna cum hero ſepeliunt, appoſitis ad ſepulchrum edulijs & ſupellectile varia, vt eo comitatior & inſtructior eo abeat, vnde redire quenquam poſſe negant.

Cæterum reperiũtur inter eos nõ pauci qui

Deos

Chinenses Deorum cõtemptores. Deos contemnant,& omnem de ſpiritibus opinionem imprimè derideant, vnum eſſe interitum hominum atque iumentorum, neque poſt mortem reſtare quicquam arbitrantes. Atque huic quidem de ſuperis perſuaſioni conſentanea hominum ipſorum inter ipſos fides eſt, quam eatenus colunt, quatenus commercij neceſſitas & fructuoſa exiſtimationis ratio poſtulat, ea remota, nequaquam ij ſunt, quibuſcum in tenebris mices. Quin etiam totius humanitatis multis in rebus expertes videntur, alienigenam enim fermè auerſantur, & interiore vſu hoſpitioque prohibent, elato ſupercilio reliquas omnes gentes præ ſe contemnentes. In hoſce mores & inſtituta Chriſtianam religionem inſerere, quantæ molis ſit, quilibet non imperitus rerum exiſtimator facile iudicauerit, obſtant enim regia edicta & difficultas introitus, vt dixi, obſtant conſpirationes antiſtitum, qui peregrina in eas terras inferri ſacra, & extorqueri ſibi nefarios quæſtus, coarguique mendacia minimè patiuntur. Obſtat regionis item feracitas & libidinum illecebræ, ac cætera malorum irritamẽta. Obſtat denique, quo nihil cæleſti doctrinę inimicius eſt, faſtus & ſuperbiã, ſuarumque rerum amor quidam infinitus. Quod accedunt etiam educatio puerilis, & fabulæ, opinionumq; ſeu nugarum hauſta cum ipſo lacte peruerſitas, de quibus plura hic referre operæ precium non videtur.

Religionem Chriſtianam Chinenſibus communicare quam ſit difficile.

Luſitani legationem in Chinam ſrn Anno Chriſti 1552. Franciſcus Xauerius ex Iaponia Goam reuerſus, cum Didaco Pereria, Chinarum vtcunque littoribus adſueto, conſilium

filium suum de prædicando Chinēsibus Euangelio, communicauit. Aptius autem nihil vtrique visum, quam vt à Lusitaniæ Rege ad Regē Chinensem cum literis & muneribus oratorem impetrarent, sperabant enim rem eam, infeliciter olim quorundam (vt supra dixi) culpa tentatam, mitigatis ipsa die Chinensium animis, modo temeritas abesset & fraus, multo iam melius cessuram, & in huius noui legati comitatu, posse Christi nuncios in ipsa mediterranea Chinarum loca dissimulanter induci, qui vel aliquam linguæ consuetudinem, vel interpretes certè nacti fides, magno deinde animo, diuina fauente gratia, sementem Euangelij ibi facerent. Cum ea maxime ratio vtriq; probaretur, legationem sibi Pereria ipsemet deposcit, reliquo Xauerio munere relicto, cogitationes igitur suas Episcopo & Proregi Goano aperuerunt, quæ cum vtrique laudabiles viderentur. Prorex quidem haud grauatè principem legationis Pereriam declarauit, eidemque conciliandæ fidei literas ad Chinensium Regem, nomine Regis Lusitaniæ attribuit. Xauerius interea Indicarum prouinciarum res, ne quid per suam absentiam detrimenti caperent, ordinauit, omnibusque ex publica vtilitate constitutis, iter cum Pereria ingressus est. Periculosa autem admodum fuit nauigatio, cumque superatis aliquo modo periculis, Malacam peruenissent, graui repente, vnde minimè oportuerat, cum bonorum omnium dolore discussa tota legatio est. Præfectus enim qui Malacam tum obtinebat, haud satis æquo in Pereriæ dignitatem animo, Coloniæ infrequē-

stra instituunt.

Legatio in Chinam suscepta impeditur.

tiam, acceptasque clades & imminens ab Ace-
no bellum, causatus, nauem legati legatumq;
ipsum portu excedere vetuit.

Franciscus Xauerius in Chinam prædicatum Euangelium nauigare cõstituit.

Cum igitur obstinatam eius mentem nec a-
micorum hortamenta, nec Pereriæ obtestatio-
nes, nec Proregis decretum & literæ, nec Xa-
uerij expostulatio, causæ bonitas flectere vll
ratione valerent, Xauerius quanquam tanto
præsidio ac spe subito destitutus, haud tamen
idcirco despondit animum, neque consilium
expeditionis istius abiecit, sed solatus Pereri-
am atque ad obliuiscendam iniuriam, condo-
nandasque Christo inimicitias adhortatus
cum Alexio Ferreria & duobus pueris, quorum
alter Chinensis natione, in Goano Diui Pauli
collegio à primis annis educatus fuerat, ali-
quam tamen adhuc linguæ patriæ notitiam re-
tinebat. Sanctianum igitur, quæ Chinensium
insula est, hoc comitatu aduectus, ante omnia
in littore temporariam ædiculam ex obuia
materia, raptim extruxit, ibique rem diui-
nam quotidiè facere & Lusitanos negotiatores
omni officio adiuuare instituit. Simul vero ex
Chinensibus, qui ad insulam eam commercij
causa veniebant, peritum interpretem sibi pa-
rauit, qui tamen pœnarum metu, fidem fefel-
lit. Interea ab alijs de gentis moribus, legibus
institutis, diligenter quærebat, nec non de ra-
tione in eas sese vrbes insinuandi, quam quidẽ
illi rationem, licet sine euidenti capitis discri-
mine, propter seuerissima interposita edicta
iniri posse negarent, Xauerius tamẽ ex ijs, quæ
de Chinensium indole ingenioq; subinde au-
diebat, acriore indies studio accendebatur, tã

doci-

docilem,politamque alioqui nationem ex gẽtili caligine & tenebris eiiciendi. Dummodo igitur Euangeliũ afferre miseris quoquomodo liceret, omnes cruciatus & molestias,mortẽque denique ipsam cum eorum salute non solum æquo,sed etiam lubenti paciscebatur animo.

Huic Xauerij voluntati studijsque maximè Lusitani obsidebāt,partim ipsius charitate,quẽ diligebant oẽs ac reuerebātur vnicè,partim vero nimia solicitudine & cura suarũ fortunarũ moti,metuebāt enim ne vetitos intra fines,nõ impetrata fide publica,depræhensus subito Europæus sacerdos,non ipsemet tantum acerbissimas illico pœnas daret,verum etiam denuo in Lusitanum omne nomen regiorum satellitum furorem atque iras accenderet. Crudelitatis igitur eorum cum vetera documẽta promebant,tum etiam recens inLusitanos aliquot edita,qui tempestate in littus eiecti,compræhensi confestim ab incolis, teterrimo etiamtum carcere tenebantur. Quod si naufragis euenisset,quid tandẽ illi futurũ,qui sese prudens volensq;,nullis cuiusquā opibus vel cõmendatione fultus, intra illorũ præsidia & septa non dubitasset includere? dicebant: Deinde, vt maximè cuncta experiri libitũ foret, quā tandem facultatẽ habitura res esset? calcaturus ne cum comitibus æquora,an centum fere millia passuum (tantum enim adhuc intererat spatij,) trabe vel tabula traiecturus? rogabāt. Portitoris enim & nauicularij nullam omnino copiam fore dicebant. Lusitanas naues omni appulsu continentis arceri, Chinensibus autem

Lusitani Xauerium à proposito in Chinā nauigandi dehortantur.

capitale esse, quenquam externum iniussu Præfectorum inferre. Quod si quis adductus pretio suam in id operam quamuis occultè detulisset, verendum tamen, ne pernumerata mercede, receptum cum inermi socio puerisque peregrinum, vel in deserta quapiam insula per scelus exponeret, vel breuiore facinoris compendio, ne quid indicij emanare posset, in altũ mare è naui abijceret.

Xauerius iter Chinam versus ingressus, moritur.

Hæc & alia tametsi à Lusitanis haud absurdè proponerentur, nunquam tamen Xauerius de sententia dimoueri potuit, tantum, quod ad ipsorum incolumitatem & mercimonia pertinebat, omnem illis timorem ademit, persanctè pollicitus, non ante se quo constituerat, abiturum, quam confectis ipsi negotijs, à Sanctiano iterum soluissent. Cæterum à transmissione in id tempus præparanda nõ destitit, verum mercatores Chinenses, ad quos necessario confugiendum erat, ea de re appellati, officiũ suum omnes denegabant, euictus tamen ad extremum vnus pecunia est, cui cum Xauerio in hæc pacta conuenit. Nauem excluso omni remige, nauta & vectore, suis duntaxat filijs famulisque, ad Cantonis suburbia deueheret, Xauerium eò allatum per dies tres vel quatuor domi suæ clam haberet, & postmodum intempesta nocte cum sarcinula & libris ad portam vrbis nemine conscio deponeret, vt perductus inde ad tribunalia Xauerius, quicquid liberet de religione rebusque alijs, suo periculo explicaret, prorsus tamen cuius opera transvectus fuisset, occultum haberet, eidemq; nauli siue pretij nomine tantum piperis daret, quan-

quantum ducentorum paulo amplius aureorum summam efficeret, id enim piper Lusitani Xauerio, cum ab incepto eum reuocare non possent, elargiti in hunc vsum fuerant. Hac igitur pactione transacta, condictum profectioni tempus Xauerius per summam cupiditatem expectabat, Ferreriamque aduersa valetudine laborantem, cum Lusitanis abeuntibus in Indiam remittebat. Accidit autem, vt cum iter iam ingressus esset in febrem incideret, itaque cum dies aliquot ea acerbè admodum vexatus esset, & nauis in mari iactationem ferre amplius non posset, ad littus subuectus, sese in casam quandam apertam & vento frigorique peruiam, recepit, vbi paulo post omnibus destitutus, cum ad refocillandas vires nihil omnino suppeteret, in summa rerum omnium egestate & penuria mortuus est.

CAP. LIIII.

DE MODERNO CHINENSIS REGNI, statu, & conatibus Iesuitarum in conuersione Chinensium varijs.

ANnis proxime elapsis, ex Iaponicis insulis) de quibus suo loco etiam dicturi sumus,) Iesuitæ, vnum atque alterum ad Chinense regnum, tentatum, si qua forte insiduandæ ei religionis Christianæ via peteret, ablegarunt. Hi in Magistratuum gratiam & fauorem ita sese insinuarunt, vt non solum in Xauchino reciperentur, sed etiam authoritate magistratus suffulti, ad meditullium Chinarum penetrarint, & alias lustrare prouincias potuerint Cō- *Iesuitæ in Chinam profecti gratiā & fauorem apud magistratum experiuntur.*

municato igitur inter se consilio, Odoardo Sãdio & Matthęo Riccio in Xauchino relictis, Michaël Rogerius & Antonius Dalmeida ad nouas sedes indagandas profecti sunt, idque si ne Magistratuum grauiori aliqua offensa, qu etsi initio difficiliores alicubi sese præbere v derentur, pios tamen ipsorum conatus noi turbarunt, sed quasi Chinæ incolas inter cæte ros eos agere permiserunt, vt non mediocri iam spes affulgeat, Deum Opt. Max. qui præ ter omnium ferè expectatiõé, ingressum ad eo difficilem, ad Regnum hoc patefacere in cepit, magis magisq́; eũ aperturum, & suos eti ibi fideles successu temporis habiturum esse Ne igitur, quid hac de re sentiendum & tenen dum sit, lectorem fugiat, operæ precium fue rit, ex Iaponicis epistolis, quid de religioni in hoc regno successu, perscriptum ad nostra manus peruenerit, colligere, & legentium o culis hic exponere.

Bonzij siue sacrificuli quam apud omnes contempti & abiecti sint.

Initio igitur sciendum est, non exiguam Ie suitas persecutionem in Chinensi regno pas sos fuisse, idque omnium maximè cum Hoxio num siue (vt in Iaponia sacrificuli vocantur Bonziorum habitu incederent, putabant qu dem ipsi, plurimum sese profecturos, si religi oso ipsorum habitu vtentes, religiosos sese e se ostenderent, verum falsi sunt admodum & decepti opinione sua, Hoxiones enim siue Bo zij apud Chinenses, contra reliquarum genti um consuetudinem abiectissimi sunt, & de fe ce plebis habentur Non solum enim Mandari nis seu Præfectis, seruire coguntur, cum qu .... non nisi genibus nixi agunt, vt ma

gr

gni fauoris loco habeatur, si in pedes erecti, cum illis loquantur, verum à reliquo etiam populo parui æstimantur, quod eas parum honestos, libidinosos, & ignorantes, sine vlla arte, humanitate, ingenio & literis credant, qui hoc genus vitæ elegerint, vt sine cura & labore, pecorum instar, ventrem farcirent. Cum igitur Iesuitæ obsoletiore & eo nomine & vestitu initio vterentur, eodem etiam loco habiti, & persecutionibus varijs iactati fuerunt, animaduertentes itaque habitum eum impedire, quem ab hac gente sperabant animarũ cultum, literatorum Chinensium vestitum & ornatum honestiorem sumpserunt.

Iesuitæ habitum & vestitum mutantes gratiam apud Chinenses inueniunt.

Hanc deinde habitus mutationem secuta est, ingens apud Chinenses autoritas, autoritatique adiunctus singularis affectus & amor, tum ob similitudinem eiusdem professionis & habitus, tum quod hoc cultu externo familiaribus sermonibus locus daretur, cum vtriusque partis honestate & decoro coniunctus, aberat enim timor, quem primo conceperant, eleuandæ autoritatis suæ, approbata doctrina Bonziorum externorum, quo nomine Iesuitæ primum vocabantur. Cæperunt igitur vbique Iesuitæ pro literatis, sed nomen, vestem, visitationes, dona, cæterasque ciuilis & politici ritus rationes spectes, honorari, & autoritatem hanc existimationeq; nõ apud literatos modo, sed Mandarinos etiam & Regiæ aulæ asseclas, passim obtinere, præsertim cum, qui secretè & dolose res eorum obseruabant, & paulo familiarius cum ijs agebant, nihil in vita eorum inuenirent, quod culparent, atque ita

vitæ honestæ & insignis doctrinæ famam hinc inde de eis spargerent. Erat inter cæteros præcipuus quidam & maximè literatus vir, nomine Thaisius, cuius pater Mandarinum agebat summæ probitatis & in vniuersa China notissimum, vel ob grauia Regni onera feliciter administrata, vel ob libros, quos à se doctissimè conscriptos, posteritati reliquerat. Hic Thaisus multo tempore cum Matthæo Riccio diuersatus, Mathematicas quasdam demonstrationes & tractatus ab eó audierat, vnde talem erga Iesuitas induit affectum, vt veluti tuba & præco eorum passim existeret, cum enim nobilissimus esset, & inter grauissimos literatos, cũ Tutanis h.e. Prouinciarum procuratoribus alijsque proceribus conuersaretur, vbique & apud omnis generis homines, tam honorificè de hoc hominum genere loqui cæpit, vt cognoscere eos, & in amicitiam eorum sese insinuare omnes inde optarent, clarissimè fatentes, apud Chinenses doctrinæ eiusmodi genus quale literati Europæi profiterentur, inauditũ hactenus prorsus fuisse. Cõtinebant sese Iesuitæ initio maximè in Cãtonij ciuitatibus, quæ prouincia, aliarum comparatione, rustica admodum est & agrestis, Mandarini igitur eos ad suas prouincias postmodum inuitarunt, eã afferentes rationem, quod ferre non possent, vt inter Manginos, h.e. syluestres & barbaros illos homines, tam literati viri hærerẽt, quod si igitur politiam, ciuilitatem & splendorem Chinarum videre cuperent, relinquerent corticem, & ad medullam vsque siue viscera Regni penetrarent, monebant.

Chinenses Iesuitas cõmendant.

Ex

Ex hac Chinensium erga se affectione spē bonam conceperunt Iesuitæ, fore vt ad Christianam religionem subinde aliqui conuertantur, atque ita ipsi cum vberrimo fidei Christianæ fructu ibi versentur, idque eo magis, quod gens ea ad amplectendū Euangeliū tā probè cōposita & comparata sit, vt nullius vnquam par extiterit ad iugum Christi admittēdum facilitas. Nam vt appareat, quanta sit Chinensium in Christiana instituta inclinatio, & quam apti compositique sint, vt erigi inter illos præceptionum consiliorumque Euangelicorum fabrica possit, rationes quasdam ex moribus institutisque ipsorum petitas haud leues afferunt. Primum enim consentiens & cōcors est maximè Regni totius status, cum in varios Dominatus aut Principatus (vt suo loco annotauimus) non sit diuisus, sed vnū Principē agnoscat, & tam magni quam parui æqualiter vni Regi atque Monarchæ subditi sint, qui Pachini continenter residens, summo cum imperio totum regnum administrat, tanta communicatione, & negotiorum singularium cuiusque ciuitatis & prouinciæ cura, ac si vel familia vna, vel exigua quædam ciuitas esset. Hæc singularis concordia & subditorum cum Rege suo communicatio atque coniunctio, magnum momētū afferre potest, ad eos ab errore ad veritatem conuertendos, Regis enim voluntate in fidem Christi inducta, facile in eandem vniuersum, adeo ei subiectum & consentiens regnum traduceretur.

Chinenses quam ad amplectendum Euangelium comparati & faciles sint.

Chinensis regni status vnanimis & consentiens.

Ex hoc autem voluntatum & studiorum

Lingua Chinensiū vna.

cõſpiratione,fit,vt vna ſit lingua Regno communis,quam Mandarinorum vocant. Hæc ab omnibus intelligitur tametſi non omnes eam loquantur,quod ipſum etiam faciliorem reddere poteſt Euangelij diuulgationem cum cognita lingua vna,tot & tam vaſtis prouincijs ad veritatem adducendis aliquis ſufficere poſſit. Accedit huc quod Chinenſium regnum fertile admodum & vbertate agrorum, varietate fructuum,aliarumque rerum multitudine abundans neque Europæis regnis abſimile ſit. Incolos præterea habet induſtrios & proinde opulentos,commeatum item & quæ ad vitam tuendam ſuſtentandamque neceſſaria ſunt,vilis pretij. Quare accepta fide Chriſtiana,ali ibi poſſunt plurimi fidei adminiſtri nullo aliarũ gentium onere,ſecus atque in Iaponia,vbi (vt ſuo loco dicemus) tanta eſt inopia & rerum omniũ egeſtas,vt Chriſtianæ fidei doctores paupertatem & domeſticas difficultates,foris ſibi eleemoſynas & vitæ adiumenta procurare cogantur. Sunt apud Chinenſes infinita prope Hoxionum ſiue Bonziorum domicilia, quæ omnia Regijs ſumptibus & fructibus annuis ſuſtentãtur,& conferuntur ijs à perſonis alijs plurima,tametſi in delubris & ſimulachris eorum nullam ſpem Chinenſes reponant, vt multo plus facturi ſint, vbi ſe pro vno centuplum accepturos & æternam vitam poſſeſſuros cognouerint.

Chinenſis regni fertilitas.

Chinenſium erga ſacrificulos liberalitas.

Præterea Chinenſes figura corporis ſunt habili & forma naturæ accõmoda, moribus vero aptioribus & ad virtutem compoſitis. Natura ſunt faciles atque manſueti, in inceſſu, officijs,

Mores Chinenſium ad virtutem compoſiti.

ciis, vsu consuetudine, decori obseruatissimi. Nullum armorum genus, ne quidem cultrum gestant, nisi sint milites, & hi quidem etiam nō nisi cum in præsidijs versantur, domi enim vel in itinere armis non vtuntur. Vestibus virorū æque ac mulierum laxus & oblongus est, ad talos vsque dependens, simplex & eiusdem prope formæ, quem à multis seculis retinuerunt. Incedunt ferè semper tectis manibus, quas togæ manicis inuoluunt, nisi quando flabello, quod omnes ferè, etiam plebei, artifices & rustici, ad aërem ventilandum, circumgestant, occupentur. Mirum illud, quod cum ex plebe quispiam cum altero contendit, totam altercationem quatuor pugnis aut asperioribus verbis, absoluit. Certe decoro, honestate, & mansuetudine non patiuntur se ab Europæis etiam religiosis superari, vt ita habiles admodum ad religionem Christianam admittēdam videantur.

Studia literarum apud Chinenses maximè vrgent & coluntur.

Iam quod ad studia literarum attinet, non existimo vlla in historia reperiri gētem adeò studiosam & literarum amantē, cuius hæc præcipua ratio, quod Rex (à quo vt membra à capite dependent omnes) officia & munera publica prouinciarum, iuxta vniuscuiusque eruditionem, & quem in literis assecutus est gradum, distribuit. Quare omnes nullo discrimine vel delectu studiū in literis ponūt, vt dignitates & honores gradus cōsequātur. Sūt in China tot Athenæ, quot ciuitates & castella, quælibet. n. ciuitas Gymnasiū & Academiā habet, vbi docētur & examinētur incolæ, idq; tā incorrupto iudicio tātaq; p̄sidū & Examinatorū integrita-

integritate, vt primum de ſcriptione iudicium fiat,& præmia graduſque pro merito conferantur, antequam Scriptoris & Authoris nomen ſigillo auulſo referatur & aperiatur. Perficiuntur autem Regijs ſumptibus & impenſis omnia, quę cauſa eſt, cur nemo ſtudia refugiat, nec in pretio ſit, aut alicuius æſtimetur domus illa aut familia, quæ Bibliothecam librorum multitudine inſtructam non habeat, quam plerique in villis erigunt, in quas ſe maioris quietis & ſtudij gratia recipiunt. Hinc fit vt apud Chinenſes literati ſine numero reperiantur, & dici poſſit, omnes fere Chinenſes literatas eſſe, paucis tantum mercatoribus, artificibus, ſeruis & agrorum cultoribus exceptis, qui tamen ad minimum legere & ſcribere omnes didicerunt. Hæc omnia quilibet intelligit permagni eſſe ponderis, & multum valere, vt cæleſti doctrina augeantur, cum enim ad fidei noſtræ myſteria intelligenda animis ſint exercitatiſſimis, cumq; omnes legere & ſcribere poſſint, Chriſtianam certe doctrinam memoriæ mandare difficile ipſis non erit.

Prudentia Chinenſium politica.

Præterea multas habent leges & iuris, æquique regulas, ex modis autem Rempub. optimè adminiſtrandi, præcipuus & proprius eſt, dubia quæ incidunt & deliberatione indigēt, cū grauiſſimis & doctiſſimis regni cōferre, quod ita fit; Pachini pręlo ſubijciūtur quęſita, indeq; ad ſingulas prouincias trāſmittūtur, quo facto cuiuſcūq; prouinciæ, præſes, ciuitates monet, quo florem literatorū, inprimis nēpe eruditos, ad ſuam metropolim mittunt, vbi Gymnaſium ingreſſi,

ingressi, quid de propositis quæstionibus sentiant scripto committunt, præses deinde cum Assessoribus iudicia percurrunt, meliora separant, & impressa inque Codicem, adiecta prouinciæ inscriptione, relata, Pachinum ad aulã destinant, vbi singularum prouinciarum libri à collegio literatorum & consilio Regio versus examinantur, & tandem coram Rege legũtur, deliberatione habita, quid fieri oporteat, vnde fit, vt quicquid Pachini definitur, tanquã cælitus delapsum, à toto Regno acceptetur. Ingens est admodum consiliariorum & doctorum virorum in regno isto numerus, nam cum in Cantonia prouincia consultatio indicitur, conueniunt ad metropolim tria literatorum millia, qui tanquam flores ex omnibus ciuitatibus & castellis prouinciæ illius electi sunt, ea proportione, vt ex mille, nunc triginta, nũc quadraginta, & ad summum quinquaginta segregentur, Accepto igitur numero maiori cum ad deliberandum triamillia censeantur, sequitur necessario, literatos seu Doctores huius prouinciæ sexaginta millium numerum complere. Quod si doctorum tantus est in prouincia illa numerus, quis quæso literatorum omnium, qui necdum gradum scientiæ & dignitatis adepti sunt numerus fuerit? & si hæc in prouincia vna, quæ quæso multitudo assurget, si qui in reliquis quatuordecim prouincijs reperiuntur docti & literati, huic numero accenseantur.

Doctorum in China quã ta copia & multitudo.

Nouæ prorsus & admirandæ rei, alia adiungitur non minoris admirationis, tot nimirum Doctores & literatos inter se maximè concordes esse,

Consensus circa eiusdam doctrinam oẽ.

Chinensium Doctores sequuntur.

d[illegible]s esse, & omnes vnius magistri, quem Confusium nominant doctrinam obseruare. Hinc enim perspicitur, quantum Chinenses voluntate & iudicio consentirent, si fidem vnam, vnum baptisma, vnumque Deum agnoscerent. Cum vero otium fons sit & origo omnis mali, hocque vnum satis sit ad euertendam funditus quamcunque Rempublicam, hoc quoad fieri potest operam dant Chinenses, vt pestis ea regno exulet, sic occupatis circa laborem omnibus, vt dubium sit, maiorne sit artificium & quorumcunque opificum, an vero literatorum diligentia? tertium enim hominum genus, eorum scilicet qui vagantur & errant, apud eos non inuenitur.

Literatorũ Chinensium in studijs perseuerantia.

Literati equidem acri stimulo incitantur, vt in perpetuo literarum exercitio persistant, qui est, quod non solum dum disciplinas & scientias perdiscunt, seuerè & frequenter examinantur, sed etiam post acceptum dignitatis gradum, singulis annis examen subire coguntur, vbi si deprehendatur doctrinæ eorum aliquid accessisse, in gradum superiorem assumuntur, sin eruditioni quicquam decesserit, graues ipsis pœnæ imponuntur, & subinde ipso gradu priuãtur. Hinc fit, vt vel pro retinẽdo gradu, vel pro superiore assequendo, omnes tã pertinaciter, tantaq; contentione literis librisq; inuigilent, vt aliqui hectica febri inde conficiantur, quidam disrupta pectoris vena extremum vitæ periculum adeant, & sæpe repentina morte in ipso examinis loco corruant.

Omnes

Omnes vero in Magiſtri ſui confuſij, (vt dixi) doctrina, integra & incorrupta ſeruandæ omnem laborem collocant, idque dant operam, vt non ſenſum ſolum, ſed & ipſa verba recitare & numerare poſſint, tam exactè & caute, vt admirationem mereantur. Quæ quidem tenacitas & diligentia quantum poſſet, ne in Chriſtianam religionem, (vbi eam accepiſſent) hæreſes facile inducerentur, quilibet intelligit.

Supereſt adhuc vnum argumentum, quo quam idonei Chinenſes ad accipiendam Chriſtianam religionem ſint Ieſuitæ probare nituntur, illud vero eſt, quod non ſolum res exteriores curare, & vt Rempublicam pacatam conſeruent ſtudere, ſed etiam interiora & quæ animorum propria ſunt magnifacere videntur, diſtribuendis enim inter pauperes eleemoſynis alendis item & ſuſtentandis noſocomijs operam dant: Matrimonium, in quo vir legitimè vnam ſibi vxorem iungit, laudant, vxorem, quæ viro mortuo viduitatem colens alium non ducit, in honore habent, eique priuilegia & immunitates plurimas concedunt. Sui ipſius & actionum ſuarum, maximè quæ ſub ſenſus aliorum non cadunt, explorationem atque examen quoddam inſtituere, maximè in ſuis libris commendant.

Chinenſes quibus virtutibus potiſſimum ſtudeant.

Mortuos magna cura honorant & iuuare conantur, tametſi in vanum & abſque vllo fructu. Mulieres omnes proprijs in domibus abditæ, tanta honeſtate viuunt; quaſi clauſtris quibuſdam coercerentur.

Inter

Parentes suos admodū venerantur Chinenses.

Inter omnes virtutes morales, quibus student, & à quibus commendari maximopere Chinēses volunt, locum primum obtinet obedientia parentibus debita. In hac enim absolutionem perfectionemque hominis consistere affirmant, itaque filij, quando parentes moriuntur, tribus annis continuis in luctu sunt, & toto eo tempore matrimonia non contrahunt, gradus non accipiunt, officia publica non admittunt, imo, si quo fiunt in officio, illud statim deserunt & in domos suas se recipiunt, vt luctui ob defunctos parentes vacare possint. Ad extremum vt nemo nesciat quid sibi agendum sit, pro illis qui legere & scribere nesciunt, qui tamen rarissimi sunt, summa quædam præceptorum, quæ omnes obseruare tenentur. conflata est, vt viua voce publicari ad populum possit, quam in rem, singulis ciuitatis vicis atque plateis sumptu publico hominem quendam designant, qui decimoquinto quoque die, h.e. Lunæ accessu & recessu, eam publicet, eodem igitur tempore, eadem die, imo & hora eadem, paulo nimirum ante solis ortum, in omnibus totius regni ciuitatibus & vicis, sex præcepta, clara voce palam recitantur, quæ sunt; patri & matri obediunto. Maiores & superiores reuerentor. Inter propinquos pacem concilianto. Filios & nepotes docento. Vnusquisque officium suum benè administranto. Nullum peccatum aut crimen admittunto. Hæc equidem præcepta talia sunt, vt omnia nostra secundæ tabulæ præcepta, ijs compræhendantur, vnde intelligitur facile, ad doctrinam Christianam recipiendam Chinenses non parum

Præcepta quæ Chinensibus obseruanda publicè proponuntur.

rum

rum aptos & paratos esse.

Rationes hæ fuerunt, quibus Iesuitæ adducti, non difficiles in recipienda Christianorũ disciplina & fide Chinenses fore autumant, idque eo magis, quod animaduertunt, eos non solum nõ contradicere prædicationibus suis, sed aures ipsis præbere, & quæ dicuntur, magna ex parte approbare. Requirunt autem operarios & socios plures, pauci enim in regno eo sunt, & qui præcipuus est, Matthæus Riccius, nunquam se hactenus totum ad gentem hãc Christo conciliandam, impendere potuit, impeditus nimirum informandis & lingua instruendis socijs adiutoribus, pro quibus subinde ex Europa transmittendis alijs admodum supplicant, Tales autem petunt eo destinari operarios, qui primo studia absoluerint, quod necesse sit, vt libros scribant, vel saltem in Chinensium linguam transferant, siquidem verissimus iste modus sit, gentem eam expugnandi, & victum veritati submittendi, Deinde, qui viribus sint firmis & integris, multum enim temporis viriumque requiritur, vt quis præco vel operarius huic vineæ idoneus reddatur, siquidem non solum linguam nationi communem perdiscat, sed libros etiam & scientias eorum perlegat, euoluat & percipiat necesse sit. *Iesuitæ quales ad conuertendos Chinenses operarios requirant.*

Lingua equidem Chinensium omnium ferè difficillima est, idque ob tres, quas habet conditiones, quarum prima est, quod verba omnia monosyllaba sunt, quæ genus orationis minutum angustum, fractum atque interruptum faciunt, quod nobis quidem offensionem & fasti- *Lingua Chinensium omnium difficilima, & quare.*

dium parit. Altera cauſa eſt, quod lingua homonyma ſit,& vocabula habeat plurima, quæ plures & quidem multum inter ſe differentes res ſignificant, quæ accentibus, aut verius, ſonis muſicis & varia pronunciatione diſtinguũtur, quod ipſum quidem non obtuſas ſed acres & expeditas aures, pronunciationemque claram & diſtinctam requirit, alioqui enim facetijs, cauillationibus & exploſionibus frequẽter locus datur.

Hæc nominum ſimilitudo, ſonorum tantum differentia diſtincta, ipſis etiam Chinenſibus grauis & moleſta eſt, fitque inde vt etiam ipſi ſeſe mutuo vix intelligant & aſſequantur, quare vt omnem remoueant dubitationem, vel ſynonima & eiuſdem ſenſus nomina congerunt, vel per antitheta, contraria contrarijs opponentes ſeſe explicant. Tertia difficultatis ratio eſt, quod alphabeto literarumque indice & numero carent, quælibet enim res ſuam habet notam ſuumque characterem, vel, vt melius dicam, figuram hieroglyphicam, ſic vt toto vitæ decurſu neceſſum ſit nouum alphabetum & literarium indicem addiſcere.

Ad hanc linguæ difficultatem, accedit etiam labor ſtudendi in eorum facultatibus & diſciplinis, qui tantus eſt, vt à noſtris proprio marte ſuperari non poſſit, Literati enim inter ſeſe terminis & phraſibus, à vulgari & communi lingua, (vt alibi etiam diximus) admodum diſcrepantibus vtuntur, ita vt Chinenſes illiterati eos nullo modo intelligant & aſſequantur.

Cum

Cum igitur ea Chinensium natura sit, vt magistros sibi nullos assumant, nisi quibus per totam vitam cum honore se submittere possint, nec doctos etiam aliquos existiment, nisi eorum facultates & scientias profiteantur & teneant, necesse vtique est, vt qui in conuertendis eis vtilem ipsis nauare velit operam, ita per omnia instructus & informatus sit, vt proprijs eorum armis errores confutare, & libros nostros in linguam Chinensium conuertere possit, quod ipsum quidem sine assiduo labore & frequenti exercitatione nemo assequetur.

Cæterum laborem hunc adeo iam leuem factum assiduo Matthæi Riccij studio affirmant, vt aduentantes ex Europæ nouitij quatuor annorum spatio, finem imponere artibus illorum possint, siquidem præcipuum Chinensium librum, Riccius ille, latinum fecerit, & lexicon etiam Europæo-Chinense conscripserit, cuius opera linguam addiscere sine magno labore, breui tempore quis possit.

Libri Chinensium latina lingua redditi.

Requiri autem etiam ad gentem hanc conuertendam, insignem scribunt librorum copiam, cum enim non cum idiotis sed cum literatis & eruditis hominibus ibi agendum sit, maximè necessarium est, vt eruditio prædicatorum ex libris quotidie augeatur. Sed & imaginibus siue picturis saluatoris, Apostolorum & alijs opus esse aiunt, vt noui Christiani eorum intuitu, iuuentur & in fide

Libris & imaginibus ad conuertendas Chinenses, opus esse.

magis magisque confirmentur, siquidem animaduersum sit in Chinensibus, quod etiamsi adhuc ethnici sint, imagines tamen eiusmodi valde suspiciant, & capite in terram demisso reuereantur. Facti sunt hactenus aliqui ex Chinensibus Christiani qui præsagium Iesuitis tale iniiciunt, fore vt tum demum apud Chinenses illustretur nomen Christi, & ad fidem multitudo accedat, cum cœlesti fauore, per vicos & compita Europæi Doctores prædicando publicè discurrent, quod hactenus quidem nondum factum, partim quod præter Riccium, pauci ibi sint linguæ istius cognitionem etiamnum assecuti, partim quod iudicatum sit, commodissimè à Rege initium faciendum & operam dandam esse, vt eius consensu & authoritate prædicatio hæc inchoetur. Cum igitur patienter hactenus tempus expectarint Iesuitæ, conuersioni gentis illius in diuino consilio designatum, factum est, vt crescente paulatim nominis Europæi fama, opera tandem magni cuiusdam & grauis Mandarini siue præfecti, aperta sit ipsis via ad aulam regiam quæ Pachini est accedendi, & ibi cum Rege de molitionibus suis prolixius agendi, quo quidem etiam ante paucos annos Riccius ipsemet cum duobus alijs profectus est, cuius quidem profectionis quis fuerit exitus, ad aures nostras nondum perlatum est. Sperandum tamen vtique fore, vt audito verbo Dei, aliquod saltem tritici granum in bonam terrã cadat, atque ita quidam etiam in vastissimo isto

Iesuitæ ad Regem Chinensem profecti.

isto regno ad agnitionem Christianæ fidei, Deo conatus pios gubernante, perducantur.

CAPVT LIV.

DE IAPONIAE INSVLAE QVANTItate & qualitate, deq; incularum in ea constitutione & moribus varijs.

IAponia, quæ & Zipangri dicitur, magna admodum, & potius aggregata quædam ex pluribus insulis, paruis inter sese maris euripis, fluuijs, stagnisque discretis, prouincia est, eodem quo Hispania climate contenta, cuius longitudo, vt quidam volunt in ducentas & amplius leucas excurrit, latitudo vero ad decem alicubi, vel ad summum triginta leucas patet, quamuis de ambitu eius nihil adhuc certi constet, cum nondum à Lusitanis satis detecta & explorata sit. Mercator putat eam esse auream Chersonesum Ptolemæi, vultque ipsum esse deceptum, accipiendo ipsam insulam pro peninsula, cui opinioni quid tribuendum sit, viderint alij, Ptolemæus certè, Chersonesum auream sub Aequatore collocat, hæc autē prouincia ab Aequatore in arctum, à trigesimo gradu, ad trigesimum octauum excurrit, vt mirum sit, vnde in hanc sententiam descenderit Mercator, nisi forsitan, ex consensu aliarum vicinarum insularum, Bornei, Sindæ, Barussæ, &c. de quibus supra dictum est, & quod nulla reperiatur insula, quæ ei in descriptione quadrare possit, coniecturam hanc conceperit. Ab oriente obuersa est nouæ Hispaniæ, centū

Iaponiæ capacitas & amplitudo.

Aurea Chersonesus Ptolemæi.

& quinquaginta leucarum interuallo. A Septentrione, Scythas vel Tartaros & alios ignotæ feritatis populos vicinos habent. Ab occidente Chinam aspicit, varia, pro littorũ flexu excursuve distãtia, siquidem ab vrbe Liampo, qui Chinarum regni in ortum limes est, ad Iaponiæ insulam Gotum, quæ prima inde nauigantibus occurrit, leucas sexaginta numerant, à Macao autem occiduo Chinarum emporio, vbi Lusitani fermè negotiantur, ad eandem insulam Gotum, leucarum ducentarũm nonaginta septem traiectus est. A meridie, vasto mari interfuso, inexploratas habet terras, ex quibus casu nautas olim quasdam in Iaponiã delatas fuisse, nec inde iterum soluisse, fama est.

Iaponiæ partes & regna præcipua.

Complectitur vniuersa hæc Prouincia seũ insula, satrapias siue regna minora sexaginta sex. Diuiditur autem in tres potissimum insulas siue partes, quarum prima continet regna quinquaginta tria, quorum caput Meacum est, vnde denominationem suam insula tota accepit, cum Rex etiam eius reliquis omnibus potentia superior sit, viginti sex nimirum regnis imperans, cui Amangutij Rex, duodecim plus minus regna possidens, perpetuo aduersatur. Altera insula vel pars totius prouinciæ Ximũ vocatur, regnis nouem constans, quorũ nobilissimæ vrbes, Vosuquis & Funaium censentur. Inter regna vero huius prouinciæ præcipuum est, Bungi regnum, & post illud, regnũ Figense. Tertia insula vel pars Iaponiæ, Xicocum dicitur, quæ regna quatuor continet, & in medio reliquarum sita est, vrbemque maximè celebrem

lebrem & insignem habet quam Tosam vocant.

Tellus maxia ex parte niualis & frigida magisque sterilis quam fœcunda est. Septembri mense oryzam copiosissimè colligũt, ea enim cibus communis est, quo omnes ferè sustentãtur, tametsi enim Maio mense triticum etiam quibusdam in locis metant, ex eo tamen panes non conficiunt, sed polentæ aliquod seu offæ genus, quo passim vescuntur. Salubris alioqui cæli temperies ibi existit, & aquæ salutaris scaturigines multæ cernũtur, quarum aquas calidas aliquæ quas thermas vocamus, in vsus medicos suppeditant. Editi prærupti que montes cum alij passim, tum duo præcipua nobilitate visuntur, quorum alter, incertę appellationis, flammas assiduè euomit, inque eius cacumine, certis hominibus, postquam voti causa diu sese macerauerint, splendida circumfusus nube Cacodæmon se ostendit: alter Figenoiama nomine, leucarum aliquot ascensu supra nubes attollitur. Effodiuntur ex terrę visceribus, metalla varia, maximè vero argentũ, quod ad Chinenses delatum cum serico permutatur.

Iaponicæ regionis qualitas.

Montes excelsi in Iaponia.

Arbores habentur vel ad amænitatem vel ad fructum comparatæ nostris haud absimiles plurimæ, quarum quædam sunt, quæ palmam imitantur, ignoto nomine, admirabili prorsus natura, humorem enim quemlibet reformidant, si forte madefiant & humectentur, cõtrahunt sese illico ac velut pestifero contactu marcescunt, hoc autem facto, remedio ipsis est, auulsas radicitus, in sole siccare, & in

Arbor in Iaponia mirabilis naturæ.

vacuam scrobem, contusam ferri scoriam, vel sitientem arenam infundere, ibi enim postquam aruerint in scrobem rursus depactæ, reuirescunt ac pristinum nitorem decoremque recipiunt, rami quoque decidui & resecti, si clauo ad truncum affigantur, velut insiti coalescunt. Plurima vero varijs in locis cedrus crescit, tantæ proceritatis & crassitudinis, vt fabri inde basilicarum columnas, & cuiuslibet, quamuis capacis onerariæ nauis malos efficiant.

Cedrus in Iaponia multa.

Ex animantium genere, oues, porcos, gallinas, anseres fœdasque alias, domi nec alunt, nec comedunt, campos igitur boum & equorum militarium armenta, saltus vero & dumeta, lupi, cuniculi, apri, cerui & feræ aliæ pererrant, volucres item vtpote Phasiani, anates, palumbes, turtures, coturnices, ac syluestres gallinæ, passim cernuntur. Pisce flumina & aquæ omnes abundant. Carnem non nisi ferinam comedunt, quam ex venatu habent, reliquum fastidiunt, & ab ea non secus ac nostri ab equina abstinent. Lac similiter respuunt, quod præter colorem à sanguine nihil differre putent. Butyrum nesciunt, & oleo non nisi factitio ex cetis ad littus eiectis vtuntur.

Incolæ colore sunt oliuastro potius quam albo, gloriantur que admodum procera statura & decoro corporum habitu, lenta plerisque viuacitas & firmæ vires, ita vt in sexagesimum vsque annum militaris ætas extendatur. Capillum variè conformant, volsella enim seu instrumento ad extirpandos pilos idoneo, pueri & adolescentes sinciput, plebeij ac ru-

Iaponiorum constitutio & mores varij.

stici

ſtici dimidium caput, viri vero nobiles, totum fermè depilant, paucis ſaltem ad occipitium relictis capillis, quos attigiſſe quempiam, contumeliæ loco vel maximæ ducitur. Barbam alunt modicam. Mortalitatis incommoda, famem, ſitim, æſtum, frigus, vigilias, laboreſque admirabili patientia tolerant, in lucem editi, vel ſumma hyeme, protenus ad flumina lauandi deferuntur, ab vbere vero auulſi, venatu exercentur, & procul à matre atque nutrice in locis aſperis educantur, quod ita ſentiant, nulla re magis infringi mortalium animos, quam molli ac blanda educatione. Hinc eſt quod cõſtantiam & decorum ita vulgo cuſtodiunt, vt etiam ab imminente iam ruina, non niſi ſenſim & ſine trepidatione recedant. Cauent enim diligenter ne quid abiectum aut timidũ, vel in dictis, vel in factis appareat. Animi certe perturbationes, ægritudines, impetus &c. in ſpeciem cohibere, atque iræ præſertim notas omnes obruere, vel in contrarium potius flectere, egregiè didicerunt, frontem quo iratiores ſunt, eo hilariorem oſtentantes, intemperantiam vero linguæ maximo animo minimè dignam putant, itaque vociferationes ac iurgia, neque inter populares in publico, neque domi inter maritum vxoremque, parentes ac liberos, herum atque famulos audiũtur, ſedatè grauiterque quod agẽdum eſt, agitur, ſi quid odioſius accidit, internunciorum opera id tranſigetur. Quin etiam inter ipſas noxiorum pœnas, conuitia remoueretur. Prouocationes vero ac rixæ, contra quam apud nos, admodum raræ, ferociam enim minaſq; ad tempus belli

Iaponiorum conſtantia & moderatio.

reseruant. Præterea mutuis in congreſſibus, domeſtica incommoda, neceſſitates, ærumnas, amicis haud temerè impertiunt, triſticiam & curas egregiè condunt, neque alienam pacem & iucunditatem ineptis querimonijs & ſuperuacaneo mœrore ſolicitant. Ab alijs interrogati, rem vel èleuant, vel modica ſaltem ſignificatione perſtringunt. Denique aſperis & aduerſis in rebus, incredibilem plane animi æquitatem oſtendunt, ac velut in gradu perſtãt, ſine gemitu, quicquid eueniat excipientes, & latiſſima quæque ſic optantes, vt interim difficilima quæque cogitent. Neque vero prouectæ ſolum ætatis laus ea, in puerorum conſuetudine, atque adeo in ipſis luſibus & remiſſione animorũ, ſimilis prope maturitas & moderatio quædam elucet. Interim vero per cauſam grauitatis atque conſtantiæ retinendæ, dum animorum ſenſa motuſque à primis omnis obtegere atque celare adſueſcunt, facili deflexu, à prudentia ad aſtutiam, calliditatem & perfidiam degenerant, vnde prauum apud ipſos ſimulandi ſtudium & fallendi certamen extitit, vt quo quemque peſſimè oderunt, eo familiarioribus oculis intueantur.

Veſtitus Iaponiorum.

Veſtitum ab infantia ad iuuentutem vſque varium ſumunt, idque cum ceremonijs & ſolenni apparatu vario. Cæterum qui adulti iam ſunt, talarem geſtant verſicolorem tunicam, hanc domi demittunt, prodituri autem in publicum, in caligas inſerunt, ad imum æqualiter laxas, eaſque circa renes leui nodo ſubligant. Tunicæ anniculum ſuperinduũt, manicis non

vltra

ltra cubitum eminentibus. Hasce vestes per
æstatem gestant simplices ac subtilissimo tex-
u,per hyemem vero densiores ac duplices,in-
erto item serico tomento,ne incommodè ti-
neant perquam artificiosè perpungunt. Cal-
eis crepidisve sine obstragulo, sandaliorum
nstar vtuntur, corneo ad extremum extante
emicyclo, quem firmitatis causa illis inse-
unt. Flabella gerunt,tum ad velandam faciē,
um ad auram colligendam,auro fericoque in-
ertexta.Proceres sub vmbella,reliqui vero a-
perto capite in sole pariter atque pluuia ince-
lunt.Armis apprimè dedita gens est. Ea vero
unt præter sclopetum ferreamque fistulam ar-
cum atque sagittas, gladius instar acinacis in-
curuus & pugio,his enim statim ab anno æta-
is duodecimo sese præcingunt,suntque tam e-
gregia chalybis tēperatura, vt ferrum nostrū,
acie propemodum illæsa diffindant.Sed & ha-
tis nostras leuitate & longitudine superanti-
bus vtuntur,easque vaginis,vti gladios nostri,
absconditas gestant.Proceres magno in hono-
re habent nudas gladiorum laminas,certorum
quorundam artificum,ita prorsus, vti nonnul-
las, etiamsi ornatus omnis absit, aureorum
quinque circiter millibus æstimari ab ipsis vi-
deas.

Arma Iaponiorum.

Aedibus plerique ligneis,stramine vel asse-
ribus contectis,ob crebros terræmotus, qui-
dam tamen, ab imo lapideis, vtuntur, elegan-
tia atque arte multa conspicuis. Conclauia ta-
petibus preciosis splendidè exornant.Storeis,
culcitræ in modum tumentibus nitidisq; paui-
menta

Aedificia Iaponiorum & conuiuiorum apud illos ratio.

menta consternunt, in ijs & somnum iacente
& cibum cruribus insidentes capiunt. Rem fa
miliarem tanta diligentia non curant quan
Chinenses, pauco enim contenti viuunt, int
rim tamen nullius rei penuria laborant & mu
ditiem admodum amant, paxillulis namq; ve
fuscinulis inter edendum duobus ita sciente
vtuntur, vti neque excidat quicquam, nec di
gitos abstergere vlla ratione cogantur. Cœna
culum discalceati ingrediuntur, ne catastro
mata calcando coinquinent. Tenuiores ad ma
re præsertim herbis, oryza & piscibus victi
tant, diuites vero ad consuetudinem Chinen
sium cōuiuia sæpe splendida satis & magno c
apparatu instituunt, in singula enim fercul
cuilibet mensa sua, ex cedro pinuve nitidissi
mè facta & lectissimis coloribus distinata, mu
tatur, cibi, confecti in pyramidem extruuntur
auro conspersi & cupressinis ramulis ad gra
tiam prominentibus ornati. Nonnunquam et-
iam rostro pedibusque inauratis aues integr
nobilibus & pretiosis patinis inferuntur. Ho-
spitem & conuiuam hilarè ac libenter accipi-
unt. Conuiuandi vero ac propinādi leges mul-
tas habent, easque cum exquisitis ritibus dili-
gentissimè obseruant. Vsura vitis ignorant, po
tum vero ex oryza parant, Ante omnia autem
delectantur haustibus aquæ calidæ, cui vel li-
quorem vel puluerem herbæ cuiusdam, quæ i-
psis Chia dicitur, inspergunt & affundūt. Her-
bæ illius beneficio pituitam & grauedinem
nesciunt, lippitudinem ignorant, vitamq; be-
nè longam absque vllo fermè languore, tradu-
cunt. Pari ritu Turcæ suum Chaona bibunt, ex

Iapones a-quam cali-dam herba quadam præparatam bibunt.

fructu

ructu quodam ſimili baccis lauri confectum,
ecipiunt enim de fructu iſto libram vnam &
emis,torrentque modicè, decoquunt deinde
n aquæ libris 20. ad medietatem,Hoc decoctũ
ibunt ſingulis diebus ieiuno ſtomacho, tam
alidum quam poſſunt,dicunt enim hanc po-
onem ſtomachum roborare & calefacere,
entoſitates digerere & quaſcunque obſtructi-
nes aperire.Cæterum Iaponij circa potionẽ
am admodum diligentes ſunt, ita vt poten-
ſsimi quique,ſuis manibus eidem temperan-
æ ac miſcendæ operam interdum dare ſole-
nt,certas enim habent ædium partes huic mi-
iſterio dicatas,in ijs foculus aſſiduè ſtat,ahe-
o ferreo ſuperimpoſito,vt venientibus & ab-
ntibus amicis pocula inde porrigere poſ-
nt.Alij ollas in quibus decoctio iſta facta eſt,
na cum vrceolo fictili,ex quo hauritur, tanto
pretio habent,vt apud nos adamantes, car-
unculi & gemmæ precioſiſſimæ non magis
aræ habeantur.Quod ſi contingat,vt vaſa il-
à celebri aliquo & veteri artifice facta ſint, *Theſauri Iaponenſium.*
tanto habentur pretio, vt vnicum aliquod
x illis quatuor vel quinque millibus corona-
orum interdum redimatur. Habent enim ei-
ſmodi inſtrumenta & vaſa magni pretij lo-
o,& amicis contemplanda pro theſauro offe-
unt.Paupertas ibi dedecori aut probro nulli
xiſtit, quin imò vix in multis agnoſcitur,
deo accurate rem familiarem diſpenſant, &
ro ſua tenuitate concinni atque nitentes in-
edunt.In magno etiam precio habent chartas
uaſdam læuoris eximij, itemque tabulas lig-
eas,in quibus atro colore, ſingulæ vel aues
vel

vel arbores depictæ cernuntur, eas enim pict-
ras, si constet ab eximio artifice factas esse, tā-
ti sæpe emunt, quanti qui venum eas exponi-
voluerit.

Lingua Iaponiorum & scriptura qualis.

Sermo Iaponiorum vnus est & communi-
omnium, sed ita tamen varius & multiplex, v
ti plures haud immerito esse videantur. Vni
uscuiusq; enim rei multa vocabula sunt, quo
rum alia contemptus, alia honoris causa, ali
apud Principes, alia apud plebem, alia deniq
viri, alia fœminæ vsurpant. Adhęc, aliter lo
quuntur & scribunt, atque in ipsa scription
aliter epistolas, aliter volumina librosque cō
ficiunt. Habent autem plurimos, tum soluta o
ratione, tum elegantissimo versu conscripto
libros. Notis vero & characteribus vtuntur ei
usmodi, vt singuli singulas vel etiam plures di
ctiones, Aegyptio & Chinensi more contine
ant atque denotent, quæ causa est, quod ad lin
guam eam perdiscendam & multus labor &
longum tempus requirantur. Chinenses scri
pturam eorum legere possunt, loquentes au
tem non assequuntur, quod ob characterum si
militudinem, dictionum vero varietatem &
dissimilitudinem fieri putatur.

Iaponij in moribus & alijs vitæ a ctionibus, nostris planè contrarij.

Hoc mirum est, quod reliquis nationibus
omnibus, studio quasi & dedita opera, siue mo-
res, siue linguam & vitæ actiones alias spectes,
aduersentur. In olfactu, suffitus nostros mini-
mè ferunt, sed alia quædam odoramenta suc-
cendunt. In gustu, nostras illi epulas, nostri
vicissim eorum condimenta aspernamur. A-
quam

quam nostri gelidam, illi calefactã, (vt dictum est) æstate pariter & hyeme potant. In auditu, Symphoniam eorum aures nostræ planè refugiunt. Salutaturi alios, nostri, caput, ipsi vero perleui çrepidarum vel sandaliorum excussu, pedes aperiunt. Aduenienti amico nostri adsurgunt, illi subsidunt, inciuile ducentes, si stantes excipiant, cui honorem deferre expetunt. Nostri non nisi togati domo egrediûtur, at illi in publicum procedentes pallia deponunt, vel in caligas laxas infundunt, domum reuersi caligas exuunt & pallia sumunt. Capillos nostri flauos alere, & dentes habere candidos, ornamento ducunt, illis contra in ipsa nigredine decor est, & capillis, dentibusque denigrandis quacunque ratione student. Ex coloribus, nigrum, festum, lætumque habent, albus ipsis in luctu est, nostri contra album lætitiç, atrum luctus signum constituerunt. Fœminas in publicum prodeuntes, viri & cognati præcedunt, ministri sequuntur. Equum nostri à sinistra, illi à dextra ascendunt. Mulieres vterum gerentes, cingulo arctissimè sese constringunt, antequam autem imprægnentur, zona tam laxa vtuntur, vt ea sponte sua decidat. Infantem vt primum natus fuerit, aqua frigida, nostri vero calida lauant. Nostris gemmæ & vasa aurea, ipsis ferrea & fictilia vasa, in honore sunt.

In curationibus, nostri dulcia & bene cocta, illi vero salsa, acria & cruda ægrotis apponunt.

Nostri

Nostri pullos & altilia, illi pisces & conchylia eligunt. Pharmacis nostri fermè olidis & amaris, illi perquam suauibus & odoratis vtuntur. Nostri crebro sanguinem, illi nunquã eliciunt. Atque alijs item in generibus ita multa obseruant eiusmodi, vt, si minus pedibus, moribus certe, orbi nostro plane oppositi esse videantur. Cæterum factorum suorum, cur nempe ita faciant, probabilem afferre rationẽ nunquam non possunt, sic enim considere inquiunt quam attolli maioris venerationis & submissionis indicium est. Vasa illa quæ vsui esse hominibus possunt, quam nullius commodi lapillos, quantauis mercede, sapientius emi asserunt. Aqua frigida comprimi fibres, irritari tussim & pectoris vitia, restingui natiuum calorem; calida vero aqua, foueri calorẽ insitum, laxari meatus, & facilius sitim leuari dictitant. Aegro, quas appetat natura potiones, non quas horreat, exhibendas sanguini, quippe vitæ vehiculo, parci oportere defendunt, vt ita non minus ipsis Europæi, quam Europæis ipsi, ridiculi sint, & si quando, per mũditiarum aut elegantiæ contentionem, vt fit, cauillis agatur, par pari nostris referre expeditè satis & egregiè didicerint.

Cap. LV.

DE IAPONIORVM ORDINIBVS & statu per Iaponiam politico atque regio.

QVam acuta, sagax, ac bene à natura informata

mata gens Iaponica ſit,quamq́ue iudicio,doci-
litate & memoria valeat,vel ex ruſticis & pu-
eris apparet,illi enim vrbanos penè mores, ve
getum ingenium, & indolem minimè agreſtẽ
præ ſe ferunt,hi celerius multo , quam Euro-
pæi noſtri latinas & literas & artes arripiunt.
Hinc fit,vt in conſtituendis hominum claſſi-
bus,ordinibuſq́ue,haud abſimile noſtro diſcri- *Iaponiorum*
men & rationem ſequantur. Ordines habent *ordines va-*
quinque præcipuè,primus eorum eſt, qui cum *rij.*
imperio ſunt rerumq́ue potiuntur. Horum a-
lios Cunixos vocant , Principibus nempe &
Comitibus noſtris comparandos, alias Toans
appellant,Baronibus noſtris reliquiſq́ue vaſal
lis Regijs conferendas,multi enim & varij in-
ter eos gradus ſunt,qui tamen omnes non tam
auro & pecunia,quam alijs opibus & cliente-
lis abundant,ad regnum enim euecti, militi-
bus amiciſq́ue agros,(iure fundi ſibi retento &
nullo vectigali impoſito) diſtribuunt, ea lege
poſſidendos,vt & in pace, deſcriptis ordine
miniſterijs,Regi adſint,& in bello,ſuis ipſi ci-
barijs & reliquo ſumptu militiam obeant, ſic
fit,vti Dynaſtæ quanquam in magna nummo-
rum inopia,(præterquam enim quod dignita-
ti ſuæ ſuſtentandæ ſufficiat, nihil enim reti-
nent)tamen & multitudine bellatorum & au-
læ frequentia,cæteroq́ue apparatu, vim impe-
rij ac ſpeciem regiæ maieſtatis obtineant. Il-
lud vero præclarum, quod excelſo prorſus a-
nimo,non morte demum aut vltima neceſſita-
te cogente,gubernaculo excedunt,ſed vbi vr-
gere cæpit ſenium, certis ad victum cultum-
q́ue ſibi reſeruatis prædijs, filium aut ſiquem

alium successorem destinarunt, artibus & præceptis regnandi imbutum, plerunque ipsimet in solio collocant, ac iuuenilem eius ætatem exinde prudentia, rerum vsu & consilijs iuuant quieti interim & otio ipsimet studentes. Secundus ordo eorum est, qui nefaria gentis illius sacra procurant & communi nomine Bonzij vocantur, de quibus suo loco plura dicemus. Tertius ordo ciuium ac reliquæ nobilitatis est, è quibus in cultu Regum plurimi, & simul in militaris rei studio consenescunt, nec pauci artibus illis quas ipsi liberales existimant, atque inter cætera scribendis carminibus delectantur. Quartus ordo institorum ac sellulariorum, variorumq; opificum est, à quibus res variæ mira solertia conficiuntur. Nam & armorum fabricas habent, & typographijs etiam delectantur, typis ad impressionem librorum velut in China vtentes. Postremus ordo agricolarum est & eorum etiam, qui propter inopiam seruitia quælibet subire, & in ditiorum famulatu atque ministerio vectitare coguntur, quorum longe maior, quam apud nos multitudo reperitur.

Iaponij gloriæ cupidissimi,

Omnes autem cuiuscunque ordinis sint, maledicta, furta, impiam temerè iurandi consuetudinē, ac eæque genus omne auersantur, famæ gloriæque audissimi sunt & dignitatis supra quam credi possit, summi æquè atq; infimi retinentes. Nullam enim, non modo contumeliæ speciem, sed ne dictum quidem paulo asperius ferunt. Reuerentur igitur sese inuicem nō tantum nobiles, certantque officijs & honore verborum, sed & rerum vilissimarum artifices,

ces, quique operas suas in diem locant, comiter appellādi sunt, si eorum vti velis industria, alioquin enim imitantur, & spreto lucello, cæptum opus abijciunt.

Leuissimis autem de causis, & quidem nec opinantes & auersos, inuadunt, vnoq; aut altero acuti & ponderosi acinacis ictu conficiunt, statimque composito ac securo vultu, quasi facinus ad se nulla ratione pertineat, ferrum vaginæ reddunt. In bello, captis per vim oppidis aut pagis, certum exitiū paratum est, cuncta .n. ferro flammisq; vastātur, & nec ætati nec sexui parcitur. Victi in prælio si effugiant, nullo discrimine hostesne siue amici sint, spoliorū causa plerunq; ab agricolis opprimūtur. Nā aliena quidē furto subducere dedignantur, cædibus vero rapinisq; inuigilare nō item, vnde terra quidē latronibus, mare vero piratis vehementer infestū est. Ad rē forensem quod attinet, ea nulla ibi propemodū est, nō enim iuris ciuilis formulæ, nō responsa prudentū, nō vadimonia, nō carcer, non iudicū testiūve reiectio, nō citatio reorū, non causæ dicendæ potestas in vsu, ius totum in armis aut Principum placitis, horum in Proceres ducesq;, Ducum in ciues, ciuium in suam cuiq; familiā formidabile vitæ pariter & necis arbitriū, neq; enim ab inferioribus pro potestate acta, à superioribus in cognitionem reuocari aut rescindi consueuerunt. Quisque enim Dominus tantum iuris in suos possidet, tantumque autoritatis habet, vt iusticiam in eos exercere & eos pro libitu tractare, quo iura quaque iniuria, absque vllius interpellatione liberè possit.

Iaponiorum sæuitia & crudelitas.

Iudicia forensia apud Iaponios nulla.

Et hanc ſane poteſtatem non Duces tantum & Centuriones, ſed & patresfamilias in liberos ſeruoſque & vniuerſam ſuam familiam habent, liberum enim eſt, vita eos priuare & plagis quibuſcunque delinquentes mulctare, nec eſt qui eos interpellet. Sontibus quilibet nomine, haud leuiora quam exilij, aut proſcriptionis, aut capitis ſupplicia cõſtituta ſunt Gladio vero ferme improuidi trucidantur, alioqui enim ſe haud inultos cadere patiuntur. Quibuſdam tamen locis comprehenſos latrones, certo ad ignominiam vehiculi genere per ciuium ora tranſuectos, extra vrbem cruci affigi mos eſt. Cruces autem apud Iaponios, mulctandis hominibus facinoroſis deſtinatæ, duo habent ligna tranſuerſaria, alterũ ad brachia, alterum ad pedes, non vſque adeo longum atque prius, medio inter hæc ligna cruci affixũ eſt ponderi corporis ſuſtinendo, cui reus velut equo inſidet, vt ita crux quælibet quatuor lignis conſtet. Non vtuntur autem clauis, ſed manus pedeſque alligant aut funibus aut manicis ferreis, quæ lignis tranſuerſarijs affixæ ſunt, collum neruo ferreo, ligno affixo conſtringunt, cingulum ſimul & brachia inter ſcapulas & cubitum alligantes, ſic prorſus, vt totum corpus benè ſuſtentetur. Hoc facto, crucem in foſſam immittunt, iniectiſque lapidibus & terra, erectam obfirmant. Succedit mox carnifex præacuta lancea, gladio ancipiti non abſimili, armatus, hanc tanta vi in latus crucifixi dextrum adigit, vt ad cor vſque in ſiniſtrum penetret. Nonnunquam duo ſunt carnifices, qui dum ſimul vtrumque latus confodiunt, tranſ-

Crucifixio facinoroſorũ apud Iaponios.

uerſo

uerso leucarum obiectu quasi crucis formam exprimunt, vnde fit vt facinerosi illi minimo temporis puncto expirent, carnifice ictum geminante, nisi statim moriantur.

In seditiosos, qui quidem potentes & principes plerunque viri sunt, in hunc ferè modum animaduerti, apud Iàponios solet. Aedes eorum Rex, vbi visum est, milite armato circumdat, facitque eis liberum aut pugnæ aut mortis arbitrium, si pugnam optarint, commisso protinus certamine, cum familia plane tota delentur, ac perpetua in omnem posteritatem infamia notantur. Quod si voluntariam elegerint mortem, vltro sibimetipsis ventrem alta plaga in obliquum, nonnulli etiam animosiores, duplici decussatim incidunt secantque, vt intestina inde effluant, quo facto, parato statim in idipsum famulo ceruices amputandas præbent, & ex amicis præcipui, illatis pariter sibi manibus, supra mortuum corruere sibi gloriosum & laudabile arbitrantur. Idem hoc facinus in alijs quoque periculis, præsertim vbi agitur existimatio & fama, valde vsitatum est, & obductis densa caligine mentibus honestissimum ducitur. Quin ipsi interdū pueri, vel à parentibus exacerbati vehementius, vel grauiore aliqua indignatione concepta, id mortis genus palàm sibimetipsis consciscunt.

Seditiosorū in Iaponia supplicium.

Cæterum Reges Iaponici, quanquam ab externo & mercenario milite planè imparati, atque ob idipsum indigenis vehementer obnoxij sint, tamen barbaro quodam fastu, vti de Chinēsibus etiā retulimus, adorari coliq; sese

Regum Iaponicorum fastus & insolentia.

vehementer volunt, stipati armatorum caterua, difficiles aditus & dilicatas compellātibus aures præbent, quin imo abducto vultu, nutib⁹ ferme tantum vel scriptis agunt, sermonem grauatè consociant, & nihil opis in populi caritate repositum habēt. Regit enim omnia metus, huic autem adiunctum est odium, vnde crebræ & occultæ conspirationes ac seditiones erumpunt, quibus, excusso rectore, sceptrum ad alios aliosq; in summa rerum omnium perturbatione, transfertur. Vetusta equidem imperia & Principum longa serie deductas imagines paucas admodum reperias. Sunt qui à Chinensibus Regum Iaponiorum originem deducant, fuisse enim dicunt ante annos plurimos familiam quandam in China potentissimā, quæ rebellis facta in Regem conspirauit, & propterea in insulam Iaponiam desertam tum temporis deportata à Rege Chinarum fuerit, ita vt perpetuo exilio mulctaretur. Huius rei argumentum dicunt esse Vatinianum illud odium, quo Iaponij, Chinenses etiamnum hodiè prosequuntur. Huic narrationi tametsi quid tribuendum sit ignorem, hoc tamen constat, Iaponium omne nomen vni quondam Imperatori cui titulus Vo seu Dairi fuit, paruisse, idque tamdiu, donec is diuturna pace in delicias atque socordiam resolutus, Præfectis & Satrapis, præcipuè vero Cubis, (sic enim duo primarij tum vocabantur, quorum alter deinde extinxit alterum,) contemptui esse cœpit. Viri ergo militares, talem aliquandiu perpessi, mox indignati Dominum, tandem abruperunt frenos & suam inuaserunt quisque pro-

Iaponiorum origo & Chinensibus.

prouinciam, vnde vnitas illa imperij, multas subito in partes velut in fragmenta dissilijt. Summus vero & potentissimus, Iaponiorum Regum hodiè habetur, quisquis Meacum, & Meaco finitima nobilissima regna, (quem tractum commmuni nomine Tensam appellant) armis atque arcibus occupauerit.

Regnum Iaponiorum qui hodiè potentissimus sit.

Loca illa obtinuit aliquando Nubananga quidam tyrannus, qui propter sæuitiam & crudelitatem nimiam à coniuratis interemptus est, liberis eius in exilium partim eiectis, partim occisis omnibus, successit autem in solium eius præcipuus ex Ducum numero Faxiba, quo postmodum itidem per factionem & vim sublato, regnum Taicosama occupauit, illudque breui tempore ita auxit, vt nihil in tota insula superesset, quod non ad dominium eius absolutè agnosceret. Hoc facto Quabacondonum sese appellauit, scribuntque de eo ex Iaponia Iesuitæ, quod tanta pace & tranquillitate imperauit, vt si successores eius eandem imposterum gubernandi rationem imitarentur, periculum nullum turbandorum amplius regnorum imminere Iaponiæ videatur. Media autē quæ ad pacem & concordiam Iaponensiū sartam tectam seruandam tuendamque adhibuit, hæc ferè sunt, Primo, post datam fidem publicam, neminem ex hostibus è medio sustulit, quod non fecerant antecessores eius, maximè vero Nubananga. Is enim regno aliquo sub iugum suum misso, omnes eius regni Dominos trucidabat. Hic vero nō vitā modo, sed & annuos reditus, quibus honestè vitā sustētarent eis cōcessit, qua in re acquieuerūt oēs & libenter obsecuti sunt.

Reges Iaponiorum præcipui.

Taicosama Iaponiæ rex quibus mediis vsus ad pacem & tranquillitatem conseruandam.

Deinde rusticos, quorum opera & opibus regna ista olim sustẽtabãtur, ad summã redegit inopiam, ita vt vix necessaria eis suppeterent ad sustentandam vitàm, arma quoque omnis generis illis ademit. Tertio, contentiones, rixas, conflictiones & pugnas omnes seuerissime prohibuit. Quotquot igitur in contentionibus deprehendnutur, morte mulctantur, si fuga elapsi fuerint, eorum cognati, vel serui ad supplicium rapiuntur, qua seueritate effectum est, vt rarissimæ iam pugnæ & dimicationes in Iaponia audiantur. Quarto, in iustitia administranda, summa æquitate, nulla habita ratione neque cognatorum, neque veterum belli Ducum, neque stirpis regiæ, neque Bonziorũ quãtumuis illustrium, vsus est, crimenq; vbi cognouit, condonauit nemini. Quinto, nullos milites Ducesq; in otio viuere passus est, itaq; si quando vocatio à bellis esset, occupatas eas habuit excitandis magnificis ædificijs, erigendis nouis propugnaculis, renouandis item & muniendis munitionibus veteribus, alijsq; operibus magnis ad ornamentũ Iaponiæ & nominis sui gloriam perficiendis, certus nimirũ quod labor continuus, nullum hominibus locum vel tempus ad proditiones & coniurationes tentandas relinquat. Sexto, communicauit regna Iaponiæ, vicinorum regnorum Dynastas in partes remotiores transferendo. Septimo, militibus præter ordinaria stipẽdia quæ militiæ nomine in perpetuum ipsis adscripta sunt, tempore belli, commeatũ ipsemet omnẽ suppeditauit, quo factum vt quicquid voluerit eorũ opera facile effecerit, & bella etiã plerũ-

que

que feliciter gesserit omnia. Octauo, hominibus quos animo & spiritu plus æquo elatas vidit, & quos coniectura prospexit, post mortem suā noua in Rempub. molituros vel regna turbaturos, parum sese æquū & fauentē præbuit. Non iuxta Meacū vix quatuor vel quinq; dierū interuallo vel belli Ducem vel Præfectum alium potentia & industria clarū, nullū tulit. Decimo reditus annuos, qui antè hæc tempora ex oryza tantum constabant, ita constituit, vt duorum milliorum auri summam excesserint.

His igitur legibus & institutis siue medijs potius regnum suum ad multos annos trāquillè & quietè possedit, fuitq; hæc ei vnica semper cura, quomodo imperium suū firmaret, & Iaponiæ monarchiam in suæ stirpis posteros propagaret. Cum vero liberis careret, quorū in regnum successione, apud posteros perpetuam sui alere posset memoriam, cogitationes omnes in eam viam & rationē conuertit, qua commodissimè efficere posset, quod tamdiu in animo agitasset, nēpe vt tres nepotes, quos ex germano suo fratre habebat, ad summas dignitates eueheret, itaque primo, quē imperij successorem designauit, attribuit regna quinq;, secundo tria circa Meacum, & tertio duo. Noluit tamen ita munificus in suos esse, quin maiorem sui status partem sibi reseruaret, vnde præterquam quod esset supremus Monarcha, cui omnes Iaponiæ Domini obsequij tenebantur, retinuit etiam sibi tanquam propria quatuordecim vel quindecim alia regna, quorum annuos reditus ipsemet perciperet, nullo in ea alio Domino delegato. Reliquam regnorū par-

Taicosama Iaponiæ monarcha, regna inter suos distribuit.

tem (nam in tota Iaponia, vt suo loco annotatum est, regna sexaginta sex numerantur) varijs attribuit, quorũ alij fuerant eius aulici, alij Duces belli, alij fideles amici &c. adiecta tamẽ conditione, vt quotannis tributi loco magnã ei pecuniæ summam pensitarent. Quos vero Dominos in veteri suo statu & regno reliquerat, eos exactionibus varijs assidue premebat, statuebatque bellum Coraianis inferre, vt regno illo sub iugum misso, quod dimidia tantũ parte Iaponię minus est, Dominis illis veteribus illud assignaret, & ipsemet hac arte, ipsorum ex Iaponia digressorum regna omnia, in Iaponia vsurparet.

Taicosama bellum Coraianis mouet, & tribus suis nepotibus priuatur.

Cum igitur dicto modo res Iaponicas constituisset, oportunumque tempus adesse iam iudicaret, consilia ista sua diu animo pressa, exequendi, significauit Dominis, se de bello Coraianis inferendo cogitare, eo enim non solũ magnam accessionem fore ad eorum fortunas & statum, sed etiam post relatam ex hoste gloriosam victoriam, famam amplificati imperij, nomenque eximij eorum roboris in remotissimas quasque orbis partes cum summa laude dimanaturum. Cæterum vt animos suorum eo efficacius in hanc expeditionem accenderet, antequam copiæ conscriberentur, voluit Dominum Tensæ, hoc est Iaponię monarcham declarare ex tribus nepotibus maximum, qui id temporis annum vigesimum quintum agebat, eiq; nomen Quabacondoni dedit, vt indicaret se imperio velle cedere, & omnem gubernationem in nepotem transferre, depositisque cu. is omnibus priuatam imposterum & tran-

quillam

quillam vitam agere. Facta ſunt hęc Anno 1589. callido admodum conſilio, vt nimirum nepoti, poſt mortem ſuam, tanquam capiti, Iaponię imperium maneret. Hoc ergo peracto, collectiſque maximis militum copijs, omnibus Dominis mandauit, vt vna cum populo cognatiſque & famulis ſuis, operam Coraiano bello darent, ſperabat enim tanto militum numero, qui ducentorum millium erat, regnum illud facile occupari poſſe. Verum licet initiō maxima regni pars, cum vrbe regia & regni metropoli in Ducum iſtorum poteſtatem breui tempore veniſſet, non potuerunt tamen milites iſti, propter maxima præſidia & auxiliares copias à Chinenſium Rege Coraianis ſubmiſſas, toto regno potiri, & in hoc ipſo bello obijt vnus ex nepotibus Taicoſamæ, alter vero paulo poſt Meaci, in ſummo ætatis flore extinctus eſt, tertium, quem Quabacondonum fecerat, ipſemet poſt annos aliquot, vt paulo poſt dicemus, è medio tolli curauit, vt ita euerſis fractiſque columnis, in quas fallaces omnes ſpes eius recumbebant, vnico ipſum temporis momento, & vitæ huius vſura, & vniuerſa monarchia exui difficile non fuerit.

CAPVT LVI.

DE IAPONIORVM SVPERSTITIOnibus, & Chriſtianæ apud eos religionis initijs.

ADitæ primum & detectæ Iaponiæ laudē varij ad ſe transferre Luſitani paſſim legun- *Iaponia à quibus &*

quando primum detecta sit.

leguntur, sed Antonius Galuanus, in libro de noui orbis inuentoribus, cui & alij quidam adstipulantur, Lusitanos præcipue tres, insulæ Iaponicæ primos inuentores nominat. Antonium nempe Motam, Franciscum Zeimotũ, & Antonium Pexotum. Hi enim cum Chinensium regnum, instituta velificatione peterent, pertinaci admodum vento ad Iaponicas hasce insulas abrepti, eas primi omniũ aperuerunt, Anno Christi 1542. quo Martinus Alphonsus Sosa Indicam prouinciam regendam, nouus Goam Prorex peruenerat. Inquirentes autem potissimum in incolarum religionem, eos circa Dei cultum, quod potissimum iustitiæ munus est, & fines bonorum atque malorum, vna cum cæteris, quę Christum ignorant gentibus, miserandum in modum errare cognouerunt.

Bonzii apud Iaponios qui sint.

Magistris religiorum & sapientiæ Bonzijs vtuntur, hi capite ac mento prorsus abraso, inter quotidiana & occulta flagitia atque stupra, cœlibem nihilominus ac sobriam professi vitam, ad mortales decipiendas, conciliandæ pecuniæ causa, in omne argumentum sanctimoniæ & grauitatis compositi sunt. Variæ ac multæ numerantur eorum sectę, nec desunt, qui ad quandam Rhodiorum equitum speciem, bellicas vnà cum religione res tractent, sed communi omnes appellatione Bonzii vocantur, honesto loco nati pleriq; nam proceres, multitudine liberorum, & angustia rei familiaris vrgente, ex illis aliquot ad Bonziorum instituta & familias aggregant.

Vario

Vario autem dogmate, multisque mendacijs, in tollenda pariter Dei prouidentia & animorum immortalitate desudant, Inter docendum tamen interest, impietatem enim hanc pauci palam & promiscuè cunctis hominibus, alij autem non nisi nobilibus atque Dynastis ex arcano tradunt, vulgus & multitudinem promiscuam inferni metu in officio continendam affirmantes. Duobus hisce generibus interiecti scelere & amentia sunt, qui veteres quosdam impostores Amidam & Xacam suppliciter adorandos plebi inculcant, verbisque conceptis deprecandos, neque id per hæsitationē aut angorem, sed animo planè securo, certaq;, si illi tantum rectè inuocentur, salutis æternæ fiducia, quippe quorum vtriusque, dum in terris agerent, tanta asperitas & sanctimonia vitæ fuerit, ad generis humani luenda peccata, vti solicitum amplius esse de superum pace veniaque non modo stultum & superuacaneum, sed & in ipsos beatæ vitæ parentes contumeliosumque atque nefarium sit.

Religio Iaponiorum impia.

Xacam illum dicunt, octies millies natum, antequam à fœmina pareretur, atque eo tempore, priusquam conciperetur, à matre, sanctimoniæ causa, ligna, aquā & omnia alia necessaria hominibus ministrasse. Amidam vero regis cuiusdam filium inprimis sanctum & eruditum fuisse nugantur, qui librum reliquerit multis confertum dogmatibus, sine cuius libri ope nemo seruari possit. Omnis autem libri eius, quē Foquequium vocāt; summa, eò refertur, vt persuadeat hominibus, nihil esse, ex quo omnium esse dependeat. Hinc quamuis

Religionis Iaponiorū vanitas.

plebi

plebei varia ad adorandum numina proponãt, ipsi tamen Bonzij apud se, nihil esse in rerum natura, præter ortum & interitum existimant, dicuntque homines, bruta animantia, plantas & omnia, redire in eum locum vnde profecta sunt, hoc est in nihilum, quemadmodum è nihilo extiterunt. Hinc tres esse hominum animas dicunt, quæ ordine, alia post aliam deinceps, corpus & ingrediantur & deserant, donec in nihilum redigantur. Has vero ineptias in arcanis habent, Interim choros & symphonias libris exercent, mortuorum manes conuiuio excipiunt, curant funera, habent cœnobia cum campanis & cellis, cinericijs quidam & atris vtuntur vestibus, multaq; cum superstitione exequiarum iusta persoluunt, verum enimuero illis omnibus absolutis, addũt ad extremum vocem quandam, qua nugas esse ista omnia denotant, vnde facile intelligitur, eos veluti pecora, iudicio & ratione carentia, nullum esse nec Deum, nec animum, nec Dæmonem statuere. Cæterum cum intima conscientiæ solicitudine vexantur, ad huiusmodi morsus sedandos, sine pudore vllo metuve, in omni scelerum & flagitiorum turpitudine sese volutant, ad optatam curriculi metam per varias libidinum turpitudines peruenire sese posse putantes.

Bonzij de religione nihil sentiunt.

Sunt qui chirographis, (quæ sane magno vendunt,) cauere hominibus solent, nihil eos post mortem incommodi à Dæmonibus accepturas, dummodo delubra diligenter adeãt & idola colant, Hinc delubrorum tanta per Iaponiam frequentia est, vt tredecim millia ab ali-

Diaboli præstigiæ & fraudes in Iaponia.

ab aliquibus numerentur, quorum præcipuum Denix vocatur, in quo statuam venerantur tricipitem, solis Lunæ & elementorum virtutem eam esse affirmantes, cum dæmonis ibi clarè sese exhibentis, speciem subinde cōspiciant, qui carmina interdum quædam eructat, & vel Regis alicuius vita functi, vel etiam bruti cuiuspiam sibi nomen affingit, vt his cæci Iaponij inducti fallacijs, aut Regem illum aut brutum veluti Deum venerentur. In regia Meaci omnis generis idola visuntur, quibus nocturnæ per vices mandantur excubiæ, quod existiment animam simulachri illius vigiliam agere.

Statua triceps in Iaponia colitur.

Idola varia in Regia Meaci.

Quod si forte Rex ea nocte sese minus habuit commodè, simulachrum ex regia fustibus male multatum, exterminatur, & non nisi post centum dierum spatium ab exilio reuocatur. Persuasit etiam huic genti diabolus rem valde honorificam esse, mortem sibi vltro consciscere, vnde non solum capitis damnati optinentes, ventrem sibi dissecant, sed & ad simulachrum in excelsa admodum rupe positum conscendentes vulgo Iaponij, sese in honorem idoli inde præcipitant. Alij nauiculam ingressi, alto sese mari committunt, & nauis postmodum alueo de industria perforato, merguntur, in sanctorum numerum sese hac ratione referri putantes.

Iaponij [illegible] sibi ipsis manus tam facile inferāt.

Porro quos dixi, Amidam & Xacam, & si qua sunt alia primæ notæ nomina, à quibus futuræ vitæ bona expetuntur, patrio cognomine Foto quas vocant, Alios deinde ha-

de habent veluti minorum gentium Deos, bonæ valetudinis, librorum, diuitiarum, & eorũ, quæ ad corpus attinent, largitores, quos camis vocant, suntque Reges ipsi, Regumve filij qui aut inuento quopiam, aut insigni aliquo facinore, falsæ diuinitatis glotiam, post mortem suam consecuti sunt. De horum enim vita rebusque gestis, vti de Ioue Saturno, alijsque inanibus Dijs, Græci & latini quódam poetæ, absurda quædam ridenda & turpia commentantur atque fabulantur. Inde igitur Iaponij paulatim extinctis, quæ Deus indiderat, veritatis igniculis, conscientiæ magisterium exuerunt, effractisque pudicitiæ claustris, in choreas, ludos, compotationes ac Venerem intemperanter effusi, cæci cum cæcis ducibus viatores, ad sempiternum interitum præcipiti celeritate festinant.

Bonzij à rege Iaponiæ coercentur.

Solent equidem Bonzij concionibus ad decipiendum compositis, populum suo arbitratu circumagere, & nobilium diuitumque exequias deducere, carmina alternãtibus choris, suo more decantantes, At pro egenribus ægrotis aut peregrinis publica & gratuita diuersoria nulla extant, itaque sub dio pernoctare coguntur, & deserti ab hominibus siquando moriantur, in sterquilinium abijciuntur. Vsitatũ fuit hactenus vt prægnantes fœminæ partum medicamentis abigerent, idque Bonzijs his autoribus ac magistris, Rex igitur Taicosama cũ hoc de Bonzijs nefarium scelus cognouisset, cõcubinas eis permittere amplius noluit, iussitque ante paucos annos propterea exulare quendam, admodum locupletem sibiq; & cognatio-

Concubinas Bonzijs ha

gnatione & dignitatis gradu proximum, cumque ad aures eius peruenisset, omnes Meacenses Bonzios, concubinis vti, parum abfuit, vt capite multarentur, nisi Gubernator Meacensis spopondisset, se effecturum, ne quid in eo genere amplius ab eis peccaretur. Is igitur Bonzijs omnibus mandauit, vt singulis mensibus iureiurando fidem darent se honeste & castè victuros, idque sub pœna mortis, superioribus vero cuiusq; cætus separatim iniūxit, vt promitterent sub pœna mortis, se eorū, quos suspectos in hac re haberent, nomina, fideliter & absque mora delaturos, quo factum est, vt magno iā in metu viuant, & flagitia sua admodum occulta habeant.

Bonzijs lubere interdictum.

Multa habent varijs locis Gymnasia, quas Academias dicimus, copiosis instructa vectigalibus, atque ob eas res, præcipuum ante hanc hominum ætatem, in tota Iaponia obtinebant honoris atque dignitatis locum, sed post illatas in ea loca faces Euangelij, fraudesque vulgo nudari atque coargui cæptas, multū vniuerso Bonziorum genere de autoritate atq; existimatione decessit. Factum est enim circa annum Christi 1547. cum Lusitani ad inuentas nuper & detectas hasce insulas cum mercibus suis subinde iam commearent, vt Angerus quidam, in oppido maritimo Cangoxima, honesto loco natus, contracta cum Lusitanis institoribus amicitia, de religionis Christianæ mysterijs, & simul de Francisci Xauerij eruditione & pietate multa in familiari colloquio perciperet, indeque paulatim tanto religionis Christianæ & Xauerij amore accenderetur, vti

Religio Christiana qua occasione in Iaponiam delata.

ad eum inquirendum, vasto & ignoto sese mari absque vlla dubitatione commiserit. Profectus igitur cum Lusitanis Angerus, post errores varios variaq; discrimina, Xaueriũ Malacę, summa cum animi voluptate cõuenit. Is cũ de Iaponijs iã antea mira quædam inaudisset, aduenarum istorum aduentu & aspectu admodũ lætatus, crebris colloquijs varia ex illis suscitari non destitit. Percommodo illi ad singula respondebant, minimeque vulgaris inesse cunctis, maxime vero Angero tum indoles tum humanitas visa est. Itaque Xauerius vt primũ Indica negotia transegisset, in Iaponiam tendere omnino constituit, præmissumq; Goam Angerum ipsemet, compositis hinc inde per Indiam negotijs, paulo post, secutus est.

Iaponiorum aliqui Goæ baptizantur

Goam adueniens Xauerius, institutum primo in religione vna cum duobus famulis Angerum, sacro baptismatis fonte abluit, & Paulum eum, famulorumque alterum Ioannem, alterum Antonium appellauit. Deinde ad Iaponicam expeditionem sese diligenter admodum parauit. Vt percrebuit autem rumor iste, amici protinus eum lachrymabundi conuenerunt, rogantes, ne se vltro tam ancipitem & periculosam in aleam daret. Et sane non pauca erant, quæ quamlibet animosum hominem & fortem absterrere à tali itinere potuissent, Primum enim ipsa longinquitas, leucas enim amplius mille trecentas à Goanis finibus terra Iaponia distat, (est autem leuca vt obiter hoc quoque addam, miliare seu mensura quatuor millia passuum continens,) Deinde multis in locis mare piratis infessum, insidiosisque

Leuca quale mensuræ genus.

ísque syrtibus periculosum, & alia id genus multa ad timorem Xauerio inijciendum proponebantur. At ille nullis neq; deprecationibus neque querelis ab instituto sese dimoueri passus est, sed leuato insigni oratione amicorũ mœrore, nauem tandem Anno 1549. conscendit, comites secum ducens, Cosmum Turrianũ & Ioannem Fernandum Hispanos, Paulumq; item cum duobus famulis, baptizatos nuper Iaponios.

Malacam vt peruentum est, nauem quandam Chinensem, (Iuncum ipsi appellant,) in portu depræhendit, certaque mercede cum Nauarcho pactus est, vti relictis ad sinistram Chinensibus, sese & comites in Iaponiam recta perduceret. Post multa igitur nauigationis incommoda Cangoximam tandem, Angeri, vti dictũ est, patriam assecutus Xauerius, à propinquis & domesticis eius amanter admodum exceptus est. Cæterum vixdum recreatis à maritima iactatione comitibus, ad Christianam statim rẽ animum adiecit, ac primo quidem linguæ Iaponicæ rudimentis, pueruli alicuius instar, summo studio & sedulitate operam dare cæpit, deinde in præcipuis fidei Christianæ capitibus conuertendis, quanquam enixè adiuuante Paulo, tamen ob rei difficultatem & linguarum inscitiam, complures dies, ingenti labore & miseria desudatum est. Postremo iis in codicem vtcunque relatis, inde XAVERIUS balbutire ad populum vna cum socijs cæpit.

Xauerius in Iaponiam ad prædicandum Christianam fidem proficiscitur.

Iaponiorum de prædicatione Xauerij iudicia varia.

Magni extemplo concursus ad eos facti, atque vt procacia & acuta sunt Iaponiorum ingenia, ridere alij barbariem, alij quid ea lectione significaretur, ambigere, alij peregrinum habitum cultumque demirari, alij etiam, communis consuetudinis & morum ignaros probris atq; cauillis incessere cæperũt. Nõ deerãt tamen, qui eiusmodi ludibria detestati, innoxios miserarentur, & non spernendos vtique homines eos esse dicerent, qui tam remotis è regionibus, docendi tantum gratia, periculo maximo, vt nulla mercede allecti venissent. Xauerius interea socijque nihil de studio & cõtentioue remiserunt, cumque normam eam viuendi tenerent, tamque illustria sobrietatis, patientiæ, mansuetudinis & aliarum virtutum exempla præberent, vti salutarem afferre se doctrinam factis moribusque ostenderent, commoueri paulatim ciuitas cæpit, aditusque ipsis non ad magistratum solum, sed & ad Regem ipsum, Paulo præsertim adnitente, tandem patefactus est.

Congaxima in Iaponia Rex quomodo se erga Xauerium & Euangelij prædicationem præbuerit.

Rex ille commercium Lusitanorum iamdudum expetebat, quos advicina emporia cum pretiosis mercibus commeare didicerat, cum igitur Paulus & famuli eius, Xauerium hunc, plurimum apud Lusitanos gratia & autoritate valere dicerent, valde sese illi comem & humanum initio præbuit, & prædicandi Euangelij, baptizandæque gentis suæ potestatem ipsis haud grauatim concessit, eaque de re edictum publicũ proposuit, sed & Bonzij superstitionũ Iaponicarum antistites, vel nouitatis gratia capti, vel suis opibus & maiestate confisi, cum nihil

hil ab ignotis præsertim externisque sibi metuerent, fauere tum quidem Xauerio videbantur. Itaque Christiana paulatim sacra in vrbẽ introducta, & Pauli primum vxor filiaque, tũ propinqui & amici complures, eodem Paulo dies noctesque hortante, monente & docente ad baptismum adducti sunt. Hosce deinceps alij subsecuti sunt, quibus ad virtutem & pietatem excolendis, operam Xauerius assiduam impendit. Decretum erat illi, simulatque aliquẽ eius linguæ vsum nactus foret, Iaponiæ totius metropolim Meacum adire, & quo expeditior ad cæteros prædicatio esset, Monarchæ vel Imperatori primum ipsi, quem vniuersæ Iaponiæ Dominum esse audierat, Euangelium afferre, sed Regis huius Cangoximani promissis atque precibus, & oblata rei benè gerendæ spe, diutius quam cogitarat in eadem vrbe detentus est.

Religionis Christianæ in Iaponia.

Interea negotiatores Lusitani cum mercibus suis Firandum regni Figensis appulerant, id vbi cognitum Cangoximæ est, iniquo atque animo Rex tulit, vicinos dynastas & Reges insperatis augeri opibus, & se diuturna lucri aduentitij expectatione frustrari, itaque ex eo statim tempore sensim auersari Xauerium cæpit, & à doctrina præceptisque eius refugere. Bonzii quoque postquam Christianis institutis vitia sua reprehendi, mendaciaque & nefaria dogmata conuelli viderent, Xauerium exsecrari, confictis criminibus in inuidiam adducere, & offensum iam Regis animum, nouis indies facibus magis magisq; accendere cæperunt, non desistentes ab incepto, donec reuo-

Xauerius à Rege Cangoximano repudiatus.

cato priore edicto, rursus capitali pœna sanciretur, ne quis relictis patrijs auitisque noua ex peregrina sacra susciperet.

Firandi rex quomodo se rege Xauerium praebuerit.

Xauerius igitur summa animi submissione furentes eos lenire nequicquam conatus, multaque & grauia perpessus incommoda, Meacũ, quo dudum iam intenderat, abire decreuit, itaque paruulum Christianorum numerum, qui vix ad centum adhuc peruenerat, Paulo commendans, vertente iam anno, Firandum ad Lusitanos cum Cosmo Turriano & Ioanne Fernando progressus est. Ibi vero cum Lusitanis ipsis ingenti gratulatione, tum in eorum gratiam à Rege perhonorificè acceptus, quod optabat vnum, Euangelicæ legis promulgandæ potestatem illico accepit. Linguæ iam paulo maiorem notitiam noui præcones nacti erant, itaque partim dicendo, partim ex codice legẽdo, & honestè insuper in oculis omnium viuendo, plures paucis diebus Firandi, quam toto anno Cangoximæ ad Christũm adiunxerũt. Illis Cosmi Turriani postmodum curæ fideiq; concreditis, Xauerius porro cum Fernando Meacum petijt. Sæuiente autem hyeme Amaugutium, quæ vrbs leucas à Firando centum ferè distabat, & in vmbilico fere Iaponiæ sita erat, peruenit, & ad Regem vocatus, multa coram eo, de vno cæli terręque conditore, de lapsu Angelorum & hominum, de redemptore generis humani Christo Iesu, Dei filio, deque sempiternis pœnis præmijsque, ex libro suo legit, qui postquam attentas ei horam ferme integram præbuisset aures, vt sine honore ita sine

Amanguutij Rex quomodo se erga Xauerium exhibuerit.

ſine iniuria etiam eum à ſe iterum dimiſit. Xauerius autem & Fernandus quotidie bis ad circumfuſam multitudinem per vicos & compita doctrinam Chriſtianam nullo verborum apparatu prædicabant, ſed nullo prorſus cum fructu, cum inſuper non plebis tantum inſane, ſed etiam nobilium infeſto clamore, ſibiliſq; & cachinnis exploderentur, vtriq; Meacũ tandem inde progreſſi ſunt.

Cæterum dificile dictu eſt, quam grauia quamque acerba ignotis in regionibus terra marique tum bimeſtri itinere pertulerint. Pedites ambulabant, & quidem in humeros elata ſarcinula, in manicas, oryzæ ſemitoſtæ bolos, quibus famem leuarent, abdiderant. Ignari viarum, & ſimul vti latronum effugerent inſidias, equites ſubinde citato gradũ perſequebantur, idque diſcalceati, quod eo anni tempore torrentes amneſque non pauci occurrerent, vado vt plurimum ſuperandi, itaque partim equitum quos ſequebantur feſtinatione, partim etiam aſſidua ſarcinæ geſtatione laſſi, adhæc lubrica plerunque via, incerto ac fallente veſtigio corruebant ſæpe, pedibus interim glaciei & algoris iniuria, miſerandum in modum intumeſcẽtibus, ac noctu demum imbre perfuſi, famèque & algore confecti, ſicubi tecto ſaltem agreſti reciperentur, præclare videlicet ſecum agi putabant. Nam in pagis quidem & oppidis, præter cætera vulgi ludibria, interdum etiam lapidibus petebantur, aſt vbi tranſmittendum mare forſitan erat, vix atq; ægrè tandẽ in naues admiſſi, pecudum inſtar in ipſam penè ſentinam detrudi conſueuerant.

Xauerius difficile itinere Meacũ fruſtra contendit.

Per eiusmodi miserias & difficultates, cum ad vrbem deniq; Meacum peruenissent, minime idoneum prædicando Euangelio tempus, cuncta bello flagrantia, surdasque ad salutaria monita incolarum aures ibi deprahenderunt. Ad ipsum vero Imperatorem, quamuis magna adhibita diligentia, adspirare non poterant, itaque terræ natura, incolarumque moribus in præsentia vtcunque exploratis, per easdẽ difficultates, ijsdem itineribus, & eodem fermè temporis spacio, Amangutium reuersi sunt.

Xauerius Amangutium reuersus, Bonziorum habitum assumit.

Regem ibi antea non iniquum Xauerius habuerat, itaque certum & ratum ei erat, omni arte, cura & labore in emolliendis & peruincendis hominibus ibi desudare, cum autem ipsa experientia magistra didicisset, Iaponios Bonziorum fuco & ostentationi adsuetos, externa plurimum specie moueri, & animi bona, corporis fermè habitu cultuq; metiri, ad eorum mores, quãtum sine peccato liceret, conformare sese, in animum induxit. Quare priusquam opus ipsum aggrederetur, Firandum ad negotiatores Lusitanos accurrit, ibique Lusitani Regis impensa, augustioribus vestimentis indutus, commendatitias ad Iaponios Reges literas, quas ab Indiæ Prorege, & Goano Episcopo sibi traditas, interim ibi reliquerat, & munera quædam Iaponijs ante id tempus ignota, accepit. Erant ea vestis Lusitana, vinumque prænobile, & horologium, ex ijs, quæ inæquali ponderum examine, pluriumque rotarũ denticulis inter sese implicatis, lento motu ac perpetuo, temporum interualla distinguunt, quam Europææ solertiæ machinam gentes illæ sine*

læ fine fine mirantur. Hisce rebus in iumenta impositis, ipse, præter Ioannem Fernandũ duobus tribusve Iaponijs comitatus, Amangutium rediit.

Cęterũ Rex acceptis literis & munerib' maximopere delectatus, nouiq; habitus dignitate admonit', instituta cũ cõsiliarijs deliberatione maiore deinceps in honore Xaueriũ habuit, ac primũ auri argentiq; non leui pondere, munificentiam aduenæ remunerari cõtendit. Deinde cum Xauerius obfirmato consilio cũcta reiecisset, altitudinẽ animi suspiciens Rex, vacuas Bonziorum ædes, ei habitandas assignauit, publicisque per vicos edictis propositis, placere sibi, inquit, non Amangutij modo, verum etiam omnibus suæ ditionis finibus regnisque, vnius Dei legem & religionem declarari, eamque cuilibet amplecti liberum esse, velle etiam vt legis ac religionis eius interpretes nulla ratione lædantur vel impediantur. Xauerius igitur & Fernandus ad instituta munia, quam acerrimo studio sese conferentes, interdiu in areis triuijsque conciones habebant, noctu vero confluentibus ad sese omnium ordinum, ætatum, sexusque vtriusq; hominibus, aures & responsa præbebant. Erat autem tanta frequentia celebritasque, vti cætum ædes ipsæ non caperent, cui varijs quæstionibus doctores illos nouos fatigare volupe erat, tametsi enim partim ex veteri historia, partim ex Physica ratione, partim ex Theologorum scriptis, ipsis responderetur, ipsi tamen voluptatum illecebris irretiti, in stultitiæ tenebris & flagitiorum cœno permanebant, cum effuso

Amangutiị Rex religionem Christianam in regno suo prædicari permittit.

sæpe astantium cachinno disputationem extrahentes.

Religionis Christianæ initium qua occasione Amangutij factum.

Cæterum cum aliquot iam menses diuini verbi semina proiecissent, Christianæ tandem fidei germen aliquod ex solo isto arido, emicuit, cuius quidem origo talis fuit: concionanti, vt solebat, in publica via, Fernando, præteriens ex plebe aliquis, attractam præpinguem saliuam, repente in mediam inspuit faciem, ille, sine perturbatione vlla, sputum linteolo abstersit, ac ne verbo quidem reddito, cæptam orationem eodem prorsus tenore vultuq; pertexuit. Videns id ex auditoribus aliquis, haud imperitus rerum æstimator, cogitare apud se cæpit, nobilissimum certe & diuinum plane Philosophiæ genus esse, quod homines ad tantam æquitatem animi constantiamque perduceret. Dimissa igitur concione domum ad Fernandum venit, præcipua Christianæ fidei capita perdidicit, certisque precationibus, Mosis decalogo, & symbolo Apostolorum, ex Catechismi formula memoriter haustis, Amangutianorum omnium primus, anteactæ vitæ peccata detestatus & ex sacro fonte renatus est. Hunc alij deinceps diuino impulsu imitati sunt, ita vt ad quingentos breui peruenerit numerus, qui in proposito firmi stabilesque, per clades, persecutiones, infortunia bellica, & nefarias Bonziorum conspirationes, doctoribus & pastoribus haud semel orbati, Christianam fidem & disciplinam in hoc vsq; tempus religiose coluerunt.

Cæterum circumacto iam anno, nauis quædam Lusitanorum ad Bungi portum appulit,

quod

quod regnum Amangutio leucas circiter quadraginta distat. Ab ijs de statu rerum Indicarũ Xauerius literas cum accepisset, repetendam sibi prouinciam illam existimauit, vt non solum supplementum inde quocunq; opus foret, mitteret, sed & Chinenses, de quibus multa hactenus compererat adiret, confirmatis igitur Christianis, Cosmum Turrianum & Ioannem Fernandum eis præfecit, & in Bungum, quo Lusitanorũ appulerat nauis, recta contendit. Rex erat Bungi tum adolescens & cęcis errorum tenebris inuolutus, attamen cum quanta Xauerij virtus & eruditio, quantaq; apud Lusitanos autoritas esset, cognouisset, (quorũ quidem ille, vt & Reges eius tractus alij, commercium & societatem admodum expetebat) aduenienti Xauerio, valde se humanum & honorificum præbuit, abeunti comitem è suis familiaribus cum epistola & donis ad Proregem Indiæ dedit. Idem cæteris qui Iaponiam postmodum missi sunt Christianæ fidei doctoribus, eandem humanitatem & beneuolentiam præstitit, proprium in suo regno domicilium assignauit, aditum ad Regem finitimorum familiaritatem gratiamque, literis & nuncijs patefecit, quin etiam in rerum suarum discrimine, inter grauissimas bellorum ac seditionum procellas, eorum saluti & incolumitati, maxima fide curaq; semper consuluit, vicesimo octauo demum post Xauerij discessum anno, Christiana sacra suscipiens, (quæ ad id vsq; tempus, metu seuerioris disciplinæ fuerat auersatus) quæ Xauerij nomine, Franciscum sese appellari voluit.

Xauerius Bungum proficiscitur, inde in Indiã reuersurus.

Bungi Rex quomodo se erga Xauerium & religionem Christianã exhibuerit.

Nouissimè

Bungi Rex legatos ad Gregorium 13. Pontif. mittit.

Nouissimè vero ad Georgium XIII. Pontificem, legatos & regia stirpe, venerationis & obsequij nomine destinauit, qui Olisiponem, perquam ancipiti nauigatione deuecti, & à Philippo Catholico Rege inprimis munificè comiterque tractati, bonam Hispaniæ & Italiæ partem, inaudito post omnium seculorum memoriam & gratissimo cunctis principibus populisque spectaculi genere, peragrarunt.

Xauerij ex Iaponia discessum quid secutum sit.

Post Xauerij ex Iaponia discessum, ingens ijs in locis rerum omnium perturbatio extitit. Nam inter Amangutij Regem & populares, atrox statim & periculosum bellum exortum est, nec nisi Regis & filiorum interitu extingui seditio potuit. In Bungi quoque Regē, aliquot principum coniuratio erupit, quibus, commisso tandem prælio, victis cæsisque, otij deinde aliquid ab armis fuit, miserūtq; Anno 1552. dynastæ ex Iaponia ad Proregē Indiæ literas, quibus fœdus & amicitiam vltro expetentes, Euangelij nuncios & sapientiæ magistros sibi transmitti multis precibus contenderūt, & obtinuerunt, quorū quantus breui tempore in prouincia illa profectus fuerit, qui epistolas Iaponicas à Iesuitis hac de re scriptas legerint, cum voluptate & admiratione cognoscēt. Conatus equidem eorum Bonzij haud semel calumnijs fictisque criminibus impedire laborant, sed nullo tamen profectu, cum & Reges sibi habent fauentes, & populus tanta frequentia ad eorum conciones, quas matutinis pomeridianis & vespertinis habere horis passim etiamnum cernuntur, confluere, vt non ædes solum sed & plateæ viæq; oēs auditoribus opplerentur.

CAP.

CAP. LVII.

DE REIPVB. APVD IAPONIOS ADministratione, & infelici Quabacondoni siue imperatoris interitu.

OMnis Reipub. apud Iaponios administratio duplex est, Regibus enim quisque suis in profano foro, & in sacro, sectarum principibus obtemperant, principem enim locum supremus religiorum antistes obtinet, cuius decretis omnia publica priuataque sacra subiecta sunt, Hinc nascentes Bonziorum sectæ nullam existimationem vel autoritatem obtinent, nisi eas idem suo diplomate ac testimonio confirmauerit. Tundos etiam, (qui velut episcopi sunt) confirmat & creat ipse, qui deinde magno apud summos & infimos in honore habentur, & sacerdotia conferunt, Priuilegia quoque & immunitates à profanis muneribus ab illo petuntur, nam quæ leuiora sunt, vt carnis gustatus religiosis diebus, cum ad idolorũ delubra vulgo peregrinantur, aliaq; id genus, eorum potestas penes Tundos est. Sacerdos autem hic maximus vel à stirpe vel à nobilitate & diuitijs legitur, latè admodum imperat, magnisque vectigalibus fruitur, Reliqua gubernatio bifariam diuiditur, præfecti duo summa cum potestate sunt, quorum alter honoribus præest, alter iudiciorum & causarum cognitiones exercet, Honoris præfectus, stirpis successione eligitur, & in Deorum numero colitur. Huic terram pede contingere religio est, domo-

Reipu apud Iaponios administratio quintuplex.

domesticis finibus nunquam egreditur, nec temere sese in conspectum dat, sed intra ędium suarum septa, vel lectica gestatur, vel socijs ligneis spithamam altis ambulat. In sella ferè quiescit, ex altera parte pugionem ex altera vero arcum ac sagittas habens, intima tunica vtitur nigra, extima autem rubra, quæ tenui serico, ceu velo quodam, obducitur, pileum gestat pontificali tiaræ similem, frontem habet rubro candidoque colore depictam, & fictilibus patinis siue porcelinis ad cibum vtitur, omne autem apud eum iudicium est, quo quisq; honoris titulo sit decorandus. Tribus vero de causis, dignitatis gradu deijcitur, si nimirum pede terram contigerit, si aliquem occiderit, & si pacis otijque inimicus euaserit. Iudiciorum præfectus nomine Quingue, præcipuis administris duobus vtitur, quorum vnum Enge, alterum Goxum vocant. Is cum reliquæ iurisdictioni, tum etiam bellis indicendis & sedandis præest, nec non puniendis ijs, qui in regno seditionem excitauerint, quas ad res Regum opera atque opibus vtitur, quorum, nisi paruerint, bona proscripta, finitimis ciuitatibus addicit.

Quabacondonus Iaponiæ imperator quam crudelis natura fuerit

Hæc magistratus apud Iaponios ratio est. Cæterum cum magistratus Regesque & dynastæ omnes, vnum in Iaponia quasi monarcham & imperatorem agnoscant, quemadmodū suo loco dictum est, & vero is superioribus annis Taicosama fuerit, qui Quabacondonum, suum ex fratre nepotem, & regni à se declaratum hæredem, interfici curauit, historiam eius hic pertexere, & tam de Quabacondoni quam de

ipsius

ipsius Taicosamæ vita interituq; aliquid annotare visum est, Erat igitur Quabacondonus iste ætate iuuenis, natura ingenua & liberali, ingenio acri & solerti, prudentia rara, & alijs morum optimorum ornamentis conspicuus, vno tamen insigni næuo notatus erat, cuius tanta erat fœditas, vt nó mediocriter obscuraret, quicquid boni vel pulchri in eum natura contulisset, ex quo non poterat nisi magnū aliquod malum toti impēdere Iaponiæ. Vitiū illud huiusmodi erat, videbatur cū lacte quasi bel uinum imbuisse animum, ita ad humanū sanguinem profundendū erat facilis, & in mactandis hominibus adeo immanis, vt ex sūmis eius voluptatibus hæc vel præcipua videretur, quam ex trucidatione & dilaniatione miserorū hominū percipiebat. Singulis. n. diebus certa quadā hora oblectationis & solatij sui causa, carnificis fungebatur officio, in trucidandis, qui iudicis sentētia morti addicti erant. Cum igitur tā immanis fuerit, vt manibus proprijs, humanū fundere sanguinem pro oblectamēto haberet dubium non est quin exitum tandem iusto Dei iudicio sua persona & meritis dignū inuenerit

Necis quidem eius causæ aliæ atq; aliæ excogitatæ sunt, vera autem & præcipua, quæ rem totam ad exitū produxit, fuit, quod paulo post quam à Taicosama imperator & Dominus Tēsæ declaratus esset, natus fuerit Taicosamæ ex vna Cōcubinarū filius, pro eo. n. curauit statim Taicosama solenni ritu & ceremonia festū diē agi, cum generali totius populi lætitia & congratulatione, quemadmodum pro tanti principis filio fieri congruebat. Vix autem is edi- *Quabacondonus cur à Taicosama interfectus sit.*

tus in

tus in lucem fuit, cum Taicosama interuersis prioribus consilijs, quæ maximopere ei hactenus arriserant, alio machinationes suas conuertit. Voluit enim puerum hunc à Quabacondono in filium adoptari, ea mente, vt paulo post eum Quabacondoni titulo & possessione renunciare compelleret, Qui prætextus vti nō poterat esse obscurus Quabacondono, ita summam ei attulit molestiam & curam. Erat enim eo tempore tribus iam filijs auctus, quos vbi ipse monarchiam plus satis administrasset, paterni regni hærede relinquere expetebat vnicè. Itaque cum varij passim sermones de toto hoc negotio inter homines agerētur, magis indies magisque increbuit rumor vel Taicosamam à Quabacondono, vel hunc ab illo interfectum iri.

Taicosama nouum Quabacondonū inuisere statuit.

Hoc loco & statu cum res esset, ex veteri Iaponiorum consuetudine debuit Taicosama nouum Quabacondonum celeberrimo quodam ritu & ceremonia inuisere, est enim in hac gēte multis retro seculis, confirmatus mos, vt quando Dominus Tensæ transtulit imperium in filium non modo Reges & Domini omnes conferant se visitatum nouum imperatorem, atque ita eum quasi Dominum suum recognoscant, sed parens etiam ipsemet qui ei imperium obtulit, eum publica solennitate & pompa celeberrima visitet, Taicosama igitur cum imperio renunciasset, optabat vehementer, nouum Quabacondonum inuisere, cumque non ignoraret, hanc ceremoniam ex illustrissimis famosissimisque esse, quæ tota Iaponia fieri solent, & ipse æternam nominis sui memoriam extare

, extare cuperet, visitationem eam splendidissimo, quoad fieri posset apparatu peragere decreuerat. Idem obstabat Quabacondonus etiam, videbat enim se & autoritate & maiestate ampliori hac ratione in throno Iaponiæ imperiali collocãdũ. Cognita itaq; volũtate Taicosamę, Quabacõdonus certis hominibus, cõuiuiorum regiorum parandoram peritis, negotium dedit, vt quæ ad sumptuosissimum conuiuium necessaria essent, prouiderent. Cæterum facto iam omni apparatu, cum dies solenni visitationi destinata adesset, admonitus Taicosama, de nescio quibus insidijs, profectionem in octauum diem prorogare constituit, sed tandem tamen euitata iterum sententia, visitationem omnino perficere in animum induxit, parum scilicet honorificum sibi fore ratus, si promissioni suæ, etiam cum aliquo periculo non satisfecisset, abiectique animi argumẽtum esse putans, si non faciendo visitationem, timere sese Quabacondonum declarasset. Incitabat eodem, quod iam omnes Reges & Domini ad celebritatem illam inuitati conuenerãt, & quod videret, si differret profectionem, in tantam Quabacondoni contumeliam id vergere, vt ipse palam & aperta vi sese vindicaturus esset. Quocirca studiose omnia in animo versans, & in euentus futuros sese communiẽs aulã Qnabacõdoni cũ solẽni apparatu accessit,

Pridie autem visitationis coniugem suam Mandacorosamam nomine præmisit, in cuius comitatu primũ omnis turba aulica, longissimo ad tria fere passuum millia tractu, pulcherrimo ordine procedebat, quàm custodiæ causa *Taicosama vxor, qua pompa ad nouum Quabacondonũ profecta sit.*

antecedebat ingẽs vis militum, ab armis adeo instructorum, vt in quouis celeberrimũ spectaculo comparere potuerint. Secundo loco sequebantur tres arcæ oblongæ, eleganti opere factæ, quibus vestes Mandacorosamæ inclusæ erant, succedebant quinquaginta aliæ cistæ quibus inerant pedissequarum eius, & aliarum Dominarũ comitantium eam vestes. Sequebãtur equi sedecim, qui ornamentorum suorum splendore, omnium in sese oculos conuertebant, erãt enim auro argentoq; & reliquis muneribus onusti, quibus ipsa cum marito donare Quabacondonum eiusq; familiam debebat. Quintum locũ tenebãt primarij aulæ Domini, equis inuecti, & multis vasallis serica veste indutis, stipati. Sextò prodibant lecticæ octo, ministrorũ aliquot humeris deportatæ, quæ suo splendore non minus illustrẽ vniuersum equitatũ, quam gratum, ob artificium quo constructæ erant, reddebant. Deferebãtur hisce lecticis nobiles aliquot fœminæ, & post eas sequebatur lectica ipsius Mandacorosamæ, precio & artificio reliquas omnes quã longissimè superans, post hæc turba centũ vel amplius lecticarũ, cũ totidẽ nobilissimis fœminis sequebatur. Dehinc procedebãt cẽtũ & quinquaginta mulieres equites, vestitu splẽdidissimo indutæ, & caput pileolis, siue artem siue ornatum spectes preciosissimis tectæ. Quęlibet aẽ suũ habebat comitatũ, & viros quosdã, regẽdis equis destinatos. Hac splendidissima põpa Mandacorosama arcẽ Iurazũ ingressa, à Quabacõdono honorificè excepta & multis decorata muneribus fuit.

Sequenti die Taicosama ipsemet ex suo palatio,

latio, quod non longè aberat ab arce Iurazu, in eadem nempe ciuitate Meaco, digressus, cũ vniuersa nobilitate Iaponiæ sese in viam versus nepotis palatiũ dedit, idq; tali ordine, primo à palatio ex quo egrediebatur, vsq; ad Iurazũ curauit in ordinẽ disponi septingẽtos milites, qui oẽs strictũ manibus gladiũ tenẽtes, nõ nisi duob⁹ passibus ab inuicẽ distabant, constituta hac militũ custodia, primi omniũ prodibant trecenti illustres Domini, cũ suæ dignitatis insignibus, ac singuli comitatu aulicorũ suorũ, aliorumq; subditorum stipati. Hos proxime insequebãtur cæteri Domini, quorũ alij arcũ, alij ensem, alij pugionẽ, alij alia arma Taicosamæ preferebant. Pone succedebat currus, in quo Taicosama ipsemet vehebatur, auro & cælatura venustissima conspicuus. Trahebatur à duobus bobus atri coloris, quorum cornua erant inaurata, ipsi vero pãno purpureo, & pretioso alio ornatu cooperti incedebãt. Vtebatur autẽ bobus, non quod equi deessent, sed ex prisca Iaponiorũ consuetudine, quã sartã tectã esse in hac solẽnitate voluit. Erat autẽ currus hic circũdatus multis honorarijs adolescentibus alijsque nobilibus iuuenibus, qui pedites, maioris reuerẽtiæ & honoris causa, erga Domini sui maiestatẽ, procedebãt. Taicosamæ cũ tanto apparatu procedenti, multi ab altera plateæ parte equites, ex Quabacõdoni digressi palatio, obuiã procedebant, eoq; cõspecto, equis omnes descendebant, sicut fecerant quoq; Taicosamæ equites, qui vtrinq; dispositi viã pararunt curribus transituris. Paulo post aderat & Quabacondonus in alio curru, qui pretio & splendo-

Taicosama quanta solennitate Quabacondonum inuiserit.

Quabacondoni quomodo Taicosamam conuiuio acceperit.

ſplendore curuij patrui non multum cedebat, ſequebantur eum Domini plurimi ex ſtirpe & familia Dairi, quiſq; ſuo corporis cultu, comitante aula. Vterq; currus obuiam ſibi facti sut in platea primaria, ſed antequam coniungerentur, ſatis magno à ſe inuicem interuallo ſubſtiterunt. Interim Quabacondonus imperabat Dairo & Proregi Meacenſi, vt ex ſua parte irent receptum Taicoſamam, & conſuetas ſalutationes præſtarent, contra Taicoſama duos alios amandabat, peractaq; ſalutatione, omnes conſcenſis iterum equis Quabacondonum in arcem Iurazum ſecuti ſunt. Ingreſſus autem palatij aream Taicoſama, magno honore in arcē introductus eſt, & Quabacondono munera ſua ſecundum Iaponiæ morem obtulit, qui ea ſibi cariſſima eſſe, ob dignitatem & pretium non obſcure demonſtrauit, & vt grati animi teſtimonium aliquod erga eum relinqueret, munificentia & humanitate eum quaſi vincere conatus eſt, longeq; præſtantiora & pretioſiora ei dona obtulit, quam ab ipſo acceperat. Permanſit autem Taicoſama tribus apud Quabacōdonū diebus, vbi cōuiuia, ludi, aliæq; recreationes in concentu muſico, comœdijs & alijs exercitijs tot taleſq; fuerūt, vt vel fidē ſuperare videātur. Cōſumpto autē in delicijs triduo, & Taicoſama cū ſuis ad palatiū ſuum iterū reuerſo, Quabacondonus ad viſenda ingentia & ſūptuoſa palatia, quæ Fuſumi excitauerat eū, inuitauit, & cōuiuiū ibi nō minoribus, quā Meaci fecerat, impenſis apparari iuſſit. Nō audebat autem Taicoſama id palam recuſare, ſed promittendo indies, ſe poſtero die affuturum, rem tam diu protraxit & prorogauit, vt tandem

Quabacondani conatus in nihilum reciderit, vnde acerbissimo in patruum accensus odio & in arcem suam Iurazum Fuscimo reuersus, indignum animo facinus meditari cœpit, & in dies ferocior, crudeliorque in mactādis & trucidandis hominibus, factus est.

Cæterum videns, se in altum quoddam difficultatum pelagus prouectum esse, primarios quosque Reges & Dominos sibi conciliare & interposito fœdere deuincere conabatur, Misit igitur qui eos admoneret, vt non solum iureiurando sponderent, sed scripto etiam testarentur, se fideles Domino suo, & ad præstanda sincerè officia paratos fore. Hoc autem cognito, Taicosama eum ad se vocari curauit, qui vehementer sese affligi humore melancholico, & propterea hac quidem vice venire non posse respondit. Mordebat hoc responsum Taicosamam, itaque per quinque Dominos quos in aula sua habebat sibi maximè fidos, nouam ad eum legationem parabat, quinq; capitibus compræhensam, quorum primum erat, quod intelligere non posset, quomodo Quabacondonus ægrotaret & simul tamen exercitationibus bellicis interesset. Alterum, quod sibi videretur indignum persona Quabacondoni, manus suas contaminare subditorum suorum sanguine, Tertium, cur quoties domo pedem efferret, tanto esset armatorum hominum comitatu stipatus? Quartum, cur ordinarium sclopetariorum præsidium, mille capitibus adauxisset? & Quintum, cur iuramentum fidelitatis à Regibus & Dominis omnibus scripto exegisset? Ad hęc capita Quabacondonus, quod sibi

Taicosama suspicionem de Quabacō dano concipit.

videbatur optimum respondit, præsidium autem bellicum sese propter patruum suum auxisse dixit, vt si qua forte seditio in Tensa existeret, haberet ipse statim ad manus, quorum auxilio eam sedaret atque reprimeret. Taicosama non contentus hac responsione, misit aliquem qui Quabacondono significaret, petere se, vt si veram causam dixisset, iureiurando eã confirmaret, itaq; Quabacondonus iuramentũ scribi & manu sua confirmatum ad eũ deferri curauit. Accepto hoc scripto acquiescere sese egregiè simulauit, interim tamen ex varijs Iaponiæ partibus copias euocari secretissimè curauit, quas vt in itinere iã esse, & Fuscimũ versus tendere per internuncios cognouit, non opus iam esse amplius simulatione apud nepotẽ ratus, misit illico, qui ei mandaret, Fuscimum vti (eo enim Taicosama se tum contulerat,) nulla interiecta mora, paucis tantum honorarijs pueris stipatus, facti sui rationem redditurus veniret, cognouisse enim sese quas proditiones in se machinatus hactenus esset. Hoc patrui mandato tam seuero accepto, cum animaduerteret, se viribus ad rebellandum necessarijs destitui, viam statim cum paucis seruulis, (neque enim melius tum occurrebat consilium) Fuscimum versus ingressus est, viam, quæ ex Iarazu Fuscimũ ducebat, præsidijs hinc inde munitam animaduertens, ne vllus fugæ locus pateret, Fuscimũ igitur perueniẽs, nõ palatiũ suũ sed priuati cuiusdã Domini ædes ingressus, ibique à meridie ad vesperã vsq; cõmoratus est, quo tẽpore Taicosama ei per certũ hominẽ mãdauit, vt nulla interposita purgatione, duobus

Quabacondonus à Taicosama ad iudicium vocatur.

tan-

tantũ comitãtibus honorarijs pueris, se ad monasteriũ Coianum, quod in regno Chinocuno, altissimorũ montiũ vertici impositũ est, & exulũ relegatorũq; receptaculũ vulgo habetur, reciperet. Quabacondonus igitur repente discedens, speculatores vbiq; constitutos vidit, qui num contra mandatum eum aliqui comitarentur animaduerterent. Nocte autẽ ad locum tribus à Fuscimo leucis disiunctum, cui Tamamizu nomen est, peruenit, ibi more Iaponico, vna cum comitibus se rasit, hoc est, capillorũ, retro dependentium floccum, vna cum barba abscidit, & sibi nomen Dei assumpsit. Tridui tandem itinere ad Coianũ monasterium, oppido lassus, & difficultate itineris admodum debilitatus peruenit, siquidem postquam ex Tamamizu egressus esset, neminẽ inuenerat, qui vel minimum ei humanitatis officium exhibuisset. Receptus autem in domum, quam ei assignarant Bonzij, cænare debuit non velut Dominus Tensæ, & dormire, non vt Quabacondonus, sed vt miser exul & captiuus, nec enim erat ibi pretiosorum illa ciborum varietas, cui insueuerat, nec cæteræ deliciæ, quæ palatũ recrearent, sed victus parcus & tenuis, qui vix ad pellendam famem sufficiebat. Nõ aderãt molles lecti, stragulis sericis aureisq; operti, quibus fessos refocillaret artus, sed exiguæ culcitræ, quæ vix ipsum comitesq; capiebant. Graui igitur obrutus dolore Quabacondonus, in hæc verba illachrymãs erupit, pauculos ante dies, vos ministros meos, magna felicitate beare poterã, nũc aũt, ah fortunã infelicẽ, vix locus mihi relictus est, vbi vel somno afflictũ spiritum reficiam.

Quabacondonus ad Coianum monasterium proficiscitur.

Quabacondonus varijs miserijs in exilio affligitur.

Cæterùm multo calamitosiorem Quabacõdoni statum reddebant milites eius custodes, per quos, de mandato Taicosamæ, omnis aditus interclusus erat, literis nũcijs, & colloquijs omnibus. Cũ igitur indies augescerent eius ærumnæ, iamque cogitationes molestissimæ, eũ ob recentem memoriam imperij, potentiæ, voluptatum & deliciarum maximarum, quibus paulo ante vsus fuerat, grauissimè excruciarẽt, nec æquo animo tam repentinam tamque acerbam mutationem sustinere posset, finem huic malo imponere, & sibijpsi violentas inferre manus cogitauit, quod socij comitesque eius ex pallore vultus, ex aspectu oculorũ turbato & formidabili, ex deambulatione nunc lẽta, nunc concitata, & alijs signis facile cognoscebant, quare omnem mouebant lapidem, vt eũ ab hac tam stulta voluntate deducerent. Erant socij eius decem numero, atque inter eos Viceregis Meacẽsis nepos quidã, qui vnus ex omnib⁹ eo ipso anno baptizatus, Michaëlis nomẽ acceperat, cum igitur omnes ad mortem cum Domino suo fortiter sustinendam sese compararent, diuina factum prouidentia est, vt tertio postquam Coianum monasterium assecuti essent die, mandatum à Taicosama afferretur, quo quinque è comitibus Quabacondoni inter quos hìc Michaël etiam erat, confestim ad suos parentes Fuscimi habitantes redire iubebantur. Recusabant idipsum omnes, sine infamia Dominum suum sese deserere non posse dictitantes, verum Quabacondono eos rogante vt mandato patrui obsecundarent, sperãteque

que hac ratione placari forsitan Taicosamam posse, reditum ad suos fecerunt.

Post eorum igitur discessum, allatum est statim aliud à Taicosama mandatum, vt Quabacondonus omnesque eius socij ventres sibijpsis dissecarent. Cognita igitur extrema illa & irreuocabili Taicosamæ sententia, infelices illi omnes qui adhuc cum Quabacondono erant, ad mortem sese compararunt. Et primus quidem omnium in se desæuientium fuit famulus honorarius, nouendecim annorum, cui post dissectum ventrem adhuc palpitanti Quabacondonus, acinace caput ipsemet abscidit, & in sublimi admodum loco defixit. Idem fecit secundo, octodecim annorum adolescenti, & tertio etiam, qui decimum sextum annum agebat. Sed & quarto qui Bonzius quidam Biuscirtus nomine erat, in dissecando ventre occupato, caput à corpore, antequam cruciatum & dolorem aliquem sentiret, statim abstulit. Quintus voluit esse ipsemet Quabacondonus, cui dum barbaris manibus, ad feritatem iam assuefactis, se dilaniaret, equas quidã, eo ipso, quo immanissimas hominum strages antea ediderat Quabacondonus, gladio, caput, abscidit. Sextus fuit dictus eques, qui vt reliquos ætate superabat, erat enim annos quatuor supra triginta natus, ita postremus in se desæuire, & finem funesto huic actui imponere, de communi omnium consilio & sẽntentia debuit. Finita igitur hac miserabili tragædia, confestim aduolarunt Bonzij, eodem loco corpora corũ omnia simul cremarunt, haud obscurè inuen-

Quabacondonus vna cũ socijs quinq; ventrem sibi dissecat.

tes, infaustas eorum animas, (gentiles enim & ethnici omnes erant) sempiternis iam tum inferni flammis conflagrare cœpisse.

Cap. LVIII.

De Taicosamae Iaponici Imperatoris crudelitate & morte, deque turbis & motibus mortem eius secutis.

Quabacondoni familia omnis à Taicosama extirpatur & deletur.

PErlato Fuscimum funesto de interitu Quabacondoni nuncio, Taicosama statim ad extinguendos, qui partes eius secuti fuerunt, adijciens animum, tres primarios ex Quabacōdoni familia Dominos, qui in diuersa sese monasteria receperant, è medio tolli, matremq; eius in Amidæ delubrum abduci capiteq; truncari iussit. Postmodo ín semen quidem vllum ex gente illa superesset, eorundem quoq; occisorum, (quod nouum tamen & inauditum inter Iaponicę principes erat) vxores liberosque extirpari & interfici curauit. Vt vero maiori cum infamia suppliciū hoc instituer etur, imperauit, vti publicè, postquam currui impositæ per vias & plateas vrbis Meacensis circūductæ essent (quod quidē ignominiosissimū putatur) in loco à supplicijs sceleratorum infami mactarentur. Cum igitur luctuosus ille dies aduenisset, quo mandatum Taicosamæ exequendum erat, curribus impositæ in omnium hominum conspectum prodierunt vxor Quabacondoni cum duobus filijs filiaque vna, & triginta nobilibus alijs fœminis. Miserabile admodum infelicis huius societatis spectaculū erat, quod ad suspiria, lachrymas, ploratus & ge-

& gemitus vniuersam ciuitatem cõmouit. Ad locum vero supplicio destinatum & peruentum est, excepit eas carnifex, manu sua Quabacondoni caput gestans, vt eius aspectu terrorem doloremque propria morte maiorem eis incuteret. Itaque in eius præsentia, barbara quadam feritate, liberi primum tres iugulati, deinde vxor cum reliquis mulieribus ex curribus detractæ, & habita prius capiti Quabacondoni reuerentia, à carnifice obtruncatæ sunt, corporibus in fossam iniectis omnibus, cui inædificari postmodum tumbam, cum inscriptione, Templum proditorum, Taicosama præcepit. Non conquieuit tamen vesania Taicosamæ, sed mandatum dedit, vt vnius, trium istorum dynastarum, quos post Quabacondonum trucidatos diximus, vxor cum tribus filijs occideretur, verũ vidua illa cognito impio Taicosamæ decreto, ne filij in currum traherentur, maluit eos suis domi manibus iugulare, super quos ipse denique pugione in pectus adacto, mortua quoque concidit. Capita nihilominus eorum in loco supplicij palis affixa sunt, cumque nemo superesset, in quem sæuiret amplius Taicosama, rabiem suam in arcem Quabacondoni conuertit, eamque funditus euerti curauit vna cum vrbe, qua vndique cingebantur, nec aliud ferè quam nobilissimorum dynastarum palatia, numero ferè trecenta, continebat, quæ Fuscimum, cum vniuersis Quabacondoni opibus & thesauris transtulit.

Taicosama morbo corripitur.

Facta sunt isthæc quæ de Quabacondoni interi-

interitu commemoraui omnia, Anno Christi 1595. Cæterum tertio postmodum anno, Taicosam cùm in propugnaculo Tuscimano degeret, dysenteria laborare cæpit, coniuncta, vt ferè fit, cum quadam stomachi intemperie. Videbatur quidem initio omnis periculi abesse suspicio, sed postmodum eousque morbus inualuit, vt penitus de vita periclitaretur. Verum ille ne minimum quidem hoc casu consternatus, non secus ac si corpore esset valentissimus, pectore intrepido & inusitata quadam prudétia de rebus suis statuere cæpit. Eo autem directa erant eius consilia, vt filium sex annos natum in Imperio post se successorem relinqueret. Quocirca apud animum suum reoluens Gieiasum quandam, octo regnorum Dominum, omnium in Iaponia potentissimum, Ducé belli fortissimum, genere nobilissimum, populoque carissimum esse, decreuit enim tâta beneuolentiæ significatione sibi deuincere, vt non posset non fidelitatem spondere. Ac cersitum igitur ad se, præsentibus primarijs aliquot Dominis, hunc in modum allocutus est: Morior, inquit, nec mori piget, mors enim omnibus hominibus communis est, illud modo non parum me angit, quod filium ea ætate relinquam, qua capessere imperiû necdum possit, & propterea diu multùmque perpendens, cui administrationem, donec ipse regno sit idoneus, tuto committam, neminem imperio magis idoneum præter te inuenio. Quare tibi vna cum filio vniuersæ Iaponiæ imperium nûc in manus trado, certa spe fretus, te illud vicissim filio, cum ad ætatem gubernationi idoneâ per-

Gieiaso Iaponici Imperij administratio committitur.

peruenerit, redditurũ. Vt autem hæc pacta conuenta solidiora sint, & ampliori omnium Iaponiorum lætitia ineantur, cum ex filio tuo filiolam nactus sis bimulam, volo, vt hanc filio meo nuptiali fœdere pariter copulemus, vt ita auus vnius, simul alterius pater fias. Non poterat ad hanc orationem Gieiasus continere lachrymas, commemoratisque beneficijs sibi à Taicosama exhibitis, vt primum, inquit, Celsitudo tua voluntatem suam mihi aperuit, constitueram omne studium atque industriam in tutelam Principis filij tui conferre, quo ipsi imperium sartum tectumque maneret. Iam vero quia insuper dignata est, fidei meæ regnum cum Rege ipso committere, filiumque suum filij mei generum facere, (quo beneficio nullũ hactenus mihi contigit excellentius) mancipium plane tuum factus sum, tot nimirum amoris catenis tibi alligatus, & non possim non omnem imposterum lapidem mouere, quo vota & imperata tua perficiantur.

Dato hoc responso, sponsa in Taicosamæ conspectum adducta, & quoad tempus ferebat, cum gaudio & solennitate matrimonium initum est. Voluit autem deinde Taicosama Gieiasum sponsionem suam iureiurando firmare, cæterosque Dominos itidem iuratos, obedientiam & fidem promittere, tum quod filium, vbi adoleuisset in regni possessionẽ essent promoturi, tum quod Gieiaso interea debitam reuerentiam & obedientiam essent declaraturi. Collegas præterea Gieiaso dedit quatuor principes viros, vt hac ratione multi huius honoris participes facti, & in administrãda Repub.

Administratores Iaponiæ à Taicosama constituti.

pote-

potestate quasi pares inter se pacem colerent, eo enim fine mādauit, & depositis dissensionibus, cōiugiorū fœdere inter filios & filias eorū contracto, arctius copularētur. Præterea quinque adhuc alios ex suis familiaribus, quos ad magnos honores euexerat delegit, qui filij sui Principis singularem curam gererent, familięque eius, & toti Iaponiæ sic præessent, vt in rebus magni ponderis, omnia ad Gieiasum eiusque quatuor collegas referrent. Hac itaque ratione nouem Iaponiæ administratores facti sunt, Gieiasus vero, præ cæteris Taicosamæ chartus, totius imperij clauum tenere iussus est.

Taicosama post mortem suam pro Deo haberi expetit.

Cæterum ad pręcauendos bellorum tumultus, qui oriri solent, post supremi alicuius monarchæ obitum, iussit munitissimum Imperij propugnaculum, Ozacanum nempe, nouorum murorum accessione, quorum ambitus trium miliarium spatium æquaret, inexpugnabile quasi reddi. Mortem autem suam in longum tempus celari voluit, donec opus illud perfectum esset, cupidusque nominis sui apud omnem posteritatem perpetuandi, vt nempe tanquam Deus coleretur, noluit corpus suū post mortem cremari, sed in arcem artificiosè ad id elaboratā inclusū, in propugnaculo isto, idq; loco recreationibus & ludis destinato, deponi, & Scinfaciman, hoc est nouum Faciman nominari, qui apud Iaponios, vt Mars olim apud Romanos pro Deo belli habetur. Cum igitur in hunc modum de rebus Iaponiæ constituisset, & moribus eius indies incrementum

sume-

sumeret, mandauit se ad locũ totius propugnaculi altissimũ & occultissimu, ad cauendas oẽs visitationes & strepit⁹, deportari, vt ita vel trãquillius curaretur, si spes vlla medelæ foret, vel certè sine perturbatione vita defungeretur, filio itaq; principi, petita secedendi facultate, dixit, vt patrem deinceps appellaret non se, sed Gieiasum, cui illum etiam tunc commisit, cum vero & reliquis Dynastis Dominisque extremum vale denunciasset, numerumque eorum qui secum maneret & ad cubiculum admitti possent, designasset, iamque Medicis, vt continenter ibidem commorarentur mandasset, in locum præscriptũ delatus fuit, vbi post dies aliquot Phrenesi correptus animam tandem exhalauit. Eo autem extincto administratores Iaponiæ omnibus opificibus alijsque Fuscimi habitantibus imperarunt, vt iurarent, primo, se neque de vita & morte, neq; de morbo Regis quicquam locuturos, deinde, se neminem in ædes recepturos, qui non idem sanctè promitteret & seruaret, cumque mandato huic famulus quidam, nescio cuius Domini, minus paruisset, & de morte Taicosamæ aliquid locutus fuisset, in crucem statim actus est, quo exemplo ita territi Iaponij sunt, vt nullus deinceps vel hiscere de hoc argumento quicquam ausus fuerit.

Taicosamu Fuscimi moritur.

Administratores equidẽ initio de fide, mortuo Taicosamæ præstanda soliciti, constituerunt, vt omnes eius leges diligenter obseruarentur, quæq; morientis testamẽto suę cõmissa fidei scirent, ad eum quem ipse optauerat exitum

Administratores Iaponiæ dissensionibus varijs distrahuntur.

exitum peruenirent, verum cum stabilis raro sit inter eos concordia, qui communiter imperant, Gibunoscij & Asonodangij administratorum qui simulatam aliquandiu coluerant amicitiam, occulta tandem odia eruperunt, graues item inter principes viros alios dissensiones exortæ sunt, alijs Gibunoscij, alijs vero Asonodangij partes sequentibus, seque inuicem criminibus onerantibus & exterminare conantibus. Quamuis autem Gieiasus alijque magnates nihil intentatum relinquerent, vt omnes depositis inimicitijs, ad stabilem reducerentur concordiam, Gibunoscius tamen ei palam aduersari cæpit, exprobrans ei, quod in administrando Imperio nimiam sibi vsurparat autoritatem, quodque non obscura de occupando Tensæ dominio indicia dedisset. Sumptis igitur armis Gibunoscius de aliorum administratorum sententia nuncios ad Gieiasum misit, qui aperte ei declararent, quæ sibi in rebus eius displicerent. Benigne ad omnia respondit Gieiasus, factorumque suorum, quas potuit, optimas rationes dedit; cæterum ne imparatus inueniretur, ex Regnis suis, (quorum octo possidebat) militum triginta millia accersiuit, seque quam potuit optimè contra vim hostiũ muniuit.

Turbæ in Iaponia à Gieiaso quomodo composita fuerint.

Versabantur eo tempoee Magnates omnes, iuxta Taicosamæ dispositionem, Fuscimi alij, alij vero ozacæ, quæ munitiones prope Meacum sunt, magnusque erat militum ex varijs regnis à Dominis suis euocatorum, in prædictis munitionibus numerus, vnde non solum singulos proceres interdiu videre licebat in

ædibus

ædibus suis stipatorum multitudine quasi arcta obsidione tenerentur, cinctos, sed & nocturno potissimum tempore tantus in munitionibus istis fuit armorum strepitus, vt nemo esset quin earum subuersionem maximopere metueret. Continebant tamen sese intra terminos suos, ita vt neutra pars alteram ad pugnam lacesseret, verum temporis progressu, cũ & militum numero & magnatum, qui à Gibunoscio defecerant, accessione Gieiasus inualuisset, alia ratione tranquillari Iaponiam non posse dixit, quam si Gibunoscius more patrio, ventrem sibi discinderet. Gibunoscius igitur cum in has redactus esset angustias ad Fuscimi munitionem, (Ozacam enim cum Taicosamæ filio Gieiasus tenebat) sex armatorum millibus stipatus confugit. Hoc audito, non existimabat Gieiasus suam ad munitionem istã procrastinandam profectionem esse, cumque eo exercitum adduxisset, principum aliquot adhortationibus inductus, ab armis discedere promisit, si Gibunoscius in ordinem redactus, quem gerebat magistratum deponeret, & à Reipub. administratione abstineret. Coactus est igitur Gibunoscius voluntati Gieiasi tum satisfacere, qui tanta prudentia in compescendis istis motibus hactenus vsus fuerat, vt sine vlla sanguinis effusione, ex turbulentissimo statu ad tranquillitatem omnia traduxerit.

Pace constituta Gieiasus, sese Daifusamam postmodum appellari voluit, & collegis suis quos secum retinuit, non ademit quidem eam quam antea obtinuerant Reipub. curam, verum nihil ab ipsis iniussu suo fieri permisit, *Bellum ciuile inter Iaponiæ principes recrudescit.*

ordinem à Taicosama in gubernanda Repub. institutum, & ad Principis maiestatem conseruandam inprimis vtilem, diligenter retinendum esse dictitans. Hinc factum, vt quiescere non diu Proceres alij potuerunt, in quorum animis odium aduersus Gieiasum semper permanserat. Inito igitur contra eum fœdere, cũ in suis forsitan regnis esset, bellum ingentibus studijs aduersus Daifusamam renouarunt. Ardebat igitur de nouo omnis Iaponia bello ciuili, in duas factiones diuisa, quarum vni præerant nouem Proceres Regni administratores, alijq; complures principes viri, alterius vero factionis caput Gieiasus seu Daifusama erat, qui in regnis suis consistens Cangueraso primum, qui ex administratoribus vnus erat, bellum faciebat. Cogitauerant quidem ex Administratorum sequebantur partes, aditus omnes quibus Meacum, occupare, vt hac ratione Daifusamæ spes omnis eo cum exercitu perueniendi adimeretur, verum Daifusama vt viã qua Meacum itur, liberam conseruaret, breui temporis spacio militum triginta millia & amplius collegit, nec vllam eis quiescendi facultatem dedit, donec in munitionem Guifum irruerent.

Daifusamæ in occupandis munitionibus celeritas.

Toto equidem hoc belli tempore, Daifusamæ milites, summam in exequendis Ducis sui mandatis adhibuerunt celeritatem, propterea quod ab vnius hominis voluntate omnes penderent, contra vero apud vniuersam partem, quia multis regebantur, nihil nisi tarditas & procrastinatio cernebatur. Dum enim administratores deliberarent & varia inter se disputarent,

putarent, rei bene gerendæ occasionem ferè omnem perdiderunt. Munitio Guifu, de qua dixi, est in regno Mino, cuius Dominus erat adolescens Christianus, vigintiduorum annorum, Ciunangodonus nomine. Ignorabat ille tantas esse Daifusamæ copias, postquam enim regnum Minense ingressi milites à Guifu munitione non longe abessent, in valle quadam collocati sunt vicies mille milites, qui propter interiectum montem ab illis qui in munitione erant, conspici non poterant, cæterum sexcenti plus minus in conspectum præsidij venientes, situm loci explorare debebant, Ciunangodonus igitur plures non adesse ratus, præsidium eduxit, & magna impressione in eos irruit, qui de industria se pedetentim receperunt, donec Ciunangodonus in medium insidiarum agmen incurrit, Præsidiarij igitur cum tantæ multitudini resistere non possent, ad munitionem sese receperunt, quod tanta celeritate fieri non potuit, quin multi ab insequéte exercitu, qui vnà cum ipso præsidio munitionem ingressus est, cæderentur. Ciunangodonus ergo, qui difficulter in turrim quandam aufugerat, obsidentium multitudine oppressus, se tandẽ Daifusamæ dedere coactus est, & victor exercitus, postquam expugnatæ munitioni de firmo præsidio prospexisset, ad aliam, in qua Gibunoscius erat, contendens casu, in bis mille eius milites incidit, & paulo post in alios mille, qui omnes in vnum trucidati sunt.

Cũ hæc ibi agerétur, ad munitionẽ Gibunoscij Rex Sassumæ & Augustin' Tsunocamindo-

Administratores Iaponiæ exercitũ suum in Minensi regno colligunt.

nus cum militibus aliquot peruenerunt, cũque Daifusamæ copias ibi adesse intelligerẽt, omni qua potuere festinatione militem suum in vnum locum contraxerunt, & ad ripam fluminis, vt eas à progressu arcerent, subsistendũ iudicarunt. Cum Daifusama militem ducesq; ex vexillis cognouisset, de traijciendo flumine sententiam mutauit, & ad alteram fluminis ripam ipsemet etiam constitit. Interea nouem reguorum in Scimo Domini, in factiones quoq; distracti sunt, aliqui enim se pro Daifama stare profitebantur, alij administratoribus adhærebant, alij in neutram propendentes partem quieti permanserunt. Administratores igitur cum status hic per Iaponiam tam miser esset, omniaque tumultibus bellicis plena viderentur, nihil intentatum reliquerunt, vt exercitũ suum quem multis in locis dispersum habebant in regno Minensi congregarent. Conuenerunt ergo ad octoginta hominum millia, quorum opera, omnis qui illis in locis pro Daifusama erat, exercitus, paucarum horarum spatio extingui & funditus deleri potuisset. Verum tam exigua fuit administratorum inter se consensio, & totis triginta diebus, nesemel quidem in hostilem exercitum, qui vt triginta quidem millium numerum attingebat, impetum fecerint.

Daifusama victoriam ab administratoribus Iaponiæ obtinet.

Interim Daifusama, relicto in castris, qui Cangueraso resisteret, filio, in Oarense regnũ cum reliquo milite abijt, idq; præter omnem aduersariorum expectationem, qui existimabant non posse eum militem habere, vt & Cãgueraso, quem in armis esse probe nouerant, resi-

resisteret,& simul hostilem in suo Meacum reditu iniuriam propulsaret. Verum Daifusama ne tempus inutiliter tereret,eodē quo Oarim peruenit die,se cum militibus qui in Mino erant,coniunxit,cumque exercitum iam haberet quinquaginta millium,postridie eius diei, cum hoste prælium commisit. Vix autem inchoato bello,nonnulli qui hactenus administratorum partes secuti fuerant, ad Daifusamæ exercitum transierunt. Illis ergo arma sua in administratorum copias vertentibus, exortus statim de proditione clamor,& ordinum secuta perturbatio est, militibus Morindoni, qui nouem regnorum Dominus erat, ex loco conflictus,sine pugna se recipientibus. Prostrato igitur breui tempore Administratorum exercitu,victoriā Daifusama reportauit, cuius hostes non pauci interierunt,vētres sibi quibusdam scindentibus,quibusdam vero in victoris potestatem delatis.

Daifusama munitiones aliquot in Iaponia occupat.

Daifusama post fusum fugatumque Administratorum exercitum,ne partam labore & industria sua victoriam iterum amitteret, munitionem in regno Minensi præcipuam,& aliam in regno Omi occupauit,cuius Dominus Gibunoscius erat,qui in captiuitatem viuus inciderat.Huic munitioni tū præerat Gibunoscij frater qui postquā thesaurum militibus distribuisset & vxorem filiumq; fratris, & natos proprios barbara crudelitate necasset, munitionē incendit,& sibijpsi ventrem discidit. Progressus est inde Daifusama cū exercitu versus munitionem Ozacam, in qua Morindonus habitabat,qui eo tempore eundem tenebat hono-

ris gradum, quem antea Daifusama habuerat, (Presidis nimirum cõsilij publici officio functus) ijsdemque morabatur in ædibus, quas ante exortum bellum Daifusama incoluerat. Erat tunc temporis Morindonus nouem regnorum Dominus, præerat principali totius Iaponiæ loco, inque sua potestate cum thesaurum tum filium Taicosamæ, & omnium principum virorũ obsides, & præterea ex suis regnis militum quadraginta millia secum habebat. Sed & commeatus, aliaque ad multorum annorum bellum necessaria ipsi abunde suppetebant, nihilominus tamen vt intellexit factionis suæ exercitum à Daifusama, vt dixi, profligatum esse, tanto metu perterritus est, vt confligere cũ hoste, ipsiusq; vim propulsare, ne cogitarit quidem, neque ad sua regna, quod facilè potuisset, se receperit, sed vt inops mentis & consilij vir, munitione Ozaca, cum omni suo comitatu egressus, extra eam in villa sua magnificè ædificata latere voluerit, ibique se hostis sui voluntati submittere. Daifusama itaque nullo negotio amissam munitionis Ozacæ possessionem recuperauit, & paucis postea diebus totius propè Iaponiæ imperio potitus est. Facta sunt hæc Anno Christi 1601. à quo tempore, suum in Iaponios omnes dominationem augere non cessauit, hostes enim prælio victos varijs pœnis affecit, fautoribus vero suis & adiutoribus præmia amplissima suppeditauit. Quanquam autem omnia non suo sed filij Taicosamæ cui Fireizamæ nomen est, & quem in maximo honore habet nomine facere videatur,

Daifusama expugnata munitione Ozaca, imperio Iaponiæ potitur.

tur,

tur, non aliter tamen poteſtatem gerit, ac ſi Iaponiorum omnium ſupremus eſſet Dominus, & pacatam iam Iaponiam, ſuo magis, quam Taicoſamæ obſequentem imperio habet, vt nemo ſit, quin ſuppreſſo eum Taicoſamæ filio, imperiũ tandem ad poſteros ſuos propagaturum exiſtimet.

CAPVT LIX.

DE ARBORIBVS, FRVCTIBVSQVE & herbis per vniuerſam Indiam præcipuis.

VNiuerſa Indiæ Orientalis regio, tametſi cælum, ob vaſtam ſuam magnitudinem, inæquale habeat, fertilitate tamen ſua, propter fluminum, vt in Aegypto, excreſcentiam & inundationem, quaſcunque orbis partes alias antecellit, fructus enim bis in anno plerunque profert, frugeſque & aromata tanta copia mittit, vt nunquam famem ſenſiſſe aut inopia preſſos fuiſſe incolas eius, magni nominis hiſtorici ſcriptum reliquerint. Quamuis autem de fructibus, quorum India ferax eſt, Garcias ab Horto, itemque Carolus Cluſius & alij, illuſtria ſatis commentaria nobis dederint, ne tamen quid lectori ad plenariam hiſtoriæ huius cognitionem deeſſet, appendicis quaſi loco, paucula de fructibus, arboribus, aromatibus & floribus pretioſiſque lapidibus Indicis, adhuc ſubijcere & annotare neceſſarium omnino viſum eſt. *India alijs regionibus fertilitate ſuperior.*

Ficus Indicæ quomodo crescant.

Ficus India vario & diuerso genere producit, quarum aliæ alijs, meliores, nobiliores, maiores, crassiores & pinguiores sunt, in genere tamen omnes & forma & colore conueniunt, leui discrimine dissidentes. Arbor viri proceritate est. Folia vlnæ lõgitudinem, & trium spithamarum latitudinem habent. Nullo denso ligno firmata est, adeo vt haud ineptè arundineam arborem vocare possis. Caudicis, vbique vna ferè facies, vna forma est, spithamæque vnius crassitudinem, qua crassissimus est obtinet. Substantia interior cribro ex setis equinis contexto æqui paratur. Per foliorum medium fibra satis crassa firmaque porrigitur, qua in duas quasi partes finduntur. Ad folij vero ex caudice egressum, in superiori maximè parte, flos, oui struthio camelini magnitudine protuberat, leuiter rubescens, qui progressu temporis longius extra folia exoritur, adeo, vt surculi cuiusdam similitudinem præferat, non solidi quidem & lignosi, sed instar caulis brassicę, ex quo deinde ficus aliquã multæ in sese quasi contrusæ enascuntur, quæ primo exortu, fabas maiusculas follibus suis adhuc cõclusas mentiuntur, postea vero dimidiæ spithamæ mensura elongantur, in trium quatuorve digitorum transuersorum latitudinem crassescentes, non secus ac vulgares sunt cucumeres. Surculus iste plerũque ducentis & amplius ficubus prægnans est, quæ in tantam molem grandescunt, vt à duobus baiulis transuersa pertica vix gestari queant. Arbor præter surculum vnum non parturit, cuius carpendi tempore, arbor

ipsa

ipsa ad radicem abscinditur, ex qua noua postmodum arbor breui ita repullulat, vt exacto mensis vnius curriculo,& in priore sua perfectione integrè consistat,& ficus recentes prioribus omnino similes proferat. Hac igitur sese ratione per totum annum gerit,nullo vsquam tempore excepto, vnde fit,vt per omnem Indiam tanta ficuum moles reperiatur,vt vniuersis regionibus, pro pabulo sufficientes esse possint. Vocantur ab aliquibus poma paradisi,tū propter odoris saporisque suauitatem, tum propter summam coloris amabilitatem. Sapor enim ex dulci acescit modicè,odor rosarū nostratium est, color vero ex viridi iucundè flauescens. Si transuersim secentur, venas semper aliquas in crucis modum dispositas ostendunt, vnde quidam persuasum sibi habent,eum ipsum fructum esse, propter quem gustatum primi parentes nostri in peccatum & mortem prolapsi sunt.

Nuces Indicas,cocos vocant,crescūtque in arbore omnium vtilissima & commodissima, quæ palma vocatur. Valde ea procera & elata consurgit,crassitudinem vix integræ spithamæ assequens, ramis tota vidua,in cuius summo cacumine folia emergunt, latè sese quaquauersum explicantia, ex quibus ad stipitis contiguitatem,cocos fructus extuberat, ita vt decem vel duodecim quam proximè, quasi contrusi & colligati inde dependere videantur. Radices profundas non agit, sed obiter, quasi in fundi superficie raptantes habet, ita vt ad quemuis leuem motum vacillatura & *Nucum Indicarum descriptio.*

corruitura videatur, nihilominus tamen firmissimè ſtat, & inſtar mali cuiuſdam in naui, in tantam conſurgit altitudinem, vt ſine horrore aliquem in eam aſcendentem intueri non poſſis. Aſcenſuri crenis ſeu inciſuris quibuſdã leuibus, arborem exaſperant, tantaque agilitate exuperant, vt ſimijs non ſegniores videantur. Lignum arboris rarum, fungoſum & fragile, minimeque ſolidum eſt, flos autem fructũ prægreſſus, florem caſtanearum noſtratium æmulatur. Subſtantia interior ſeu medulla arboris, papyrum & tenuitate & candore refert, quemadmodum etiam pro papyro ab Indis vſurpatur, qui ſtylo ſubtili ferreo literas in ea ſcribunt, quæ deinde reſiccato volumine deleri non poſſunt. Arbor extruendis nauibus admodum propter natiuam ſuam proceritatem conueniens eſt, funes rudenteſque ex exteriore nucum cortice parantur, vela & carboſa ex folijs texuntur, quibus aliqui etiam ad contingendas ædes ſuas vtuntur, parantur inde & ſtoreæ & pilei contra ſolis pluuiarumque vim perſiſtentes. Fructus quos Cocos vocari diximus, ſtruthiocamelini oui magnitudinem habent, ſi nucem interiorem per ſe conſideres, quæ tamen nunc maior nunc minor pro indiuidui natura proditur. Hæc forinſecus cortice inducta eſt, qui viride iuglandis putamen, dum adhuc in arbore pendet, refert. Cortex hic exterior nuci detractus, cannabis noſtræ inſtar villoſus eſt, & non ſolum parandis funibus, ſed etiam obturandis nauium fiſſuris & rimis probè conuenit. Interior vero cortex parandis poculis & vaſis culina-

Palmæ Indicæ vtilitas.

rijs alijs inseruit. Cæterum fructus maturitati propinquius, aqueo humore totus refertus est, qui progressu temporis in candidum nucleum indurescit, qui verus fructus est & saporem auellanis nucibus similem linguæ offert. Antequam autem indurescat, quælibet nux aquæ mensuram ferè dimidiam continet, & potum admodum suauem salutaremque hominibus præbet, quo plus autem fructus ille maturatione accrescit, eo plus aqua sensim minuitur, & dulcedinè suam amittit, acetosum quid linguę exhibens. Ex candido isto nucleo succũ aliquẽ lactis instar torcularibus suis incolę exprimũt eoq; in culinis ad decoquendam oryzam vtũtur, sed & oleum inde conficiunt, cibis, lucernis, & pharmacopolijs commodissimum. Dũ autem corticibus suis inclusi sunt, nuclei isti, per vniuersum orbem. Citra corruptionẽ, distrahi & transportari possunt. Si qui forte nucẽ non expetant, florem eius resecant & ad eius sedem, angusti orificij vrceum exquisitè applicant, iuncturas argilla perlinentes, vt nec halitus ingredi, nec quicquam ęgredi possit. Hoc facto paucis diebus vrceus aqua totus cõpletur, quæ dulcissimum quodq; seium sapore exuperat. Hæc dimidiæ horæ spacio soli exposita, in acetum fortissimum facessit, destillata vero Alembico vinũ exhibet, quod præstantia sua Rhenensi nihil concedit, decocta vt soli exposita, in sacchari substantiam cogitur, vt ita arbor & fructus hic maximas hominibus in India habitantibus commoditates præbeat.

Iaaca fructus, in arbore, nucis magnitudinẽ habente

Iaaca fructus quomodo proueniat & nascatur.

habente prouenit, idque non ex ramis aut surculis, exilioribus, sed ipso caudice siue trunco, qui folia ad palulæ magnitudinem inferius promit, sub quibus fructus iste postmodum erumpit, qui peponis aut cucumeris vt maximè magnitudinem obtinet, foris virente cortice inductus, aliàs pini fructibus nō absimilis, nisi quod crebris spinis, non vsque tamen adeo acutis aut asperis, ad erinaciei speciem rigidus fit. Fructus hic per medium sectus, candidus est, & pulpa vniuersus prægnans, quæ septis seu loculis quoquouersum, veluti melones & cucumeres, operose interstincta, singulis singulas nuculas, dactylis maiores & cinerea pellicula inductas, condit promitque. Nucum harũ substãtia interior, vt castanearũ, albicat, quæ virides masticatę, acredinē quandã linguę offerũt, coctæ vero aut assæ, castanearũ saporē per omnia præstãt, & ciēdæ Veneri inseruiunt. Exterior & carnosa fructus huius materia, discreti varijq; saporis est, quãdoq; .n. Meloni, nō nunquã malo Persico, aliquãdo fauo mellis, interdũ citri pomo, gustu similis est, contrectatæ vero manibus ob viscositatem facile adhærescit.

Ananas fructus suauissimi descriptio.

Ananas fructus omniũ, quos vniuersa India profert suauissimus & sapidissimus est, magnitudinem melonis sortitus, superiore parte colũ lino fusum, externa vero facie, pini fructum exprimit, colore est ad aspectum valde amæno & ex rubro viridescente, odore gratissimo, ex hortis, vbi nascuntur, transeuntibus sese illico prodit, interius nucleis aut granis aliquot pyrorum malorumve instar prægnans est, quæ colorem maturi.

turi Perſici, vt & ſaporem ferè eius præſtant. Fructus ipſe muſti acriuſculi ſaporem exhibet, nec facile ſui ſatietatem edētibus elargitur, naturæ eſt adeo calidæ, vt culter ad ſemihorulā, ei inſertus, vltra partem mediam exedatur & obteratur, homines tamen manducatus inſigniter non lædit, niſi tanta copia ingeratur, vt à calore ventriculi natiuo ſuperari & concoqui nequeat, quæ ſors etiā reliquorum ciborum omniū, præter modū adhibitorum, vulgaris eſt. Planta cuius hic fructus eſt, dipſaco, quod labrum Veneris vocant, haud abſimilis eſt, cuius quoq; radices æmulatur, quarū ſinguli caules, ſingulos fructus proferunt, niſi quod interdū ex lateralibus ſtolonibus quoq; aliquid enaſcatur, folia eam ferè herbā referūt quæ ex Hiſpania allata, Aloe ſeu ſemper viua, quod perpetuo viuere vigeat, dici ſolet.

Mangas fructus in India vulgaris deſcriptio.

Mangas procera quædam arbor & vaſta admodū valdeq; ramoſa parit, ovum anſerinum adæquantes, & in quibuſdā locis duas pluresue libros appendentes. Diuerſo colore ab vna arbore prodeunt, quidā .n. ſubvirides ſunt, aliqui flaui ſeu lutei, nonnulli ex viridi rubentes cōſpiciuntur. Omnes aūt guſtu & odoratu ſuaues admodū depræhenduntur, nam ſi recētes manducentur, ſaporē longe meliorem nobiliſſimis perſicis miniſtrant. Quę intus incluſa nux eſt, cortice Perſicorū inſtar duro, fibriſque dēſis & firmis innexo veſtitur, glandē magnitudine æquās, & manducata ſaporem amariuſculū offert. Cæterū duo hi fructus Ananas & Mangas, commeatū paſſim omnibus in India quotidianū præbent, & diſſecti in orbicu-

los;

los aut solitarij, aut vino imbuti, veluti Persica apud nos, comeduntur, vtq; duratio eorum lõgior sit, saccharo interdum aut aceto, aut oleo, aut sale, prout oliuæ in Hispania condiri, antequam maturitatem assequantur, solent.

Caius fructus Indici descriptio. Caius fructus, à crassa & malo persimili arbore producitur, cuius folia laurum ad vnguẽ æmulantur, magnitudine & specie ouum anserinum aut malum grandiusculum exprimit, foris flauescens & odorem suauem admodum spirans, intus spongiosus & rarus, succique, vt limonia, plenissimus est, grauis omnino vacuus, & gustu ita dulcis, vt os leuiter astringat. Ex fructus huius basi seu ima parte nucula quędam seu castanea, leporini renis forma, propendet & exoritur, quæ primo cortice adhuc obuoluta, sinum seu sulcum quendam profert, in quo pinguis quædam & fungosa materia, oleo similis, conditur, tam acris & ardens, vt ore aperiri & confringi nequeat, nisi quis linguam & labra contactu eius excoriari, vnde dolores exoriri vehementissimi solent, expectat, intus nucleus albus reperitur, cinerea tunica vestitus, vsu admodum iucũdus, si leuiter prius torreatur aut assetur. Fructus ipse, vt & eius soboles, nucleus, ex vino plerunque eduntur, tum enim præterquam quod palato opipare sapiunt, hoc etiã muneris præstant, quod languoribus stomachi, vt vomitioni & nauseæ insigniter medeantur, quibus malis tollendis, etiam inseruiũt, si pura vnda macerati mãducentur.

Iambas fructus pulcher Iambos quos vocant, fructus pulcherrimi & suauissimi, in arbore quadam nascuntur procera ad-

cera admodum, & maximam quamq; malum Aurantiam Hispanicam æquantē, quæ ramis suis quoquo versum sese explicat, vt ad aspe-ctum sit lætissima, cortex trunci ramorumque coloris cineritij est, folia tenera & mollia hastarum cuspides æmulantur, solido per medium neruo seu fibra in longitudinem excurrēte firmata, foris viridia, intus vero pallidiuscula, quibus flosculi ex rubro purpurascentes connati, multis filamentis medijs, haud iniucundo spectaculo pererrantur. Fructus pyri magnitudine, duorum generum est, primus ita complete rubet, vt longius distanti subniger appareat, & is nucleo caret, alter vero leuius purpurans depræhenditur, in cuius medio nucleus non omnino rotundus clauditur, qui cādidus & scabra pellicula vestitus est. Vtrumq; hoc genus rosas spirat, temperie frigidum vdumq;, substantia tenerum & molle, tenui foris cuticula, quæ cultro expeditè abradi possit, indutum. Arbor radices agit firmissimas, & primis quatuor annis postquam sata fuit, fertilis fit, ab eo tempore omni anni circuitu fructibus prægnans reperitur, nec vnquam sine fructibus flosculisque cernitur, vnde sunt qui quater in anno fructus exhibere eam maturos asserant. Assiduè equidem floribus fructibusque maturis simul & immaturis superbit. Floribus deciduis, omne solum quasi purpura tinctum nitet, in quorum locum noui illico subnascuntur, vnde consequenter id quoque accidit, vt fructus alij recens enascantur, alij ad maturitatem properēt alij iam plenè maturi legantur, qui arbore

Vimis qualis arbor & quoties in anno proferat.

leuiter

leuiter concussa, facile decidunt, quę vicissitudo per integrũ annũ durat, & fructus isti quouis diei articulo, ante & post prandiũ absq; vllo detrimento manducantur, suntq; tã salutares, vt ægrotis etiã, ad appetitũ illis vesci licitum sit. Habent præterea fructus alios quãplurimos, quorũ descriptione, cũ non vsq; adeo magnæ æstimationis sint, hic supersedendũ arbitror, illud tamẽ de fructibus illis, quos forma melonis prouenientes, Papaias vocant, mirũ notatu videtur, quod arbor, quæ fructum istum profert, ea natura sit, vt nisi arbor arbori quasi matrimonio quodam coniungatur cõferaturque, sterilis maneat & nihil producat. Mas itaq; cum sua fœmina cõiunctus, viget, & sociam simul vegetat, ipse quidẽ ex se nihil generans aut producens, fœminã vero fœcunditate sua quasi impręgnans, vt fructus quasi partus suos edat & proferat. Quod si disiungantur & loco, quasi diuortio tristi secludantur siue separentur arbores, impotẽtes nihil procreãt.

Arborum quarundam secretũ matrimonium.

Cæterũ fructus etiã quidam tantę suauitatis Malacæ prouenit, vt reliquos omnes, quos passim tota India delicatissimos præstãtissimosq; producit, longissimè exsuperet. Is in Malaca, quo loci tantũ prouenit, Duryœn, flos eius Buaa, arbor vero Batan nominatur, estq; procera & elata admodũ, ligno firmo & denso cõstãs, cortice cœruleo vestita, ramis multis & fructibus frequentissimis prægnans atq; superbiens. Flos ex candido luteolus est, folia Spithamæ dimidiæ longitudinem & duorum triumue transuersorum digitorum latitudinẽ habent, in ambitu nonnihil serrata, foris ex nigro viridia,

Duryoen fructus suauissimi descriptio.

ridia, intus vero splendida: Fructus ipse Melonis magnitudine est, cortice duro, qui in ambitu frequentibus duris aculeis armatus, facie exteriore viret, & lineis aliquot Melonis forma conseptus est. Interius secundum longitudinem, quatuor cellulis dirimitur, quarum quælibet insuper triplici, quadrupliciue sepimento peculiariter subdistincta visitur, ita vt singulæ plicæ ternos quaternosue fructus cõtineant, lacteo colore, ouum gallinæ maiusculum æquantes, gustu & odoratu suauissimos. Quamuis enim qui fructum hunc prius non gustarunt, eum aperientes, odorem putrescentis cępæ naribus percipiant, semel tamen manducatus, deinceps tum odore tum sapore suauissimus omnium creditur. Ab indigenis certe in tantum amatur & appetitur, vt eo saturari se nunquam posse profiteantur, quin imo, nullam vnquam Duryoen satietatem esse prouerbio dicant. Nuclei tamen quorum fructus quilibet, persico similem producit, fauces immaturorum mespilorum instar exasperant, & propterea in cibum non assumuntur.

Antipathia inter Duryoen & folia Bettele.

Notandum autem hoc in loco, naturale illud odium quod Antipathiam vocant, inter Duryoen fructum & folia Bettele, illud enim tantum est, vt si fructu hoc vel nauis integra, vel spatiosus fornix repletus sit, breui tempore pereant & cõputrescant si Bettele folia quędã ipsis admiscentur. Quinimo si forte ex immodica fructus huius ingestione ventriculus aggrauatus inflammetur, vnico saltem Bettele folio, orificio ventriculi extrinsecus imposito, & tumor abit & inflammatio tollitur.

Bettele Foliorum descriptio & vsus.

Folia autem Bettele, folijs mali medicæ similia sunt, sed tamen longiora paulo, & in extremo auctiora, venulas quasdam secundum rectitudinem exertas habentia. Probe matura flaua sunt & optima tũ habentur, durantq; diutissimè & cõtinẽter quasi recẽtia vigẽt. Frutex, cuius hęc folia sunt, proxime defixis stipitibus sese implicans in altũ consurgit, nõ secus atq; piper, cui adeo similis est, vt propius vna consiti, vix discerni eminus possint, fructu plerumque caret, quamuis quidã in Malaca fructum quendam proferre eum scribant, lacertæ caudam æmulantem, qui saporis haud ingrati sit, & ab indigenis comedatur. Suffixis palis educatur, non secus ac vitis vinifera, Qui plus ex illis commodi quærunt, piperi aut Areccæ, frutices hos quam proximè applantant, vt reflexis & in Cameræ formam contortis illis, iucunda ambulacra habeant. Folia hæc nemo vel virorum vel fœminarum in India est, qui non perpetuo siue domi suæ sit, siue foris in platea ambulet, seu quicquid aliud agat, quocunque diei tempore, calce prius, quam ex ostrearum testis parant, oblita, voret & manducet, raro tamen solitaria propter eorum amaritudinem, sed fructu Arecca adhibito, quem arbor quædam descriptæ supra palmæ similis, profert. Forma fructus, nucis myristicæ est, nisi quo d latere vno pressior, altero latior, durior maiorque existat. Húc igitur forcipe trãsuersum secant & cum Bettele masticatum edunt, idque pro roborando ventriculo & anhelitus grauitate tollenda, dentibus item firmandis & gingiuis astringendis, vnde haud facilo

Arecca fructus in India descriptio.

cile Indorum quenquam inuenire licet, qui aut oris graueolentiam, aut dentium dolorem experiatur. Quin imò vel ad ſenij ſummum prouecti terminum, dentium ſuorum ſeriem integram ſanamque poſſident, dentes tamen & labra eorum non ſecus ac atro cruore perfuſa rubent, & homines ſaliuam iugiter, cruori haud abſimilem, quem colorem ea ex fructu Arecca contrahit, expuunt.

Dutroa herba in omni India notiſſima, paſſim in campeſtribus prouenit. Huius folia cuſpidem haſtæ præfigurant, quoquouerſum in ambitu inciſa ad formam Brancæ vrſinæ, quam etiam magnitudine æmulantur. Iuxta longitudinem multa filamenta ſeu fibras habet, alias ferè inſipida, niſi quod modicum de amaro aſciuit, odorem raphani reddens. Flos eodem cum Roſmarini flore colore eſt, cui decidenti folliculus, papauerino ſimilis, ſuccedit, qui intus nucleis quibuſdam, Melonum ſemen referentibus, prægnans eſt. Hi aut ex aqua, aut vino, aut quouis alio liquore hauſti, aut cũ oryza decocti & eſitati, ſeu quouis alio modo ingeſti, hominis mentem ita percellunt & alterant, vt vel fatuo ſimilis, perpetuo rideat, & nihil eorum quæ fiunt vel geruntur agnoſcat, vel in tam profundum immergatur ſomnum, vt niſi frigida aqua pedes eius lauentur, intra 24. horarum ſpacium non expergiſcatur. Herbæ huius vim mulieres Indicæ exploratam ſatis cognitamque habent, & propterea ea frequenter ad dementandos conſopiendosque maritos ſuos vtuntur, quoties nimirum infami libidine pruriunt, & cum amato-

Dutroæ herbæ in India vulgaris deſcriptio.

ribus adulterisq; suis, illicito & vago cõcubitu sese permiscere satagunt, quibus quidem id tam vsitatum est, vt vix vllam ab hoc flagitio immunem in India reperias.

Arboris radicosæ, quã ficum nominant descriptio.

Est porro in India passim arbor quædã radicosa, quæ principio ex leui stipite sumpto, in insignem altitudinẽ assurgit, & in ramos quã plurimos dispescitur. Rami autẽ isti frequentia ex sese & tenera filamenta defundunt, quæ iuuencula colorẽ aureum referunt, sensim vero in terrã se defigentia arborescunt, & crassitiẽ cum trunco primo eandẽ nanciscũtur, vt ægre ab inuicẽ discernãtur. Primarij stipitis crassities triũ interdũ orgyarũ est, in cuius circuitu quoquo versum, creberrimi alei enascũtur, adeò vt vna sæpe arbor ad miliare paruum Italicũ suo ambitu sese extendas. Nec vero inferiores saltem rami villos huiusmodi fundunt, verũ & qui in sũmo cacumine sunt, vt omniũ propẽdentis in vnũ collatis, quædã quasi syluula cõstituatur, & vt ad transitũ sub ea via pateat, stipites subindealiquos detruncari necesse sit, cũ enim solis radij penetrare ibi nõ possint, vmbrã & refrigeriũ homines ibi plerunq; captare cernuntur. Folia arboris cydoniorum ferè similia sunt, facie externa viridi, interna vero alba & villosa existente. Fructus pollicis priorẽ articulũ refert, & ficũ paruã æmulatur, flos hunc præcedit vtrobiq; rubeus, interius aẽt tenuissimis granulis, vt ficus nostrę pręgnãs est, & intra recẽtium ramorũ folia nõ secus ac vulgares ficus frotuberat, quæ causa est, quod arborem hanc ficum appellare Carolus Clusius non veretur.

Reperi-

Reperitur præterea arbor in India, forma & magnitudine Pruni, multis ramulis nodisq; in terstincta, ex quorũ singulis bina folia sibi inuicẽ opposita enascuntur, Pruni folijs similia, mollia, & exteriore facie, non secus ac saluiæ folia exasperata, interiore vero viridi & nõnihil acuminata, in ambitu tamen non æqua cũ pruni folijs serrata, nec tã frequentibus fibris firmata. In medio foliorũ pediculus prorũpit, quinq; nodulis conspicuus, quorum capitella ex rotundis quatuor foliolis, aurantiorũ æmulis, sed aliquando minoribus, pulchrioribus & odoratioribus constant, quibus Croci loco Indi cibos suos conduunt tinguntq; cũ coloris sit ex flauo rubescentis. Fructus eius virescens, lupini magnitudine est, cordis figuram in mediũ diflecti referens, in cuius vtroq; latere distinctæ quasi cellulæ sunt, seminibus suis, cordis formam referentibus, forisq; pellicula viridi vestitis, prægnantes. Flos huius arboris, cæteris omnibus odoratior & suauior est, dũmodo manibus nõ contrectetur, semel vero attactus, odorem illico perdit, & interit. Vocatur vulgo arbor tristis, quod nunquã nisi noctu floreat, idq; constanter per totum anni decursum. Quæ res admiratione dignissima est. Quotiesenimcunq; sol occidit, flore omni vidua arbor est, semihoræ vero elapso spatio, floribus continuo adeo turget, vt & visus spectaculo & odoratu nares suauissimè afficiantur. Die deinde rursus appropinquante, cum iam sol Orientii vicinus est, flores ad vnũ omnes derepentè decidunt, ita vt ne vnicus quidem in arbore reliquus maneat, & terra illis vndiq; perspersa vi-

Arboris tristis in India descriptio.

deatur. Fit hoc vel ab occulta quadam inter solem & arborem antipathia, vel propter succi summam subtilitatem, qui ad primũ solis exortum illico quasi absumptus euanescit. Plantatur hæc arbor iuxta domos plerunque, vt natiua odoratus dote suauiter eas afficiat, facile autem succrescit, ita vt ferro etiam ad radicem vsque detrũcata, anni dimidij spatio citius repullulans, ramos floresque vt antea producat. Ramus ex arbore hac auulsus si in terram defodiatur, radices illico profundas agit, & flores breui tempore profert. Et hæc quidem de arboribus, fructibusque & herbis Indicis, ex multis & varijs, quæ in India passim reperiuntur, præcipuis, dicta nobis sufficiant.

CAP. LX.

DE AROMATIBVS, ET GEMMIS, seu pretiosis lapidibus, quos India mittit, præcipuis.

Piper quotuplex & quo modo crescat.

DE aromatibus & gemmis seu pretiosis lapidibus, paucula adhuc dicenda restant. Vulgatissimum aromatum piper est, hoc ingenti copia, in locis Oceano vicinis maximè prouenit, & inde porro, velut ex ditissimo penè in omnem Christianum orbem distribuitur, estque triplex, vt alibi quoq; notauimus, nigrum, albũ & longũ. Nigrum & albũ eiusdẽ facultatis & saporis sunt, & nõ nisi exteriore cortice & colore differunt, frutex eius plerunq; alterius arboris trunco adseritur, maximè vero illi, in quo Arecca prouenit, huius ramos quasi amplectens altius cõsurgit & fructificat, folia auran-

aurantiorum similia sunt, sed paulo minora, viridantia, & in apice mordicantia, quæ gustata, linguã, vt Bettele vellicant, prouenit autẽ racematim vuarum modo, minore tamen & exiliore vua, cuius grana perpetuo virore conspicua sunt, dũ siccari & maturari incipientia sensim vel nigrescant vel albedinẽ contrahãt. Piper lõgum in arbore nascitur cuius longè alia facies est, habetq; longitudinẽ acus, sed crassitiem maiorem & per totum æqualem, facie extima scabrũ & rugosum existit, colore cinereo interior vero substantia magis albicat & fibris exilibus connexa est. Sapore cum nigro & albo conuenit, etsi nigri vsus crebrior, allibi vero prouentus rarior existat. Cinnamũ vel cinnamomum ex arbore prouenit, quæ magnitudine oleæ est, folijs tamen minoribus & angustioribus, laurinis ferè similibus, Flos arboris candidus est, fructus magnitudine nigram Lusitanicam oliuã, ex qua oleum multis vsibus commodum exprimitur adæquat. Arbor binis corticibus contegitur, exteriore, qui crudior est, & interiore, qui verũ cinnamũ præstat. Hic partibus quadrilateris cõscinditur, & arbore detractus, in aërem siccãdus exponitur. Viridis enim cinereo colore est, siccescens vero, seipsum cõuoluit, & eo colore, quo ad nos defertur, tingitur, qui à solis vberiore feruore originẽ trahit. Cortice viduata arbor, post trienniũ nouo iterũ induitur priori plane simili. Arbores aũt nõ plãtatę spõte sua in syluis magna copia nascũtur, adeo, vt frequẽtia & dẽsitate suæ integras aliquãdo syluas solæ constituant. Radices arboris huius aquam, Camphoræ odorẽ

Cinnamum quomodo crescat.

ſpirantem, fundunt, quã tamen, ne arborum iactura fiat, extrahere lege vetitũ eſt. Ex Cinnamo ſemiviridi pretioſæ multæ aquæ extillantur, quarum vſus in India optatiſſimus eſt, odoratu certe & potatu gratus admodum & ſuauis, quæ contra colicam paſſionem & alios ex frigiditate contractos morbos remediũ præbet efficaciſſimum, eſt enim facultas Cinnami calida admodum, & penetrat reficitq; omnia intranea, vnde tum aqua tum oleũ inde paratum, viſcera principalia omnia apprimè cõfortant, & magno etiam commodo contra venena omnia, cor infeſtantia, offertur.

Zingiber quid & quomodo creſcat.

Zingiberis prouentu omnis paſſim India celebris eſt, creſcit vero inſtar gladioli duarum triumve palmarum altitudine, radice liliorũ æmula & nodoſa, quæ viridis propter exuperantem humiditatẽ non vſq; adeo acris eſt, ideoq; cum alijs herbis minutim cõciſa, ex oleo, ſale & aceto, acetarij loco ſumitur. Vt autẽ verum zingiber inde fiat, euulſarum certã molẽ argilla figulina integunt, & tumulum exquiſitè contra omnem aëris & ventorum vim oblinunt, vt ita calore vel ſolis vel ignis exiccatæ, virtutẽ zingiberis acquirant, quæ eſt, quod aluum leuiter ſubducit, & facultatẽ corporis coctricem roborat, frigidum item ventriculũ calefacit, & ſuffuſiones oculorum abſumit, qua de re quidem plura commentari Medicorũ eſt.

Caryophylli quomodo creſcunt & colliguntur.

Caryophilli præterquã in Moluccis inſulis nulliibi proueniunt, vnde in omnẽ poſtmodo mũdum diſtrahuntur. Arbores fructũ hunc ferentes, lauros & facie & magnitudine referũt, folijs tamen ſunt minoribus & amygdalorum

vel

vel salicum æmulis, Flores harum arborũ primo albicantes sunt, deinde virescunt, & tandẽ rubedinem contrahunt, & quodammodo indurãtur, Caryophyllos exhibentes qui ex vno pediculo numerosi proueniunt, & primo carpti post resiccantur, siccati subflauescunt, & vt nigriores euadant tandem infumantur. Quo loco arbores sunt, ibi nec gramen, nec quicquã aliud virescens enascitur, propterea quod succũ terræ vniuersum ad se rapiant. Eousq; enim feruentis & igneæ naturæ caryophylli sunt, vt si forte ab Indis in conclaui quodã, in quo vas aliquod aqua vel quocunq; alio humore plenum, existat, à sordibus repurgentur, id vniuersum breui temporis interuallo, calore suo exhauriant & exiccent. Arboris haud longo à mari interuallo sponte sua etiam nõ satæ aut plãtatę proueniunt, & incolis nihil inde laboris obtruditur, nisi quod tempore illo suscipiunt, quo maturati fructus ab arboribus decerpẽdi sunt, tunc enim solum infra arbores diligẽter verrendum & purgandum, arbores vero ipsæ funibus constringendę sunt, vt eo cõmodius auelli & decerpi possint, quorum tanta sæpenumero fertilitas & abundantia existit, vt plus caryophyllorum quam foliorũ in arboribus cernatur. Ex caryophyllis sub arbore relictis, noui surculi emergunt, qui propter continuas pluuias felici incremento consurgunt, & tam prompte grandescunt, vt octauo statim anno fructum ferant, vltraq; annos centum in vigore suo postmodo consistant. Solent Indiani ex caryophyllis recentibus cum sacchāro permixtis, optimum electuarium conficere, sed & a-

quam ex illis destillando eliciunt, quæ cor insigniter recreat, nobilissimi odoris est, & miscendis medicamentis pluribus conuenit.

Nuces myristicæ & macis quomodo crescant, & ad quid conducant.

Nuces myristicæ in arbore proueniunt, quæ pyro non absimilis, humilior tamen & minoribus rotundioribusq; folijs conspicua est, quę morbis capitis, matricis & neruorum admodũ conferunt. Fructus magni rotundi Persici quãtitate est, cuius intimũ nux myristica dicitur, foris autem Persici faciem sortitus, vbi maturuerit gustatu & odoratu suauissimus est, & totus cum saccharo cõditus, electuarium suauissimum suppeditat, quod per vniuersam Indiam distrahitur. Nux ipsa triplici integumento obducitur, quarum exrimum viridi glandiũ cortici vel pomo Persico, vt dixi, simile est, alterũ Macis nobis dicitur, suntq; flores siue folia culinis & Pharmacopolijs notissima, Tertium inuolucrum durius lignosiusq; & nonnihil nigricans est, quo tandem rupto & cõfracto, nux ipsa prodit. Nux autem interior quando maturescere incipit, adeo intumescit & grandescit, vt cortex exterior necessario rumpatur, ex cuius ruptura, Macis deinde iucũdissimo & amœnissimo coccini colore relucet, spectaculo sane, quando arbor fructibus apprimè prægnans est, admodũ delectabili, qui flos seu Macis deinde maturior factus colorem aureum induit, quo apud nos visitur. Insulæ quę fructum hunc suppeditant, aërem admodum insalubrem habent, vnde qui negotiationis ergo eò commeant, multa morborum pericula adire plerunque solent, Nucum autem duo sunt genera, vnum oblongum, masculum, alterum vero rotun-

tundum, fœmineum, quod quidem priore illo melius & nobilius est. Vtrumque genus vsitatum cerebrum reficit, memoriam firmat, ventriculum fouet roboratque, flatus discutit, habitum oris commendat, educit seuum & aluum obstipat. In genere frigidis affectibus omnibus, capitis, cerebri, ventriculi, epatis, matricis, &c. inseruit, flores autem qui Macis sunt, vt dixi, singulariter refrigerato ventriculo conducunt, coctionem eius promouentes & intestinorum lentorem absumentes.

Cardamomum ex aromatum genere est, Indorum cunis admodum familiare, qui id ore assidue mandunt, teruntque ad halitus grauitatem corrigendam & capitis humores absumendos. Prouenit frumenti modo, & ocymi plantam ferè æmulatur, album tamen est, & ex hoc colore nonnihil flauescit, folliculos, decem vel duodecim granulis prægnantes fert, quæ Cardamomum nominantur, & ingentia inde commercia instituuntur, quæ passim per vniuersam Indiam aguntur, ita vt nullas carnes elixatas incolæ comedant, nisi Cardamomo conditæ sunt, à quibus illæ & odoris & saporis suauitatem eximiam, non secus vt ab alijs aromatum speciebus, percipiunt. Sunt eius duo præcipuè genera, maius & minus. Maius oblonga triquetra pellicula abducitur, in cuius cauo, grana quædam ex rubro pallentia inueniuntur. Simili inuolucro minus quoque vestitur, sed id breuius est, & grana minora cõtinet, per medium pellicula, tenui intersepta,

Cardamomum quomodo crescat & quotuplex.

cuius

cuius ipsius tria peculiaria genera, mediũ, minus, & minimũ, obseruantur, quæ omnia eius virtutis sunt, vt ventriculũ calefaciant, & capitis dolorem ex refrigeratione ortũ leniant.

Cubebæ quomodo crescant & ad quid conducant.

Cubebæ, piper & forma & magnitudine referunt, crescunt in Iaua potissimũ, piperis modo, appositis palis instar lupuli in altum surgẽtes, quarũ folia & ipsa piperinis similia sunt, quodlibet tamen granũ peculiari suo pediculo fulcitur. Iauani tanto eas in pretio habent, vt non nisi aqua prius decoctas vendãt, ne scilicet apud exteros quoq; plantentur. Optimæ autem censeri illæ solent, quæ densæ, plenæ, ponderosæ & gustu acres sunt, pipere tamẽ leuiores & nõnihil amariores, hę enim eius virtutis sunt, vt ventriculum calefaciãt roborẽtq; pectus muco tenace expurgent, frigidis vteri affectibus opitulentur, & cũ mastiche mansæ, crebrum pituita exonerent atq; apprimè roborent.

Bãgus quid & quam virtutem habeat.

Bangus cibus est Indis freques, Cannabini seminis instar, ex arbore, quæ cannabi similis, nullis tamen vsibus cõmoda est, prouenies. Huius arboris & folia semen Indi contusa, mãdunt, appetitũ ciborum sibi illis cieri dicẽtes, vt ebrietatem inducat, nonnulli Areccam cum mace & nuce myristica addunt. Summã autem hilaritatem excitare & mentis angores doloresq; procul arcere dictitant, ita vt excussis omnibus tristioribus cogitationibus, homo nihil agere, quã ridere queat, aut ad somnũ sese cõponere studeat. Et profecto virtus eius mirabilis est. Qui enim vnicã vnã inde comedũt, primo lætabundi cõparent, varia & ridicula nugantur, cantiunculas & hymnos læuissimos psallunt,

psallũt, risu soluto cõcutiuntur, & quæcũq; inepta alia peragunt. Hac hilaritate, horæ ferè vnius spatio agitata, postea in irã ferũtur, ita vt cæsim punctimq; obuia quæq; adoriantur. Vbi hoc etiã pacto aliquandiu sæuitũ est, quasi cõuersi in metum timoremq; agũtur, adeo vt vel à lachrymis sibi temperare nequeant. Tandẽ vero somno profundo immergũtur, quo postmodũ soluto, ad priorem mentem redeunt

Tamarindi fructus sunt per vniuersam Indiã prouenientes, arbor quæ illos gignit, pruno similis est, crassis & ramis & folijs. Flos eius aurantiorum fere est, ex quo fructus enascitur digiti ferè longitudine, cortice foris viridi vestitus, qui siccescens colorẽ cæruleũ induit, intus granis fabarũ grãdiuscularũ magnitudine prægnans est, quæ grana carne quadã foris integũtur, viscida admodũ & glutinosa, ita vt manus contrectata, lentore suo inficiat. Folia arboris, perpetua conuersione, solẽ aspiciunt, ad cuius occubitũ, ipsa quoq; contrahuntur, & fructum sub se suũ pariter abscondunt, fructus enim ab arboribus, vaginæ breuioris modo dependẽt, non tamen forma præcise directa, sed nõnihil incuruata aut arcuata, & noctu folijs sese, quasi muniri contra frigus nocturnum inde petẽtes, totos inuoluũt, aurora vero prodeunte ex illis sese iterũ expediunt, & spectantiũ oculis exhibent. Non venditur fructus hic, nisi folliculis suis exemptus, cumq; propter viscositatẽ iam agglutinati quasi tũ cohæreant, nec ad aspectũ iucundi, ad cõtactũ securi sunt. Cæterũ præhensos manipulos, violenter exprimũt, vt substantia melior, nõ secus ac putrida mespila,

Tamarindi quomodo crescant & ad quid conducant.

per

per digitorum interſtitium craſſiuſcule prorumpat, vnde intinctum parant Indiani, ſaporem acidum & ſubacriuſculum referentem, quo cibis ſuis ſaporem meliorem conciliare ſolent. Sunt qui fructus integros arboribus decerptos, ſaccharo condiant, atque ita electuarium ſuauiſſimum inde præparent. Aliqui medullam huius fructus aduerſus ardētes febres, in limpida aqua maceratam, felici ſucceſſu adhibent, folia vero ſingulatim contra puerorũ vermes proſunt.

Sunt præterea in India multa aromata aliâ, quorum deſcriptionem & catalogum Medicis & Pharmacoponis, ne falcem in alienam meſſem immittere voluiſſe videar, prudens voléſque hic relinquo, de gemmis & pretioſis lapidibus quorum India quoq; ferax eſt, paucula adhuc corolarij quaſi loco dicturus.

Margaritæ vbi precioſiſsimæ, & quomodo vendantur.

De vnionibus igitur, quomodo nimirũ generētur & capiuntur, alibi etiã dictũ, Hoc hic adhuc annotandũ reſtat, nobiliſſimas & pretioſiſſimas Orientales eſſe, quæ intra Armuſiam & Baſſoram, in ſinu nimirum Perſico capiuntur. Conſtitutus eſt iſthic loci à Rege Luſitaniç procurator aliquis, qui ſolius margaritarum capturæ curam agat, adeſt ibi etiam Præfectus quidam, cum certa militum manu. Et Procurator quidem, trecentos vel quadringentos Vrinatores quotannis alit atque ſuſtentat, quorum pars interdum mergitur, pars à graſſatoribus piſcibus, quos Tubarones vocant, deuorantur, vnde poſt exactã piſcationem ingens ibi planctus eiulatuſq; viduarũ & liberorum propter eos qui interierunt, paſſim perſtrepit,

pit, sed nihilominus tamen illis qui superstites sunt, sequenti anno ad idem periculum, quod vnico hoc studio, vitæ egestatem leuare didicerint, redeundum est. Vnius diei piscatione finita, piscatores cum Procuratore, præfecto, militibus & cæteris opitulatoribus certo loco colliguntur, conchasque margaritiferas mari extractas, in certos acertos diuidunt, quorum primus Regi, secundus Præfecto & militibus, tertius Iesuitis, & postremus ipsis Vrinatoribus in mercedem cedit. Concharum aliæ plures, aliæ pauciores, nonnullæ ducentas interdum & amplius, margaritas continēt, quibus exemptis, Conchæ postmodum ipse ad pocula, cochlearea, patinas & supellectilem aliam parandam adhibentur, fœminæ etiam annulos & armillas inde paratas gestare conspiciuntur, nullam enim virginem ibi deflorare licet, nisi brachijs eius armillæ huiusmodi statim innectantur. Vniones ipsæ cribris purgantur & venduntur, ex lamina hunc in vsum confectis & crebris foraminibus pertusis. Cribrorum autem horum diuersa genera sunt, primum foramina angustissima habet, permittendis margaritis minimis parata, & hæ pretio leuissimo venerunt, secundum foraminū est maiorum, per quæ colatæ margaritæ, maiori quoq; pretio venduntur, tertium, quartum, quintū & reliqua, vt pro foraminū proportione se ad inuicē habent, sic pretio quoq; augescūt. omniū aūt minimæ & vilissimæ Pharmacopæis, pro remediorū mixtura, vncijs vēdi solent. Vt nitidiores margaritas faciant oryzam

cum

cum sale tundũt,& mixtura illa probè eas perfricant,dum tandem crystalli instar cādescāt, quem colorem deinde etiam omni tempore retinent. Adamas gemmarum omnium princeps & Rex est,prouenit in regno Decan,iuxta ciuitatem Bisnagar,vbi tres montes visuntur, ex quibus lapides hi,ingenti Regis illius loci cōmodo & emolumento eruuntur, qui excubias ibi diligentes cōstituit,& singulari edicto cauit,vt quicunq; adamātes 25. Mangelinos(quorum singuli grana 4. appendunt) excedant Regio fisco inferantur, secus qui fecerit, capitis supplicio afficitur,& bona eius fisco mancipātur. Est præterea in eodem regno mons quidā Roca Velha,id est rupes antiqua dictus, qui optimos quoq; adamātes profert,& inter alios, naturæ industria politos pulcherrimè atq; læuigatos,qui prioribus nobiliores censentur. Eruũtur autem ex terra eodem quo aurũ quoque effoditur modo, quorum venæ hoc maximæ præ alijs peculiare habent, quod si prima vice ad altitudinem viri effodiantur, triũ annorum exacto spatio,noui ibidem adamantes creuisse & prorupisse videantur. Venditio adamantis in pondere fieri solet,cumq; reperiantur,qui centum & ducentorum plus minus Mangelinorũ pondus habeant, preciũ eorum subinde augescit,idq; ex antiquissima Indorũ constitutione,apud quos preciũ olim constitutum in perpetuo hactenus vigore permansit, vnde si adamas Quilatum siue Mangelinum vnum,id est 4.grana appendens, coronatis 50. veneat,quod quidem etiam eius preciũ si purus & non vitiosus sit, esse solet pretium inde plus

Adamas vbi nascatur & quomodo de perfectione eius iudicādum.

plus minusve appendentis colligere difficile non sit. Perfectum autem & omnibus numeris absolutum adamantem, ita elaboratum esse oportet, vt binis lateralibus tabulis supernè tertia addita sit, atq; ita tres tabulæ in infima gēmæ sede, tabulam vnam superius oppositam constituāt, quæ omnes iusta profunditatis proportione sibi mutuo respondeant, & angulos quidem omnes integros, acutos, æquales, pellucidos & transparentes habeāt, ita vt color nulla versionis parte varietur, aut pellucidas obscuritate aliqua contaminetur. Verumenim vero huiusmodi adamantes, qui summè perfecti sint, raro inueniuntur, & facilis circa huius gemmæ discretionem lapsus est, familiaris enim adamanti Topazius est, coloris eiusdem, sed obscurioris nonnihil, & propterea minoris etiam censuræ. Candentes reperiuntur etiam Saphyri & Rubini, vnde ab adamantibus ægre discernuntur. Præterea in plerisq; Indiæ locis, materia quædam reperitur, quę crystalli speciem refert, crystallus tamen non est, cū India nullum proferat. Lapis hic Beryllus vocatur & incautis facile etiam pro adamante obtrudi potest, vt diligenti circa gemmæ huius emptionem discretione & iudicio opus sit.

Lapides pretiosi eiusdē cum adamātibus coloris

Beryllus.

Rubinorum varia genera sunt, pretiosissimi, carbunculi vocantur, suntq; coloris & pelluciditatis optimæ, alij coloris ignei sunt, alij candidi vt adamantes, alij rosei, alij cerasij sunt, partim rubentes, partim vero candicātes, quidam ex parte vna rubini ex altera saphyri videntur. Causa huius discretionis & varietatis hæc est, quod quidam effodiantur, antequā ad

Rubinorum varietas.

iustam maturitatẽ perueniant, dum enim adhuc in montibus nascuntur, omnes albicant, & quo magis calore solis excoquuntur, eo rubedinem maiorem assequuntur. Quod vero ex saphyro & rubino mixti quidam apparent, hãc ob causam fit, quod vtrique simul & semel persæpe in eodem loco proueniunt, vnde vicinitatis ratione, quasi coalescentes mixta hac facie visuntur. Qui rubinus colore, crassitie, elaboratione & forma perfectus existit, centũ coronatis, vel ad minimum septuaginta merito æstimatur, Pondere autem rubini non venduntur, cum non semper certam crassitiem obtineant, & quidem eos dedita opera tenuiores sæpe efforment, vt subditum folium luculentius transplendeat.

Hyachinti Ex rubinorum porro genere etiam Hyacinthi, Granati & Robassi sunt, qui lapides minoris æstimantur, & propterea Rubini lutei & *Saphyri.* purpurei vocantur. Saphyri etiam Rubinis viliores censentur, à quibus tamen vt & ab adamantibus, locum dignitatis proximum obti- *Spinelli.* nent. Est præterea & lapidum rubeorum genus quoddam, quos spinellos vocant, quorum suæ quoque discretæ species reperiuntur, & aliqui eousque perfectionis ascendunt, vt cum Rubi- *Iaspis* nis haud iniquè conferri queant. Iaspis in In- *Chrysolithus* dia tam frequens est, vt ad patinas & pocula *Smaragdus* conficienda adhibeatur, nec desunt ibi Chrysolithi, Amethysti & lapides alij. Smaragdi vero propter raritatem, magni admodum in India, maximè vero in Pegu æstimãtur, non enim Rubinis solum nobiliores ibi censentur, sed si quis omnibus suis partibus, colore nẽpe, luce, forma,

forma, crassitie & densitate perfectus reperiatur, trium Adamantium pretium eum æquare Gemmarij veteres vno ore constanter affirmãt. Nõ facilè autẽ reperitur, qui notas perfectiones oẽs habeat, nã etsi colore quidẽ & forma perfectionem aliqui assequantur, luce tamen & puritate carent, cum perpetuo quandã in se pinguedinem virentibus herbis, aut alijs rebus similem, contineant.

Bezoar lapis vbi nascatur & cuius virtutis sit.

Suppeditat præterea India lapidem preciosissimum, quem Beozoar nominant, is contra venena omnia & morbos grauiores alios præsentissimum remedium præstat, vnde maioris quam vniconum precij est, quod efficaci sua facultate etiam longissimè superat, vt multis experimẽtis notissimum factum est. Nascitur in ventriculo ouium vel caprorum quorundam, virtute singulari quarundam herbarum, quæ animalia ista depascuntur, nam circa tenuissimam quandã paleam semper augescit, & multis veluti ex tunicis contextus cernitur, exterius ęqualis & læuis est, obscure viridis, eiusdẽ cum alijs lapidibus duritiei, sed minus tamen ponderosus, estque eo nobilior, carior & efficacior, quo maior & grauior existit. In prouincia quadam prope Melacan, similis quidam lapis ex vesicula fellea, porcorum quorundam ibi degẽtium eximitur, coloris limpidè rubei, saporis vero amariusculi. Hunc virtute contra venena & morbos venenatos quoscunq; multo efficacissimum esse affirmant, quippe qui in aquam saltem iniectus, eam amaritudine certa inficiat & tam efficacem reddat, vt si, eo rursus extracto, aqua bibatur, venenum ex omni

Lapis porcinus contra venenum valens

corpore mixta quadam efficacia expellat.

Lapis sanguinē sistens. Sunt præterea in India lapides, qui sangui nis profluxū sistere, sunt etiam qui lactis pr *Lapis lac in mulieribus augens.* uentum mulieribus augere dicuntur, Galact tes eam ob causam vocati. Mirabilis vero vi tutis dicuntur esse, quos Lusitani Olhos *Lapis diuitias conseruans.* Gatto, & Pedram de Ceuar vocant, de illo nim communis Indorum opinio est, quod pa tas diuitias seruandi vim habeat, & vt quotid. *Lapis iuuenile decus conseruans.* eæ magis augescant faciat; hunc vero eius vi tutis esse dictitant, vt si quis quotidie inde al quid cum cibis alijs percipiat & comedat, iu uenili semper decore floreat, nec faciem vn quam similem & rugosam induat. Verum e nimuero de his & alijs commentationem prolixiorem instituere, instituti nostri ratio non admittit.

Maneat Gloria Altissimo Deo.

FINIS.



